BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
q
76
NAPOLI

XLIX
qq
44

XLIX
Gg
44

ARTES JESUITICÆ

IN SUSTINENDIS PERTINACITER NOVITATIBUS LAXITATIBUSQUE SOCIORUM

(Quarum plusquam mille hìc exihibentur)

S. D. N.

CLEMENTI PAPÆ XI.

ATQUE ORBI UNIVERSO

DENUNTIATÆ

PER

CHRISTIANUM ALETOPHILUM.

EDITIO TERTIA

Cum Vindiciis priorum editionum.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE NAPOLI

ARGENTORATI.

Apud AMATOREM KERCKHOVEN 1717.

Inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati ſunt & ditati. Incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè. Cauſam viduæ non judicaverunt, cauſam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea? Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. *Jerm.* v. 26.

MONITIO
AD LECTOREM.

DUm Artes Jeſuiticas deſcribo, eas non Jeſuitis omnibus tribuo; (ſcio namque non eſſe Jeſuitarum omnium, non utique S. Fundatoris ſui Ignatii ſpiritum à novitatibus laxitatibusque alienum habentium) ſed pleriſque: atque utinam non adeo multis! Qui dum Eccleſiæ pacem impoſturis ſuis, & pravis artibus jam pluſquam à ſemiſæculo perturbant, poteſtateſque omnes, Eccleſiaſticas & Civiles adverſus viros innoxios, integerrimoſque veritatis defenſores maledicis inſuſurrationibus declamationibuſque ſuis commovent, veri Jeſuitæ non ſunt, nec hæredes ſpiritus Sanctiſſimi Ignatii: nec mundo utiles; utpote Eccleſiæ univerſæ inſignia adferentes detrimenta, prout pii quique deplorant; in Domino tamen confiſi, quòd ab iis quidem *occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt; florere poteſt ad tempus iniquitas, permanere non poteſt.* S. Aug. in Pſ. 61. Quippe *ſubvertet grando ſpem mendacii & protectionem aquæ inundabunt.* Iſa. 28.

20. Februarii 1710.

INDEX

Paragraphorum, Artificiorum, Sectionum &c. in hoc volumine contentorum.

§. I. NOvitatum initium in Societate à neglectis seriis Monitis S. Ignatii Fundatoris sui. pag. 1

§. II. Magnarum in Hispania & Belgio turbarum fomitem Molinæ & Lessii novitates subministrarunt. 4

§. III. Artes Sociorum in defensandis in Belgio Lessii novitatibus. 5

§. IV. Doctorum celeberrimorum judicium de novitatibus Molinæ. 9

§. V. Artes Jesuiticæ in defensandis Romæ novitatibus Molinæ. 12

§. VI. Jesuiticæ novitates plusquam mille in materia morum. 14

CENTURIA I. Opinionum seu Propositionum novitatem laxitatemque nimiam præ se ferentium. Propositiones de Doctrina & Probabilitate. 15

De Peccatis & occasionibus peccatorum. 23

CENTURIA II. De peccatis ignorantiæ, inadvertentiæ & consuetudinis pravæ. 30

CENTURIA III. De legibus ac dispensationibus. 48

De præceptis Ecclesiæ. 53

CENTURA IV. 59

De præceptis Fidei, Spei, Charitatis & Eleemosynæ. 68

CENTURIA V. 70

De tribus primis Decalogi præceptis. 79

CENTURIA VI. 85

De quarto Decalogi præcepto. 88

De quinto præcepto, *Non occides.* 90

De sexto præcepto, *Non mœchaberis.* 98

CENTURIA VII. De septimo præcepto, *Non furtum facies.* 101

De octavo præcepto, *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.* 107

De præcepto nono & decimo. 114

De

De Sacramentis in genere. 115
CENTURIA VIII. 116
De Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ Unctionis. 117
De Sacramento Euchariſtiæ. 119
De Sacramento Pœnitentiæ. 127
CENTURIA IX. 129
CENTURIA X. 144
De Sacramentis Ordinis & Matrimonii. 151
Propoſitiones Miſcellaneæ. 158
§. VII. Superiorum propoſitionum Denuntiatio. 163
§. VIII. ARTIF. I. Jungere Societatis vires ad ſuſtinendas Sociorum novitates laxitateſque. 166
ARTIF. II. Moralis Evangelicæ defenſoribus Bajaniſmi & Janſeniſmi larvam objicere, ut ab iis audiendis populum avertant. 172
ARTIF. III. Eundem in finem ipſos velut Rigoriſtas apud Principes, Magiſtratus, & Populum diffamare. 179
ARTIF. IV. Eoſdem traducere velut Novatores, ut ſuas ipſi faciliùs diſſeminent novitates. 191
ARTIF. V. Omni calumniarum genere eorum famam proſcindere, qui ſcribunt adverſus Sociorum aliquem. 195
ARTIF. VI. Poſt crudeliſſimè laceratam omni mendaciorum genere virorum integerrimorum famam, ipſoſque palam ſuggillatos velut ſcandaloſos & hæreticos, eo quòd contra ſociorum aliquem quidpiam dixiſſe vel ſcripſiſſe putarentur; eoſdem deinde, abſque ulla prætenſorum errorum retractatione, ſcandalorumve reparatione, orthodoxa fide, pietate, doctrina, moribus inſignes palam declarare, ob id ſolùm quòd ipſi declaraſſent, de laceſſenda ſe Societate non cogitaſſe. 198
ARTIF. VII. Similibus mendaciis calumniiſque obrepere Principibus, ut à dignitatibus, officiis & muniis Eccleſiaſticis & civilibus, nullo ſervato juris ordine, tamquam Janſeniſtæ, Rigoriſtæ vel Novatores, vel de Janſeniſmo &c. ſuſpecti arceantur, quotquot

Jesuiticis novitatibus vel laxitatibus adversantur. 205

ARTIF. VIII. Præcipuis Theologis, per dolosas vagasque ipsorum apud Principes accusationes, calumniosasque suas informationes à lectionibus aliisque Universitatum muniis excluſis, procurare ut sibi devoti, absque comparatione minùs idonei, ad ea promoveantur, ut per eos in Universitatibus dominantes, suas in iis paulatim novitates laxitatesque introducant. 228

ARTIF. IX. Episcoporum Seminaria, secularium Collegia, Universitatum jura &c. dolis malis invadere, ut Sociorum doctrina in Diœcesibus tradatur, recipiatur & dominetur. 233

ARTIF. X. Uno impetu adversus opponentes sese novitatibus ipsorum certatim insurgere. 238

ARTIF. XI. Sanam & orthodoxam eorumdem doctrinam verbis æquivocis fallacibusque invidiosè proponere, ut ab ea populum avertentes in suas pertrahant novitates. 239

ARTIF. XII. Societatis opiniones majori cum sinceritate non exponere quàm adversariorum, sed cum involucris, fucis & æquivocationibus ad tegendam earum turpitudinem. 260

ARTIF. XIII. Pro rerum Societatis ac temporum varietate, summum Pontificem in decidendis factis, etiam doctrinalibus, non revelatis, quotidie in Ecclesia emergentibus, nunc fallibilem asserere, nunc infallibilem, quasi res Societatis, seu varia earum exigentia, veritati præscribere queant. 262

SECTIO I. Asserta hodie à Sociis Papæ infallibilitas in definiendis factis doctrinalibus novis, non revelatis, divinæ Scripturæ & Traditioni videtur formaliter adversari. 265

SECTIO II. Suam in ejusmodi fallibilitatem Romani Pontifices, etiam ex ipsis sanctissimi agnoscunt. 273

SECTIO III. Continuatur traditio Romanorum Pontificum suam & Ecclesiæ fallibilitatem in factis non revelatis dijudicandis agnoscentium. 276

SEC-

Sectio IV. Romanorum Pontificum, Ecclesiæque in definiendis factis, etiam doctrinalibus non revelatis fallibilitatem, cum Patribus tradunt antiqui omnes præcipuique etiamnum Theologi. 278

Sectio V. Eandem fallibilitatem ratio non una demonstrat. 290

Sectio VI. Ultima ratio petita ab exemplis Romanorum Pontificum, quas in suo de factis non revelatis, etiam doctrinalibus, judicio providentia divina errare permisit, ut sese homines esse, humanæque deceptioni obnoxios meminissent. 303

Sectio VII. Objectionum solutione hactenus dicta roborantur. 306

Artic. XIV. Novum fidei articulum, toti antiquitati, Patribusque omnibus incognitum, ausu plusquam temerario procudere, novumque consequenter hæreticorum genus, ut colorem aliquem semper habeant, Theologos, novitatibus suis laxioribusque opinamentis adversantes, apud populum & Potestates impunè calumniandi. 315

Sectio I. Status quæstionis. 316

Sectio II. Refellitur Jesuiticum pro novo illo hæreticorum genere argumentum. 317

Sectio III. Hæretica est Jesuitica assertio, dicens hæresim esse, negare, vel in dubium revocare quinque famosas propositiones in Jansenii extare Augustino, hæreticasque esse in sensu à Jansenio intento. 322

Sectio IV. Ex perpetuo Ecclesiæ usu & sensu exsibilatur conficta à Jesuitis hæresis. 333

Subsectio I. Commentitia illa hæresis confutatur ex sensu & usu Ecclesiæ circa defensores facti Origenis. 335

Subsectio II. Eadem confutatur ex sensu & usu Ecclesiæ de iis qui Marcellum Ancyranum damnant contra definitionem Concilii Sardicensis. 340

Subsectio III. De defensoribus facti Ibæ. 342

Subsectio IV. De defensoribus Theodoreti & Joannis Antiocheni. 344

Subsectio V. De defensoribus trium Capitulorum. 346

Subsectio VI. Responsio ad ea quæ ex D. Gregorio allegantur ; adversus defensores trium Capitulorum contra definitionem Concilii quinti. 358

Subsectio VII. Concilii V. anathemata non feriunt Catholicos, trium Capitulorum; Catholico sensu intellectorum, bona fide, defensores ; sed hæreticos, qui Nestorianam in illis hæresim agnoscentes, mala fide perversaque intentione ideò defendebant, ut istius hæreseos perfidiam iis firmarent ac tuerentur. 364

Subsectio VIII. Tametsi Pelagius I. & II. cumque ipsis Gregorius Magnus plerisque Catholicis damnationem trium Capitulorum ratione persuaserint, ad credendam tamen justam eorum damnationem imperio seu authoritate numquam compulerunt. 369

Subsectio IX. Concilium V. in ea damnatione, qua Ibæ Epistolam damnavit, probabiliter contrarium fuit Concilio Calcedonensi, à quo Epistola illa probabiliter approbata fuit. 375

Subsectio X. Nec hæretici sunt, nec de hæresi meritò suspecti nec iniquitatis filii, nec Ecclesiæ inobedientes, qui Honorii Papæ Epistolam à Concilio VI. VII. & VIII. sicut & à pluribus summis Pontificibus damnatam, contra Ecclesiæ definitionem defendunt. Igitur nec qui Jansenii Augustinum. Nec isti sine calumnia, judicioque temerario, magis dici & judicari possunt id maligna intentione facere quàm illi. 379

Subsectio XI. Idipsum ostenditur ex eo quòd nec hæretici sint, nec de hæresi suspecti, nec Ecclesiæ inobedientes, qui definitioni Concilii Lateranensis IV. non acquiescunt quoad factum Abbatis Joachim. 384

Subsectio XII. Postremò id ostenditur ex aliis factis à Facundo enarratis. 385

Subsectio XIII. Humillima ad S. D. N. Clementem XI. sup-

XI. ſupplicatio. 388

Subsectio XIV. Proferuntur quatuor argumenta probantia, nec rationi conſonum videri, nec æquitati, ob id ſolum viros orthodoxos de perverſa intentione hæreſim animo fovendi ſuſpectos, vel filios iniquitatis & Eccleſiæ rebelles ſeu inobedientes habere, quòd ob viſam ſibi rationem graviſſimam, judicium ſuum cœca obedientia non ſubmittant judicio Eccleſiæ de facto aliquo doctrinali non revelato, ex ſe non claro, ſed obſcuro & inter Catholicos controverſo. 390

Subsectio XV. Argumentum quintum, ſextum, ſeptimum & octavum. 408

Subsectio XVI. Argumentum nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum tertium. 428

Subsectio XVII. Supplex ad S. D. N. Clementem XI. apoſtrophe. 435

Subsectio XVIII. Ejuſdem humillimæ apoſtrophes proſecutio. 458

Artif. XV. Virorum integerrimorum Molinianis novitatibus contradicentium, vel molliora ipſorum de moribus opinamenta improbantium, probitatem, modeſtiam, morum ſuavitatem ſimulatam aſſerere, velutque pallium ſub quo hæreticum animum tegunt. 477

Artif. XVI. Ad conciliandam ipſis populorum ac Principum invidiam, ipſis perperam imponere quòd cultui Beatiſſimæ Virginis adverſentur. 479

Artif. XVII. Eundem in finem ipſis per impoſturam affingere hæretica dogmata; quòd ipſis etiam juſtis aliqua Dei præcepta ſint impoſſibilia; quódque Chriſtus mortuus non ſit pro omnibus. 479

Artif. XVIII. Ridiculas fabulas frivolaque & injurioſa alia de iiſdem figmenta, eundem in finem in vulgus ſpargere. 489

Artif. XIX. Omnes ſibi contradicentes inſimulare velut reos exceſſuum defectuumque omnium, quorum aliquis vel aliqui cuipiam ex ipſis forſitan excide-

derit. 496
ARTIF. XX. Moralis Christianæ defensores pacis perturbatores vocare. 498
ARTIF. XXI. Adversariorum seu ipsos impugnantium sententias sub odiosa repræsentare larva, non quales sunt, sed quales esse confingunt, ut incautis hominibus larva illa territis ipsos odiosos reddant. 502
ARTIF. XXII. Inverecundè asserere, suas suorumque opiniones à solis hæreticis reprehendi. 504
ARTIF. XXIII. Quiritare sibi ab adversariis exprobrari, quæ Ecclesiæ ab hæreticis exprobrantur. 506
ARTIF. XXIV. Quiritare etiam sibi ea tribui quæ ab aliis ipsi hauserint. 509
ARTIF. XXV. Quamlibet exorbitent sui Casuistæ, semper illos excusare, numquam damnare ne contemptui habeantur. 512
ARTIF. XXVI. Audacia magna tam exorbitantes opiniones sustinere, ut nativum in se lumen videantur extinxisse. 512
ARTIF. XXVII. Ne tunc quidem eas damnare dum universus penè Orbis damnat, sed tunc dicere, quòd eas nec probent nec damnent. 513
ARTIF. XXVIII. Si quando exorbitantes aliquas suorum opiniones aliqui ex ipsis improbant per principia directa, eas illi ipsi approbant per reflexa probabilitatis principia. 517
ARTIF. XXIX. Nullam non machinam movere ad impediendam exorbitantium opinionum suarum damnationem. 518
ARTIF. XXX. Adversus Denuntiatores, accusatores & reprehensores errorum suorum furere, eo prætextu quòd violatores sint fraternæ charitatis. 519
ARTIF. XXXI. Censuras in Sociorum libros vel errores latas ficta submissione eludere. 523
ARTIF. XXXII. Si quando ad exactam submissionem compellantur, ab ea modico post tempore resilire. 525
ARTIF. XXXIII. Centies refutatas Sociorum pro defensione putidarum opinionum scriptiones, dissimulatis

latis argumentis, quibus confutatæ, deque falsitate convictæ fuerunt, novam semper in scenam inducere, novisque ubique terrarum tibiis decantare. 527

ARTIF. XXXIV. Præcipuarum Academiarum censuras floccifacere. 528

ARTIF. XXXV. Ipsorum quoque Episcoporum sanctissimorum, sapientissimorum, etiam præcipuorum, ac penè omnium Ecclesiæ Gallicanæ Censuras contemptui habere. 531

ARTIF. XXXVI. Vanitatem ex confusione sua captare, dum Episcoporum Academiarumque Censuris Sociorum libri erroresque damnantur, eos pro martyribus habendos, tamquam persecutionem passos pro causa Dei. 534

ARTIF. XXXVII. Suam erga decreta Pontificia præ ceteris exactam submissionem, cœcamque obedientiam buccinare; ab ea tamen præ ceteris deficere, dum ad salivam decreta non sunt. 537

ARTIF. XXXVIII. Censuris, notis & conviciis aliorum afficere opiniones, inter Catholicos controversas; nolle autem iis suorum opiniones affici. 550

ARTIF. XXXIX. Absque fronte negare Sociorum esse damnatam doctrinam, eamque fateri damnabilem, dum publica adversus eam fervet indignatio. 553

ARTIF. XL. Dum publica adversus damnatam suorum doctrinam utcumque deferbuit indignatio, eam saltem ut probabilem & ut bonam sustinere, quam antè fassi fuerant detestabilem esse. 556

ARTIF. XLI. Licentiosam Casuistarum suorum doctrinam, intolerabili audaciâ Ecclesiæ tribuere, non sine grandi hæreticorum scandalo. 557

ARTIF. XLII. In ejusdem pestilentis doctrinæ patrocinium Decretis abuti summorum Pontificum. 560

ARTIF. XLIII. Sanctorum Doctorum sententias adulterare, ut hoc fuco imperitis persuadeant, ipsos Casui-

ſuiſticæ laxitatis patronos eſſe. 561
ARTIF. XLIV. Eorundem Sanctorum doctrinam elevare ac deprimere, dum ipſos in ſuam pertrahere nequeunt ſententiam. 563
ARTIF. XLV. Eoſdem ſanctos Doctores modernis Caſuiſtis pares facere in corruptione moralis doctrinæ. 566
ARTIF. XLVI. Divinas Scripturas, Pontifices, Concilia, Patres, cavillatoriis eludere gloſſis, ne ſuis ſuorumve aberrationibus contradicere videantur. 568
ARTIF. XLVII. In earumdem aberrationum patrocinium turbam proferre ſimiliter errantium Caſuiſtarum. 570
ARTIF. XLVIII. Caſuiſtas Patribus anteferre. 571
ARTIF. XLIX. Principia in antiquitate fundatiſſima, inter Theologoſque præcipui nominis receptiſſima, inſimulare ut nova, impracticabilia, extravagantia, erronea. 573
ARTIF. L. Adverſariis ſuis errores imponere quos diſertè rejiciunt. 574
ARTIF. LI. Eoſdem adverſarios ſuos calumniatores vocare, dum non illi, ſed ipſimet calumniatores ſunt. 575
ARTIF. LII. Victoriam canere dum certiſſimè victi ſunt. 575
CONCLUSIO. 578
ARIÆ MONTANI ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem. 581

ARTES

ARTES
JESUITICÆ

In ſuſtinendis pertinaciter Novitatibus damnabilibuſque Sociorum laxitatibus.

---

§. PRIMUS.

Novitatum initium in Societate à neglectis ſeriis Monitis S. Ignatii Fundatoris ſui.

BEATISSIME PATER.

EMinentiſſimus Cardinalis Franciſcus à Monte, dum Sanctiſſimi inclytæ Societatis Fundatoris elogium, coram Gregorio XV. Prædeceſſore veſtro, pro canonica ipſius Apotheoſi faceret: *Novas* inquit, *opiniones numquam admiſit, & in Theologia ſcholaſtica doctrinam Angelici Doctoris ſecutus eſt, à ſuiſque ſequendam ſancitâ lege voluit. Conſtitut. 4. parte cap. 14.*

Cui Conſtitutioni nullam, quoad vixit, fieri paſſus eſt exceptionem, nec Theologicis Theſibus ullam Angelicæ doctrinæ contrariam inſeri concluſionem, ne quoad punctum quidem Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ: imò inſertam expungi voluit è Theſibus Martini Olarii, ne quid doctrinæ S. Thomæ contrarium à ſuis ſuſtineri videretur, uti videre eſt apud Maffæium, lib. 3. vitæ S. Ignatii cap. 9.

Insuper Laynium, Salmeronem & Jaium ad Concilium Tridentinum proficiscentes, seriò commonefecit, ne ullam opinionem, firmis licèt rationibus suffultam, proferrent in medium, quæ vel ad hæreticorum commenta deflectere, vel ad eorum, qui nova sectantur, videretur accedere. *Orlandinus Histor. Societat. lib. 6. num. 26.*

Nihilominùs tam seriæ monitionis immemor Laynius, qui primus in regimine Societatis sancto Ignatio successit, in prima post ipsius obitum Congregatione generali, anno 1558. tenendæ sancti Thomæ doctrinæ legem, quâ Societas contra omnes præmuniebatur errores, concutere cœpit, *accommodatioris Theologiæ* prætextu.

Sic enim in Congregatione ista sancitum est: *In Theologia legetur..... Doctrina scholastica D. Thomæ..... Sed si videretur temporis decursu, alius Auctor utilior futurus, ut si aliqua summa, vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus* ACCOMMODATIOR VIDERETUR, *gravi cum consilio prælegi poterit.*

Hinc, veluti dato signo, orta confestim in Societate opinandi licentia, ait præclarissimus Auctor Historiæ Congregationum de Auxiliis l. 1. c. 1. seu enim accommodatioris Theologiæ editione Societatis votis respondere festinarent aliqui, seu novæ scholæ Principes, novique Israëlis Magistri evadere vellent alii, diligenti æmulatione tentatum est. Nam ab illo anno 1558. scientiam suam mediam Molina concipere, scholasticisque in disputationibus propugnare cœpit; etiamsi alias novitates suas, illi fundamento superstructas, non vulgaverit, nisi anno 1588. posteaquam Prudentius de Monte major anno 1581. novam istam doctrinam in publicis disputationibus Salmanticæ proposuisset, jactâ velut aleâ probaturus, quam apud Eruditos fortunam esset habitura.

Verum enimvero novam istam doctrinam Salmanticensis Universitatis Magistri velut erroneam, deque Pelagianorum reliquiis derivatam, ad sacros Fidei Censores deferendam censuerunt.

Sub

Sub idem tempus, à ſelectis Nationum Theologis Romæ, juſſu P. Generalis Aquaviva, ad majorem Societatis gloriam conceptus, & anno 1586. typis domeſticis vulgatus fuit ſtudiorum liber, in quo puncta nonnulla doctrinæ recenſita ſunt, ad quæ docenda, vel non docenda, libertas relinquebatur; ſed nondum circa gratuitam Electorum prædeſtinationem, de quâ pag. 37. de opinionum delectu definiebatur, *Prædeſtinationis nec rationem, nec conditionem eſſe ex parte noſtrâ, quia hanc Auguſtini doctrinam non modò communiter Theologorum ſchola jam recipit, ſed & Eccleſiæ Patres per mille & ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis & reſponſis Pontificum Romanorum, nempe Zozimi, Sixti, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, apud quos Maſſilienſes, Caſſianus, Fauſtus aliique hujus prædeſtinationis oppugnatores malè ſemper audierunt.*

Verùm iſtius decreti obſervantiam Societas neglexit, ex quo Molinæ novitates ebibit. Illum etiam ſtudiorum librum, ob datam licentiam recedendi ab opinionibus S. Thomæ, Hiſpanica Inquiſitio velut temerarium, periculoſum & jactantiæ plenum improbavit, & Sixtus V. publicis Societatis uſibus interdixit.

Propterea alius ſtudiorum liber anno 1590. prodiit, in quo ſexaginta & amplius doctrinæ Angelicæ quæſtiones privatorum libertati permiſſæ fuerunt, cujus nec unam permittendam S. Ignatius cenſuerat.

Sed & nova iſta ſtudiorum Ratio, ſeu Inſtitutio, adverſam experta eſt fortunam, & ideò de alia anno 1594. actum eſt, in qua decretum iſtud inſertum eſt: *Noſtri omnino S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholis Theologicis ſequi teneantur.*

Verùm iſtius quoque Decreti religionem Socii neglexerunt, magna eorum parte in Novitates abeunte. Qua de re Mutius Vitteleſchus Societatis Generalis in Epiſtola Encyclica anni 1617. ſic conqueritur: *Nonnullorum ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimiò liberæ, non modò periculum eſt ut ipſam evertant, ſed ne Eccleſia etiam Dei Univerſa inſignia adferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perſi-*

ciant, ut qui docent, scribuntve, minimè hâc regulâ & normâ in delectu sententiarum utantur: Tueri quis potest, probabilis est, auctoritate non caret. *Verùm ad eas sententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum majoriſque momenti Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique & pietatem alere & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere. Quoniam verò Conſtitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S. Thoma ſequendo, de non promovendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam parviſacere aut cordi non habere præ ſe ferunt, præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur, qui nullâ ſunt ratione ferendi; reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi ut hæc ipſa ſerventur, uti magni rem momenti quàm ardentiſſimè poſſum urgere.* Nec iſtius tamen ſapientiſſimæ ordinationis obſervantiam pleriſque Sociis religioni fuiſſe, infrà ſubjiciendus pluſquam mille novarum opinionum in materia morum Elenchus demonſtrabit, ſed antè de Theoricis ipſorum novitatibus earumque ſucceſſu aliquid commemorandum.

§. SECUNDUS.

Magnarum in Hiſpania & Belgio turbarum ſomitem Molina & Leſſii Novitates ſubminiſtrarunt.

QUo tempore Molina in Hiſpania, eo ferè Leſſius & Hamelius novare cœperunt in Belgio, publicis in Prælectionibus Lovanii, nova tradendo dogmata, ex quibus triginta quatuor Facultas Theologica Lovanienſis primùm, deindè etiam Duacenſis celebri Cenſurâ confixit, parumque abfuit, quin & Synodalibus Decretis à Belgii Epiſcopis configerentur, præſertim ab Archiepiſcopis Mechlinienſi & Cameracenſi, ut videre eſt in *Imagine primi ſæculi Soçiet. lib. 6. c. 4.* ſed ipſos à ferenda ſententia litteræ Nuntii Apoſtolici impedierunt, quibus opinionum iſtarum judicium Apoſtolicæ Sedi delatum ſignificavit. Et revera earum judicium Sixtus V. in ſe ſuſcepit. A quo Leſſius gravem temeritatis

ritatis ſuæ reprehenſionem ſuſtinuit, ut Henricus Henriquez teſtatur, *lib. de ult. fin. cap.* 12.

§. TERTIUS.

Artes Sociorum in defenſandis in Belgio Leſſii Novitatibus.

VErùm ad tegendam confuſionem ſuam, falſos rumores mendaciaque in Belgio ſocii ſparſerunt, modò novitates ſuas velut *ſanam doctrinam* à Sixto V. approbatas, Lovanienſibuſque & Duacenſibus indictum ab ipſo ſilentium; modò notatas ab eodem Sixto V. Cenſuras illas; modò mutatam ab utraque Facultate in materia de gratia Chriſti ſententiam buccinantes, imitati utique priſcos dogmatum ſuorum Patronos (inquit Facultas Lovanienſis in epiſt. ad Facultat. Duacenſ. de 21. decembr. 1648.) *quibus ſolemne fuit ad mendacia confugere, quoties id cauſa ipſorum exigeret. Non vos latet quomodo Pelagius hæreſiarcha Synodum Paleſtinam circumvenit, atque ab Antiſtitibus, ſtropharum ejus ignaris abſolutionem ſurripuerit: Noſtis etiam quòd Cæleſtius Zozimum Papam primitùs deceperit..... Scitis & Caſſianum Semipelagianiſmi architectum palam docuiſſe ac litteris conſignaſſe, mendacio utendum velut helleboro. Non latet vos Fauſtum Semipelagianiſmi reſtauratorem Anathematiſmos ſuos ſub Arelatenſis Synodi nomine divulgaſſe..... Iſtorum itaque veteratorum hæredibus nulla fides in propria cauſa adhibenda eſt. Dignum quippe eſt, ut quorum ſequuntur ſententiam, imitentur aſtutiam.*

Enimvero nec illas novitates Jeſuiticas à Sixto V. nec ab Apoſtolico Nuntio ipſius approbatas fuiſſe veluti *ſanam doctrinam*, neque Lovanienſibus dumtaxat Duacenſibuſque: ſed utrique parti ſilentium ex æquo impoſitum fuiſſe, uſquedum Romanus Pontifex de iis ſententiam tuliſſet, manifeſtè demonſtrat Hiſtoria Congregationum de Auxiliis. l. 1. c. 6.

Denique Cenſuras Lovanienſem Duacenſemque ab-

utraque Facultate Anno 1613. 1648. 1649 1679. & 1690. renovatas in celebri de Auxiliis Congregatione cum Elogio recitatas commendatasque, atque earum Orthodoxiam sub Innocentio XI. ab Eminentissimis Cardinalibus S. Romanæ Inquisitionis Generalibus Inquisitoribus approbatam fuisse demonstratur ibidem *cap.* 8.9. 10. 11. & 12.

Negavit quidem postremum istud Michael Tellerius Jesuita in libro cui titulus, *La Défense des nouveaux Chrétiens*; sed ob id ipsum liber iste apud sacrum ejusdem Inquisitionis Tribunal accusatus, per tres vices à Censoribus deputatis post trinum examen graviter perstrictus fuit, quos inter Reverendissimus P. Generalis Prædicatorum in suffragio suo, *Probare* (inquit) *nequaquam possumus quæ à pag.* 336. *usque ad pag.* 339. *prioris editionis continentur, ubi Auctor adversus Censuras Lovaniensem ac Duacensem invehitur, quasi à Sixto V. notatæ essent, aut doctrinam Jansenianæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ germanam complecterentur, ac velut impostores traducit Deputatos Lovanienses, qui Romam sub Innocentio XI. delegati sunt. Id omne falsum penitus arbitramur, necnon Augustinianæ atque Thomisticæ doctrinæ injurium, quemadmodum & illud quod in tertiæ editionis Præfatione addidit ea de re idem Auctor. Certi enim sumus Assessori sancti Officii injunctum fuisse, ut ea ipsa Lovaniensibus Deputatis significaret, quæ illi delecto in suæ legationis Narratione exposuerunt.* Id ipsum suo quoque in suffragio testificatus est dignissimus Basilicæ S. Petri Canonicus D. Palaggius, testes ex adstantibus Cardinalibus appellans, qui, cùm aliàs negotiis S. Officii præpositi essent, dictis fidem adhiberent.

Cumque pro tertia recognitione tres alios Revisores Tellerii procuratores ab Innocentio XII. postulassent, à seque postulatos obtinuissent, unà rursum Revisorum omnium opinio fuit, Lovaniensem Censuram nec Baianam esse, nec Jansenianam, nec à Sixto V. damnatam. Cumque eorum aliqui in istud propenderent additamentum; licere Societatis Apologistæ eam à Sixto V. *suppressam* appellare; ei se opposuit Doctor Hennebel-

bellius Academiæ Lovanienſis ad S. Sedem Deputatus; cujus rationibus expenſis ſancitum tandem fuit, ut nec *ſuppreſſa* diceretur: & iſtud Reviſorum judicium ſuum fecit S. Indicis Congregatio, Tellerique libros unanimi voto 23. Martii 1694. damnavit, donec juxta Deputatorum Cenſuras corrigeretur.

Verùm cùm nihil non moviſſent Jeſuitæ, quo Decreti iſtius promulgatio impediretur, ſub Innocentio XII. facta non fuit: juſſu tamen Sanctitatis veſtræ, quam Deus in Eccleſiæ bonum diu incolumem ſervet, Decretum iſtud ſolemniter promulgatum fuit. Atque hoc pacto Socii de mendaciis impoſturiſque adverſus Cenſuras Lovanienſem & Ducenſem ſparſis convicti.

Nec minores, imò majores in Hiſpania turbas Molinæ novitates excitarunt, quàm Leſſii & Hamelii in Belgio: ſtatim namque ut Molinæ prodiit *Concordia* novitatibus gravida, de Pelagianiſmo, vel ſaltem Semipelagianiſmo ſuſcitato à ſapientiſſimis Magiſtris Sacri Ordinis Prædicatorum accuſata fuit, ſupremuſque Fidei Quæſitor Gaſpar de Quiroga, Archiepiſcopus Toletanus & S. R. E. Cardinalis non pauca libri illius novitates proſcripſit, teſtantur Cardinalis Baronius in Codice manu propriâ conſcripto, quem laudatus Auctor Hiſtor. Congreg. de Auxil. cap. 8. citato refert, ſicut & Henricus Henriquez in Cenſura anni 1590. fatenturque Molina in Appendice Concordiæ pag. 12. 14. & 32.

Eo tamen nonobſtante, tantam adinventæ ſcientiæ apud ſuos famam Molina conſecutus eſt, ut ab eo tempore quotquot eam tuebantur, Moliniſtæ cognominati fuerint, deque prima ipſius inventione Molina ipſe adeò gloriatus eſt, ut non ſolùm dixerit: *Hæc noſtra ratio per ſcientiam mediam conciliandi libertatem Arbitrii cum divina prædeſtinatione, à nemine, quem viderim hucuſque, tradita*; ſed & addere non erubuerit, eam ex variis principiis à ſe traditis ſe deduxiſſe, *quæ ſi data explicataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque ex Auguſtini opinione concertationibuſque*

que cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defeciſſent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi & Hilarii sit mentio, fuissent extinctæ. Verùm, ut ait ad q. 23. 1. p. disp. 1. n. 6. *sub ea caligine D. Augustinus hoc non attendit.* Nec istâ contentus elatione, de novis adinventionibus suis in tantum præsumpsit, ut ipsum non puduerit dicere, quòd, *esto hi duo Patres*, Augustinus & Thomas, *in eam sententiam* (de gratuita Electorum prædestinatione, quam Societas suprà n. 5. fatetur traditam à Patribus *per mille & ducentos circiter annos*) *inclinassent, salvâ eorum reverentiâ..... admittenda non esset. Neque enim miror, si communior Scholasticorum sententia, præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ hoc loco ad 3. sonare videntur, à multis dura nimis, indignaque divinâ bonitate & clementiâ judicetur.*

Scientiæ denique mediæ novitatem Socii fatentur non pauci, ut Fonseca, Vasquez, Granado, Herice, Tiphanius &c. locis in laudata Historia l. 1. c. 13. allegatis. Quorum sinceram confessionem dum Ferrerius & Henao non probant, aientes scientiam mediam Augustino cognitam quidem fuisse, sed ipso non probatam: hoc dicendo Augustinum imprudentiæ vel nequitiæ reum agunt; quòd agnitâ, sed neglectâ tam facili expeditâque ratione conciliandi divinam prædestinationem Christique gratiam cum libertate, Pelagianismum in radice non præsciderit, Calvinismum non averterit, fidelium turbationes & à fide defectiones non impediverit, cum facilè posset. Propter tantam ergo in sanctos Augustinum & Thomam irreverentiam, & propter novitates, suscitatique Pelagianismi vel Semipelagianismi gravem suspicionem, ingentes turbas Molinæ *Concordia* suscitavit, & apud viros celeberrimos, etiam Societatis amicos, malè audiit, cum primùm lucem vidit.

§. QUAR-

§. QUARTUS.

Doctorum Celeberrimorum Judicium de Novitatibus Molinæ.

EOS inter ſuam de iis mentem, imò ſuum de iis horrorem Cardinalis Baronius aperuit ad annum 490. n. 32. & in Epiſt. ad Petrum de Villars Archiepiſcopum Viennenſem. Et ante Baronium Vir doctiſſimus religioſiſſimuſque D. Jacobus Boſſutius Monachus Sandionyſianus, Doctor Sorbonicus, S. Congregationis *de Auxiliis* Conſultor in brevi compendio doctrinæ Molinæ, ubi ſic de Molina ait: *De S. Auguſtino (quem vix umquam ſanctum aut divum appellat, ac ſæpius ut incautum ſugillat) impudentiſſimè petulantiſſiméque toto paſſim opere loquitur. Sententias de divinâ prædeſtinatione & gratiâ efficaci, quas ab ipſo ac D. Thomâ aſſertas ingenuè fatetur, traducit apertè ut ſcandaloſas, divinæ juſtitiæ injurias, hæreticis faventes, duras ac prorſus à fidelium cœtibus ac ſcholis eliminandas, cùm ipſe è contra obtrita penè omnia Pelagianorum arma recudat.*

Longo ante Molinam intervallo, ipſum & ſequaces velut præſagiens Cardinalis Contarenus *in lib. de prædeſt.* Orti *ſunt*, inquit, *qui ſe Lutheranorum hoſtes atque adverſarios Catholicæque veritatis patronos eſſe profitentur, qui ſtatim atque de naturæ humanæ imbecillitate, de arbitrii ægritudine, verba ad populum fieri audiunt, Lutheranorum doctrinam eſſe clamant. Et cùm pertinaciter arbitrii libertatem aſſerere volunt, hominem paulatim extollunt, divinam gratiam deprimunt: ipſi ex Catholicis Pelagianos ſeſe faciunt, & ne quod in Chriſtiana Religione caput & radix eſt, propagetur & latiùs diffundatur, impediunt.*

Nec exterorum dumtaxat ſenſus iſte fuit de Molinæ Concordia, verùm & nonnullorum Domeſticorum. Siquidem Henricus Henriquez è Societate Jeſu Theologus præſtantiſſimus, binam adverſus eam ſcripſit Cenſuram; alteram anno 1594. juſſus ab Auguſtiſſimo Gene-

ralis Inquisitionis Hispanicæ Senatu; alteram anno 1597. de mandato Clementis VIII. utramque in Societate existens, ut videri potest in Historia sæpè laudata (*Lib. 1. cap. 15. 1. Edit. cap. 16. 2. Edit.*) In prima, observatis punctis quæ in *Concordia* speciali animadversione digna censuit, de toto opere in universum istud judicium tulit: *Licèt Auctor admittendus videatur, ut apud Censores purget se de vehementi suspicione & intentione hæresis Pelagianæ, cui sæpè favet, & monitus non desistit, liber tamen dignus est ut omninò prohibeatur: nec enim purgari potest, cùm passim infinitis locis scateat periculosis & erroneis doctrinis. Nam parat viam Antichristo, dum contra merita Christi & gratiarum auxilia ac prædestinationem plurimùm tribuit viribus naturalibus liberi arbitrii.*

Illâ novitate Concordiæ quam sibi Auctor arrogat (asserens etiam D. Augustinum, D. Thomam & Patres; imò & Pelagium & hæreticos, si advertissent illam, sibi fuisse consensuros) asserit sæpe absolutè impias propositiones, in quibus lectores offendent; quamvis uno aut altero loco addat limitationem quamdam utcumque tolerabilem.

Blasphemè & inverecundè, more hæreticorum, bellicat contra SS. Patres sapientissimos, & eas illorum sententias, quas Theologi certas & indubitatas asserunt, ait Auctor esse periculosas, & esse occasionem multorum errorum, & tollere libertatem arbitrii nostri, & neque ab illis, neque à Conciliis fuisse veritatem de divina prædestinatione, gratia & libertate arbitrii declaratam aut planè intellectam, antequàm Auctor hunc librum conderet. Quæ res & contra sinceram fidem & contra bonos mores militat, & nimis periculosa est, ut hic error & hic impius mos loquendi serpat ut cancer in Hispania & extendatur ad alios errores.

In speciali de concursu generali Dei asserit quædam nimis falsa, aut temeraria. De gratia & auxiliis ita diminutè agit, ut periculosè aditum præbeat erroribus Pelagianorum aut reliquiis illorum, qui dicuntur Semipelagiani. De quadam scientia Dei media, illam ita asserit necessariam (cùm vix circa pauca fuerit nota apud Antiquos) ut multa hinc inferat temeraria & contra torrentem Theo-

logo-

logorum. De Providentia verò Dei subtrahit multa: in quo suspectus est de fide & plusquam temerarius. Tandem de prædestinatione Dei etiam circa Apostolos, asserit quædam erronea, aut fortasse hæretica contra Sacras Scripturas.

In altera Censura sic loquitur: *Cùm essem in Academia Salmanticensi, mandatum mihi est anno* 1594. *ut scriberem quæ animadverterem circa librum de Concordia liberi arbitrii, gratiæ & prædestinationis Ludovici Molinæ impressum Ulissipone anno* 1588. *& in appendice per eumdem adjecta ad dictum librum, & in commentariis ad* 1. *p. D. Thomæ. Misi verò id quod observavi ad Senatum S. Inquisitionis Hispaniæ designans quæstionem, disputationem, paginam & cujusque paginæ lineam Auctoris, deinde breviter addens notam Censuræ. Eadem cura commissa est viris doctissimis in Hispania, quibus doctrina ferè tota libri visa est suscitare antiquos errores Pelagii & Semipelagianorum de vi naturali liberi arbitrii, ut possit homo certò credere omnibus mysteriis fidei, implere omnia præcepta moralia, vitare omne peccatum mortale contra illa, & resistere omnibus tentationibus etiam difficilibus, habere dilectionem Dei super omnia & contritionem de omnibus peccatis, idque per naturalem vim liberi arbitrii sine ulla necessitate auxilii prævenientis, satisque esse concursum Dei concomitantem causis etiam naturalibus communem; enim verò dici auxilium gratiæ, quia datur sine merito hominis. Deum non providere singula bona moralia aut supernaturalia, nec prædestinasse homines adultos & Angelos qui salvantur, nisi quia in signo rationis Deus præscivit hunc aut illum benè usurum vi naturali arbitrii aut etiam auxilii, & præscivit hunc ita benè utentem decessurum in gratiâ, decrevitque Deus illum non impedire, quin ita utatur & decedat in gratia: & tunc dici prædestinatum: Nam si Deus ante præcognitum eum usum arbitrii prædestinasset aliquem, aut in tempore contulisset auxilium efficax prævenies, non relinqueretur, inquit, in homine libertas arbitrii. Quæ doctrina si à viris astutis & potentibus alicujus familiæ defendatur, afferet periculorum discrimen tali Ecclesiæ & ruinam multis Catholicis.*

Iſta itaque cauſa fuit turbarum tantarum, ut Prædicatoribus contra Moliniſtas ſeu Molinæ novitates viriliter inſurgentibus, Moliniſtiſque eas ex adverſo defendentibus, rè ad generalem Hiſpaniæ Inquiſitionem delata, dum inde ſibi periculum imminere vidit Molina, per Generalem Societatis apud Clementem VIII. effecit, ut cauſa iſta Romam evocaretur, quò partis utriuſque ſcripta Generalis Inquiſitor mittere juſſus fuit, inter quæ fuerunt Cenſuræ quatuordecim, tam ſcilicet Univerſitatis Salmanticenſis (inter Hiſpanicas primariæ) quàm plurium Epiſcoporum præcipuorumque Doctorum, novitiam Molinæ doctrinam veluti falſam, temerariam, ſcandaloſam, erroneam, hæreticam damnantium, ut videre eſt in eadem Hiſtoria. *Edit.* 1. *lib.* 1. *cap.* 19. *Edit.* 2. *cap.* 23.

§. QUINTUS.

Artes Jeſuitica in defenſandis Romæ Novitatibus Molinæ.

TAmetſi tot ſapientibus viris novella Molinæ dogmata viderentur admodum periculoſa, Molinæ cauſam Romæ defenſandam, contra plurium ſapientiſſimorum amicorum conſilium Societas univerſa ſuſcepit: ſed dum rem ibi ex voto non cedere, in Molinæque damnationem Cenſores, Cardinales, Pontifices vergere Socii animadverterunt, nulla non arte, nullis non ſtrophis uſi ſunt, ut ſibi imminentem averterent confuſionem.

Primò, ad mentem ſuam, circa efficaciam divinæ gratiæ perſpicuè exponendam, nullis juſſionibus adduci potuerunt, ſed eam verbis adeo involutis palliaverunt, ut adverſus inſinceritatem ipſorum Prædicatores non ſemel expoſtulaverint.

Secundò, ad ſententiam clarè dicendam à Cardinale Madrutio vehementiùs admoniti, moras & diverticula quæſierunt.

Ter-

Tertiò, ut Pelagianiſmi notam evaderent, Calviniſmum Prædicatoribus objecerunt.

Quartò, dum iiſceſtrophis nihil ſe proficere conſpexerunt, Clementi VIII. ad definiendum acçincto, timorem incutere conati ſunt, timorem ubique turbarum magnarum, quæ orituræ eſſent ſi Molina damnaretur.

Quintò, Curiam Romanam, ut eam quoque deterrerent, ſuis clamoribus impleverunt.

Sextò, Thomiſtarum doctrinam perperàm expoſuerunt, ut Calviniſmi Lutheraniſmique invidiam ei crearent, Banneſioque per calumniam impoſuerunt errores ab ipſo non traditos.

Septimò, ipſammet S. Congregationem Cardinalium apud S. Pontificem calumniati ſunt, eidem Pontifici adeò moleſti, ut intimo animi dolore ipſum afficerent.

Octavò, nec ipſi Pontifici querimoniis & calumniis ſuis pepercerunt, ita ut Jeſuitas omnia audere non ſemel conqueſtus fuerit optimus Pontifex.

Nonò, in tantùm ipſi moleſti fuerunt, ut palam cum gregalibus ſuis propugnarint, de fide non eſſe, quòd Clemens VIII. ſummus eſſet Pontifex Petrique ſucceſſor.

Decimò, rumorem ſparſerunt Generale Concilium à Regibus poſtulandum, in quo de dogmatibus controverſis definiretur.

Undecimò, totam penè Europam, ſeu omnes penè Magnates & Principes illius in cauſæ ſuæ patrocinium commoverunt, Prædicatoribus nihil niſi cauſæ ſuæ æquitatem pro ſe habentibus.

Duodecimò, poſt obitum Clementis VIII. plurimum inſtiterunt & à Magnatibus inſtari procurarunt, ne cauſa ſub Paulo V. reſumeretur.

Decimotertiò, cauſâ nihilominùs reſumptâ, objectis muſcipulis ſpecioſiſque diverticulis, deciſionem ipſius partim retardare, partim etiam impedire pro viribus conati ſunt.

Decimoquartò, illi ipſi qui in facto Janſenii definiendo

do infallibilem Pontificis auctoritatem tanto nunc studio & ardore tuentur, illi, inquam, ipsi tunc in facto seu sensu Augustini vel Molinæ determinando Pontificem falli posse asseruerunt, ne se judicio victos fatercntur, damnato Molinâ.

Omnes Strophas istas certis documentis probatas sincerus lector videre poterit in Historia sæpè memorata Congregationum de Auxiliis, l. 2. cap. 6. 7. 8. 10. 11. 18. 23. 26. 27. 28. & l. 3. c. 2. 7. 44. & l. 4. cap. 1. 2. 3. 15. ubi decimaquinta etiam additur stropha de scripto, Paulo V. ab ipsis porrecto, quod de errore, fallacia, fraude & falsitate deindè notatum fuit. Quemadmodùm & l. 2. cap. 19. & 20. pro decimasexta stropha exhibentur adulterationes SS. Patrum Theologorumque ab ipsis factæ ad Molinam per fas & nefas sustinendum. Nec tamen illis strophis totque artibus impedire potuerunt, ne novitia Molinæ commenta in articulis supra quadraginta, variis in Congregationibus damnata fuerint, condemnationisque Bulla parata, tametsi ob Jesuitas è Statu Veneto propter obedientiam S. Pontifici præstitam ejectos, istius Bullæ promulgationem in aliud tempus Paulus V. distulerit, ne afflictis adderet afflictionem. Videatur eadem Historia l. 4. c. 15. & 18. & in Appendice §. 14.

Ista, Beatissime Pater, de Theoricis Sociorum novitatibus & artibus in iis sustinendis visa sunt præmittenda, ad cognoscendum Societatis in novitates pruritum. Tempus est ut à novitatibus theoricis ad practicas transeamus, artesque Jesuiticas in iis perpetuò defensandis Beatitudini vestræ sub humillima correctione, exponamus.

§. SEXTUS.

Jesuitica Novitates plusquàm mille in materia morum.

PElagianos, sicut divinæ gratiæ per Augustinum assertæ, sic & Moralis Christianæ hostes, peccatique philosophici, ac vagæ probabilitatis defensores fuisse.

Histo-

Historia sæpè dicta ostendit in Præfatione §. 5. Enimverò tanta est inter sanctissimam Augustini de gratiâ Christi, deque christianis moribus doctrinam cohærentia, ut quicumque à tutissima S. Augustini doctrina de gratia deflexerunt, à puriſſima quoque ipsius de moribus doctrina defeciſſe inveniantur, in variasque novitates & errores neglectâ venerandâ Patrum canitie abiisse, etiam primarios è Societate Doctores, Molinam, Suarez, Vasquez, Sanchez, Valentiam, Lessium &c. prout apparebit ex sequentibus, in quibus tamen non omnes novitates ipsorum exhibebuntur, sed præcipuarum pars magna duntaxat, earum Auctoribus fideliter designatis, non ut in invidiam trahantur, sed ne ipsis imponi videantur dogmata quæ nullus ipsorum asseuerit; atque ut Beatitudo vestra judicet securine sint in praxi, qui duces tam fallaces totiesque stupendum in modum infeliciter (ut plerisque sapientibus videtur) deceptos, neglectis sanctis Patribus & antiquis Doctoribus, sequuntur.

CENTURIA PRIMA

Opinionum seu propositionum novitatem laxitatemque nimiam præ se ferentium.

Propositiones de Doctrina & Probabilitate.

PROPOSITIO PRIMA. Quæ circa fidem emergunt difficultates, ex sunt à veteribus eruendæ; quæ verò circa mores homine christiano dignos à novitiis scriptoribus. *Reginaldus, atque ex ipso Cellotius de Hierarchia l. 8. c. 18.*

2. Quod Doctores docent libris impressis, velle censetur Ecclesia, si non reclamet. *Bauinus Th. Mor. tr. 6. n. 312.*

3. Hoc ipso quòd Ecclesia scit suas leges ita à multis Doctoribus explicari, & tales explicationes permittit publicè imprimi & doceri, censetur suum præceptum secundùm eas moderari. *Mascarenus. tr. 5. n. 491.*

4. Quæ

4. Quælibet probabilis opinio tutam reddit conſcientiam in operando. *Eſcobar Th. Mor. to.* 1. *l.* 2. *Sect.* 1. *c.* 2.

5. Non ſolùm tunc judico opinionem habere probabilitatem, quando ille qui eam ſuſcitavit, probabilem eſſe affirmat & probabili ratione ſuffulcit: verùm etſi doctrina adducta à Doctore, nec à ſe, nec ab alio vera eſſe affirmetur, ſed gratia ſolùm argumenti fuit inducta.... addiderim, etſi ceteri Doctores illam reprobaverint poſitivè, ſi tamen eam non eſſe ſufficienter reprobatam alteri Doctori videatur, nec argumentum pro illa doctrina adductum ſatis eſſe ſolutum, probabilem poſſe reputari. *Idem ibidem in Præfat.*

6. Auctoritas unius Doctoris pii & docti reddit opinionem probabilem.... quia non eſt leve fundamentum. *Sanchez Oper. Mor. l.* 1. *c.* 9. *n.* 6. Addens *n.* 10. *&* 11, ad id non ſufficere doctorem antiquum niſi ſequacem habeat aliquem novum.

7. Puto ſufficere unum, tametſi contra innumeros Doctores is doceat, quando eſt doctus, rem ex profeſſo tractat, firmamque pro ſe rationem habet, nec habet aliquid contra ipſum convincens. *Tamburinus, l.* 1. *in Decal. c.* 3. §. 3. *referens Azor & Vaſquez.*

8. Tametſi rationes ipſius mihi non probentur in ſeipſis, viri magni auctoritas ſatis eſt magna ratio, ut judicem rationes illius eſſe probabiles. *De Rhodes diſput.* 2. *de Act. hum. q.* 2. §. 1.

9. Si pœnitens in praxi bona fide ſequatur ſententiam quæ à quibuſdam Doctoribus tamquam probabilis & tuta defenditur, Confeſſarius verò multo adhibito ſtudio eamdem improbabilem cenſeat; non obſtante ſua perſuaſione tenetur abſolutionem conferre. *Cardinalis de Lugo diſp.* 22. *de Pœnit. ſect.* 2. *Layman. tr.* 1. *de conſc. c.* 5. §. 2.

10. Imprudenter procederet (ut Caſtro, Valentia, Vaſquez & alii notant) qui aliorum opiniones.... novas, ideò tantùm judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipſe non poſſet ſolvere, neque putaret ab aliis poſſe ſolvi. Quia perſuadere ſibi pru-

prudenter quisque debet, multas sibi rationes apparere insolubiles, quas facilè alii solvunt. *De Rhodes ibidem* §. 1. post Sanchez, Vasquez, & Sayrum. Ita etiam Tamburinus, *loco citato*, §. 4.

11. Vir doctus ab alio consultus, ipsi consilium dare potest secundùm probabilem aliorum sententiam, tametsi eam ipsi speculativè falsam esse certò sibi persuadeat. *Layman ibidem n.* 7.

12. Poterit modò juxta unam, modò juxta contrariam opinionem consulere. *Ibidem.*

13. Difficultas est, utrùm illud verum sit, etiam in materia Justitiæ, verbi gratia cùm aliquis interrogat, an teneatur ad restitutionem an non? Negat enim Valentia tunc responderi posse juxta sententiam minùs probabilem. Affirmat verò Sanchez. . . . id licitum esse in omni casu. Meliùs tamen cum distinctione respondent Vasquez, Salas. . . . Si enim eum, à quo interrogaris, obligas ad restitutionem, non potes respondere juxta sententiam minus probabilem faciendo tuam. Quando autem illum deobligas, potes respondere juxta sententiam minùs probabilem. *De Rhodes* §. 3, *n.* 6. *Tamburinus* §. 4. *n.* 15. *&* 16.

14. Distinctio de opinione in damnum alterius, & de ea quæ non est in damnum alterius, frustrà adducitur. Hoc ipso quòd opinio probabilis est, pœnitens potest illam amplecti absque culpa injustitiæ. *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disput.* 62. *c.* 7. *Azor. l.* 2. *c.* 17. *q.* 10.

15, Princeps imponens nova tributa, tenetur sequi opinionem probabiliorem; subditis autem, quoad obligationem solvendi, sufficit sequi opinionem probabilem. *Vasquez opusc. de restitut. c.* 6. §. 3. *n.* 76.

16. Quando datur opinio probabilis ex parte subditi quòd non teneatur obedire, etiamsi contraria sententia sit probabilior, licitum est subdito eam amplecti, quæ sibi gratior fuerit. *Sanchez l.* 6. *in Decal. c.* 3. *Castro Palao p.* 1. *disp.* 2. *p.* 6.

17. Subditus probabiliter opinans quòd præceptum Superioris auctoritatem excedat, obedire non tenetur. *Palao ibidem n.* 6. *Ludovicus de Scildere de consc. tr.* 2. *c.* 4. *n.* 55.

18. Princeps justè tributum imponere potest secundùm opinionem probabiliter affirmantem illud esse justum; & subditus justè potest tributum illud denegare secundùm probabilem opinionem oppositam affirmantem illud esse injustum. *Escobar Th. Mor. to. 1. l. 2. sect. 2. c. 6. problem.* 18. referens Sanchez, Lessium, Molinam, Filiutium.

19. Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ sive extrinsecâ quantùmvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. *Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. § 3. n. 3. Filiutius tr. 21. c. 4. n. 28. Amicus to. 3. disp. 15. sect. 3. n. 49. Rosmer de const. prob. q. 2. illat. 1.*

20. Satis est in omnibus casibus constare probabiliter opinionem esse probabilem. . . . Quia dum probabiliter puto hoc esse probabile, satis prudenter illud judicium in praxi sequor. *Tamburinus ibidem n. 8.* cum Salas, Vasquez & Sanchez.

21. Ut sententiam sequi possis, non est opus certò aut evidenter, sed sufficit probabiliter notse esse probabilem. *Maillot in Thesi Antverpiæ anno 1673. defensa.*

22. Universaliter tam in materia fidei, quam morum, licitum est sequi quamcumque opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam, etsi opposita sit & reputatur probabilior ac tutior. *Terillus in fundam. Th. mor. q. 23. assert. 1.* se restringens quidem ad minus probabilem, cujus practica probabilitas certa sit operanti. Verùm *q. 5. assert. 10.* certò practicè probabile dicit, quidquid vir probus & peritus non leviter nec ex passione judicat probabiliter licitum.

23. Certum planè est licitum omninò esse, in quacumque materia sequi opinionem probabilem, sive illa sit æqualiter, sive magis, sive minùs probabilis quàm opposita, sive faveat libertati adversus legem, sive legi adversus libertatem. Hæcque est sententia illa benigna inter celeberrimos omnium Graduum, Ordinum, & Nationum Doctores post annum 1500. usque ad ortum Jansenismi receptissima. *Plowdenus Jesuita Anglo-Leodiensis in Thesi defensa 26. Maji 1698.*

24. U-

24. Usus opinionis directè minùs probabilis minúsque tutæ, non solùm est licitus & ab omni peccati periculo remotus, sed subindè animarum saluti admodum opportunus. *Darellus in Thesi apud Anglo-Leodienses defensa anno 1676. conclus. 15.*

25. Unusquisque varius esse potest in actionibus suis, modò opinionem unam in praxi sequendo, modò contradictoriè oppositam, dum utraque probabilis est; hodieque unam sequi potest, v. g. tributum exigendo secundùm opinionem de justitia illius, & momento sequenti illud fraudando secundùm oppositam opinionem, quæ dicit illud esse injustum. *Tamburinus c. 3. §. 5. n. 1. 2. 3. & 21.*

26. Ille qui consulitur meliorem se geret consiliarium sæpe id consulens quod facilius & cum minori incommodo præstari potest. *Estobar in Procemio, Exam. 3. c. 6.*

27. Quæsierim an inter opiniones probabiles detur una securior ac tutior alterâ? Hoc est, an majus periculum incidendi in culpam possit inveniri, unam opinionem sectando quàm aliam? Negativè respondeo. *Estobar Th. mor. t. 1. l. 2. sect. 1. c. 2. probl. 34.*

28. Numquam periculum erit corruptionis; quandò aliquis sequetur id quod videbitur commodius, modò probabilis opinio doceat id esse licitum. *De Rhodes sect. 5. §. 2. in fin.*

29. Illud commune dictum, *In dubio tutior pars est eligenda*, ita intelligendum est, quòd tutior pars sit declinare in partem magis favorabilem. *Martinon disp. 14. de act. hum. sect. 4.*

30. Dum infidelis sibi persuasum habet, suam sectam esse probabilem, quamvis vera & catholica fides videatur ipsi probabilior, extra articulum mortis non tenetur veram & catholicam amplecti. *Sanchez l. 2. in Decal. c. 1. n. 6.*

31. Ne in mortis quidem articulo ad id tenetur, sed etiam tunc opinionem minus probabilem sequi potest. *Castro Palao tom. 1. tr. 4. disp. 1. p. 12. n. 14. Estobar tr. procem. exam. 3. c. 6. n. 30.*

32. Puer baptizatus non peccat, credendo hæresi sibi pro-

propoſitæ; & quam à parentibus doctus eſt, niſi habeat argumenta convincentia & probabilitatem excedentia de falſitate ſuæ ſectæ. Quamdiu enim probabilis eſt, non peccat eam ſequendo. *Erardus Billius tr. 3 c. 2.*

33. Hinc fit quòd multæ puellæ uſque ad vigeſimum annum vix cenſeri poſſint hæreticæ. Quis enim dicet eas non habere argumenta probabilia ſuæ ſectæ? At nemo peccat ſequens opinionem probabilem. *Idem ibidem.*

34. Judex in ferenda ſententia non tenetur ſequi opinionem quam judicat eſſe probabiliorem. *Martinon ubi ſupra ſect. 5. n. 56.* referens Salas *tr. 8. diſp. 7. ſect. 12.*

35. Si Judex reputaret utramque opinionem æque probabilem, licitè poſſet propter amicum judicare, ſecundùm illam quæ amico favet. *Valentia in 2. 2. diſp. 5. q. 7. p. 4.*

36. Poſſet etiam propter amicum, modò ſecundùm unam, modò ſecundùm alteram opinionem judicare. *Idem, ibidem*, cumque ipſo Sanchez & Filiucius.

37. Judex tam ſupremus, quàm inferior, ceteris paribus ex parte facti, poteſt judicare ſecundùm opinionem probabilem ex parte juris, relictâ probabiliore, ac proindè ferre ſententiam pro ea parte, cui minùs probabiliter favent jura, leges & rationes. *Salas ubi ſupra n. 116. & 118. Fagundez, de præcept. Eccleſ. p. 2. l. 3. c. 4. n. 1. Martinus del Rio diſquiſit. magic. l. 5. q. 1. §. Quotieſcumque. Eſcobar t. 1. l. 2 ſect. 2. c. 6. probl. 14 Martinon diſp. 14. ſect. 5. n. 56.*

38. Quid ſi alter poſſideat? Tunc, ex mea ſententia non poteſt... Dixi ex mea ſententia... nam ex bonorum Auctorum opinione poſſe video. *Idem ibidem.*

39. Tametſi quiſpiam ex principiis intrinſecis certum putet, quòd Judex in æquali utrimque probabilitate, non poſſit rem cui maluerit adjudicare; nihilominus ex principiis extrinſecis, propter bonorum Doctorum auctoritatem, aſſerentium in hoc caſu poſſe Judicem pro ſuo amico, ſi maluerit, ſententiam pronuntiare, cenſere poteſt eſſe probabile, adeoque tutum in pra-

xi.

ri, Judicem id posse. *Tamburinus ibidem.* Sic enim discurrit: „ Judex in æquali utrimque probabilitate, non „ potest, ut ego certum puto, rem cui maluerit adju- „ dicare. . . Dixi, *Ut ego certum puto* : nam propter „ extrinsecam bonorum Doctorum auctoritatem, asse- „ rentium, in hoc casu posse Judicem pro suo amico, „ si maluerit, sententiam pronuntiare, potest id ut pro- „ babile, si velit, amplecti.

4°. Hunc licitum probabilitatis usum plerique è Societate Theologi adeò extendunt, ut etiam ex illis præcipui, qui ex principiis intrinsecis & directis, videntur in nonnullis rigidè sentire, per reflexa probabilitatis principia destruant, quod per directa ædificant, per reflexa excusantes quod per directa damnarant, & per reflexa amplectentes laxas nonnullorum opiniones, quas per directa improbarant. Constat id non solùm in Tamburino proximè laudato, sed & in Suarezio Theologorum Societatis principe, qui licèt to. 4. in 3. p disp. 25. sect. 4. statuat, hominem cum sola attritione formidolosa per Sacramentum pœnitentiæ justificatum, teneri nihilominus in articulo mortis ad eliciendum divinæ dilectionis actum; addit tamen, quòd „ si contingeret ho- „ minem in eo casu mori sine actu amoris. . . & sine „ novo peccato... quia illum omisit ex probabili igno- „ rantia obligationis seu juris. . . . homo ille salvare- „ tur. . . quia tunc necessitas talis actus non est me- „ dii, sed præcepti; à cujus transgressione tunc excu- „ sabitur propter illam probabilem juris ignorantiam.

41. Id ipsum constat in Filiutio, (qui unus est ex 24. senioribus Escobarianis) qui licèt tr. 22 de præcepto fidei, spei & charit. c. 9. speciale agnoscat præceptum diligendi Deum aliquoties in vita, & in articulo mortis; num. 297. à peccato excusat omittentem tunc actum dilectionis, si ob autoritatem Azorii & Sanchesii probabiliter putet dilectionis præceptum istis temporibus non obligare. Verum enim verò an ista sit sapientia carnis conscientias pro libero dirigens, conscientiæque libertatem quamdam inducens, moralemque christianam problematicam cum Escobario faciens, *Est & non est; Licet &*

non

non licet: Peccat & non peccat: Tenetur & non tenetur: an sapientia Christi, judicet Apostolus: *An quæ cogito*, inquit, *secundum carnem cogito, ut sit apud me est & non? Fidelis autem Deus quia sermo noster. . . non est in illo* EST *&* NON. *Dei enim Filius Jesus Christus. . . non fuit* EST *&* NON, *sed* EST *in illo fuit.* 2. Cor. 1. 17.

42. Quando de Sacramentorum valore agitur, v. g. quando est probabile aliquam materiam aut formam validam esse, & est probabilius illam esse invalidam, tunc per se loquendo, si sola Sacramenti agatur reverentia, potest quilibet sequi sententiam probabilem; æquè in hac materia, sicut in aliis. Per accidens autem non licet, quando præceptum Ecclesiæ obstat vel prohibet proximi charitas. *De Rhodes loc. cit.* §. 3. *Coroll.* 6. *referens Vasquez & Sanchez.*

43. Si quis probabiliter credat se jam confessum de illo mortali, vel se non commisisse tale peccatum. . . , non tenetur ad confessionem illius, etiamsi fortè probabilius sit consensisse vel peccasse mortaliter, vel confessum non fuisse. *Dicastillo de confess. tr.* 4. *disp* 9 *dub.* 8. *n.* 134. *referens Suarez disp.* 22. *de pœnit. sect.* 9. *Sanchez, Filiutium, Baunium & Joannem de Lugo.*

44. Si non obstet Ecclesiæ usus & consuetudo recepta, & in administratione sacramenti sit varietas opinionum probabilium, sive circa materiam sive circa formam, licitum est sequi opinionem probabilem, & ex illa colligere judicium conscientiæ, quòd liceat ita administrare sacramentum, etiam pro parte minus tuta, in qua potest esse periculum efficiendi sacramentum irritum, aut effectum illius, si solam attendamus reverentiam debitam sacramento, ut dixi. *Vasquez in* 1. 2. *q.* 19. *a* 6. *Disp.* 63. *c.* 2.

45. Si is qui recipit sacramentum vult accedere cum sola attritione, (formidolosa utique) cùm posset accedere cum contritione, non fit contra charitatem ei debitam, si ei hoc modo dispositio conferatur beneficium absolutionis. *Vasquez ibidem & Sanchez*, qui tamen articulum excipit mortis.

46. Sacerdos qui probabiliter existimat sufficienti se po-

potestate præditum ad excipiendas confessiones, etiamsi probabilius existimet oppositum, talis nullo modo peccabit audiens confessiones, ut optime Suarez. *Sanchez lib.* 1. *c.* 9. *n.* 34 & 35.

47. Quamvis sacerdos ille careat jurisdictione in mortalia, quia tamen in confessionibus semper quisquam fatetur aliqua venialia cum mortalibus, mortalia cum illis indirectè & per accidens virtute illius absolutionis remittentur: atque excusabitur pœnitens ab eis iterum confitendis, ratione justæ ignorantiæ, eo quod juxta opinionem probabilem credatur vera illius sacerdotis absolutio. *Sanchez ibidem.*

48. Licitum est medico applicare medicamentum, quod putat probabile, saltem per extrinseca principia, eo omisso, quod sibi probabilius & securius videtur. *Salas suprà disp* 1. *sect.* 14. *n.* 136. *Castro Palao to* 1. *disp.* 2. *p.* 9 *n.* 8. *Escobar Th. Mer. to.* 1. *l.* 2. *sect.* 2 *c.* 6 *problem.* 31.

49. Professor docere potest probabiles opiniones, etiam prætermissis probabilioribus, secluso scandalo. *Tamburinus l.* 1. *in Decl. c.* 3 §. 4.

50. Non solùm non peccabit mortaliter talis professor, imo nec venialiter; licet enim cuique sequi sententiam probabilem. *De Rhodes q.* 2. *sect.* 3 § 3. & apud ipsum Castro contra Sanchem, qui putat id esse peccatum veniale, & Suarem, qui putat esse mortale.

51. Cuivis licitum est varios adire Doctores, donec inveniatur qui respondeat ad libitum, dummodò recta sit intentio nihil utique faciendi nisi probabiliter licitum. *Sanchez l.* 1. *in Decal. c.* 9. *n.* 4. *Castro Palao p.* 3. *n.* 6. *Escobar l.* 2. *n.* 58.

De peccatis & occasionibus peccatorum.

52. Comedere & bibere usque ad satietatem absque necessitate, ob solam voluptatem seu delectationem cibi & potus, modò non obsit valetudini nullum est peccatum, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. *Escobar. tr.* 2. *exam.* 2. *n.* 102.

53.

53. Multi graves Theologi docent non magis in vitio eſſe guſtus voluptatis ſine neceſſitate conſectari, quàm auditus, odoratus, aſpectus. *Apologia Caſuiſtarum pag.* 136.

54. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali. *Eſcobar tr.* 7. *exam* 9. *n.* 164.

55. Ornatus corporis, ſi fiat non malo fine, ſed ob naturalem faſtûs inclinationem, aliquando nullum eſt peccatum. *Eſcobar. tr.* 1. *exam.* 8. *n.* 5.

56. Non apparet cur non liceat operari præcisè propter honorem cum debita moderatione. *Burghaber centuria* 1. *caſu* 40. *ad quartum.*

57. Ambitio peccatum eſt ex genere veniale tantùm. *Eſcobar tr.* 2. *exam.* 2. *c.* 5. *n.* 56.

58. Licitum eſt concionatoribus primarias ambire cathedras ob finem perveniendi ad epiſcopatum per viam æſtimationis & meritorum. *Anonymus Jeſuita, in difficultatibus propoſitis Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Rothomagenſi.*

59. Licitum eſt quærere ſibi quodcumque Beneficium annexam habens curam animarum. *Idem ibidem.*

60. Invidia peccatum eſt, quod licèt (Auguſtino teſte) contrarium ſit charitati, ſi ſit de bono ſpirituali, mortale eſt; at de temporali, eſt tantùm veniale. Quia bonum temporale ita minutum eſt, & tam parvi præ cæleſtibus momenti, ut apud Deum & Sanctos pro nihilo pendatur. *Baunius in ſumma pag.* 123. *edit.* 6. Qui tamen alibi pro ejuſmodi bono permittit invaſorem occidere.

61. Avaritia eſt inordinatus amor divitiarum: ſolùm venialis eſt culpa. *Eſcobar loco cit. n.* 19.

62. Quodnam peccatum gula eſt? Ex genere ſuo veniale. *Idem ibidem n.* 56.

63. Sæpè cibo & potu implere ſe ad vomitum, & hunc ideò ſubindè procurans, ut iteratò comedere & bibere poſſit, non peccat mortaliter, ſecluſo ſcandalo & aliis. *Burghaber caſu* 64.

64. Quæres, quomodo ſit theologicè deſcribenda ebrietas?

brietas? Respondeo, hoc modo: ebrietas est excessus in potu inebriante voluptatis causâ, donec rationis usus adimatur.... Unde, propriè, formaliter & theologicè loquendo non est ebrius, qui ob aliam causam, quàm ob voluptatem, privavit se ratione per potum.... *Gobat. to. 3. tr. 5. c. 5. sect. 2.*

65. Hinc refutatur Sylvius, qui negat in definitione ebrietatis necessariò ponendas esse illas duas particulas, *voluptatis causâ*, sed illum propriè & theologicè esse ebrium, qui potavit voluntariè usque ad privationem usus rationis, sive interim, quod potando quæsivit, sit delectatio, sive amici complacentia, sive è morte quæ ipsi intentatur, evasio, sive aliquid aliud. *Ibidem.*

66. Ad valetudinem conservandam, & recuperandam, fas est vino sopire rationem, ut explicabo infrà; cur non etiam ad effugiendum grave fustuarium? *Ibidem c. 18. sect. 1. n. 9.*

67. Infero illum non peccaturum mortaliter contra sobrietatem, qui se voluntariè inebriaret, sciens sibi suppetere pulverem, quo sumpto rediturus sit ad rationem, infra breviculum tempus. *Ibidem c. 6. n. 41.*

68. Non est peccatum inebriare se ex præscripto medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit. *Busembaum l. 5. de peccat. c. 3. dub. 5. a. 2.*

69. Nec est peccatum si quis ad id cogatur intento ense. *Idem ibidem*, referens Lessium; Azorium, Reginaldum, Baldellum.

70. Si grande malum non possit aliter impediri, nisi author inebrietur, est licitum eum inducere ad ebrietatem, saltem quæ non sit ipsi voluntaria. *Ibidem.*

71. An verò liceat etiam ad voluntariam? Dubium est. Lessius affirmat: Layman rectiùs negat.

72. Sunt excusandi caupones, quando volentibus se inebriare affatim vinum præbent, ideo quod timeant probabiliter, ne ab iis afficiantur contumeliis, si negent: aut quando timent, ne, morosè negando, minuatur numerus & affluxus hospitum. *Gobat loco cit. c. 13. sect. 5. n. 47.*

73. Eventus mali qui accidunt in ebrietate communiter

niter ſunt à caſu, & ita non debet homo eos præcaveſ re. *Vaſquez in* 1, 2, *diſp.* 127. *c.* 3. *n.* 9.

74. Multa dicta & facta ebriorum non reputantur peccata, quæ alioquin eſſent.... Qualia ſunt dicta vel facta contumeliæ ex quibus non ſequitur ullum detrimentum... ſicut & alia peccata quæ poſtulant ſcienter fieri, ut imputentur. Hujuſmodi eſt peccatum blaſphemiæ, infidelitatis & perjurii. *Idem ibidem. n.* 11.

75. Etiamſi eventus ſoleant eſſe frequentes ei qui inebriatur, ſi tamen tempore quo inebriari voluit, non habuit ullum dubium aut cogitationem de illis, nec in ſpecie, nec in genere, minimè imputantur culpæ: quia procedunt ex quadam inadvertentia naturali, ac proindè, nec in ſe, nec in ſua cauſa liberi ſunt. *Sanchez l.* 1. *in Decal. c.* 16. *n.* 42. referens Vaſquez.

76. Tres ſunt ſententiæ de peccatis in ebrietate commiſſis.

Prima, cenſeri peccata, non in ſe propriè loquendo, ſed in ſua cauſa.

Secunda, eſſe peccata in ſe, non tamen diſtincta malitia à malitia ſuæ cauſæ, ſed dici peccata denominatione & imputabilitate extrinſeca, quam contrahunt ex præterita negligentia voluntaria.

Tertia non eſſe peccata, etiam denominatione extrinſecâ.... ſed eſſe ſolùm quoſdam voluntatis præcedentis effectus: undè infert Vaſquez non eſſe neceſſarium exprimere in confeſſione ea peccata, ſed ſatis eſſe exprimere cauſam datam non opponendo diligentiam ad ea præcavenda, cùm prævisa fuerunt. Omnes has tres ſententias cenſeo ſatis probabiles, & tutò amplecti poſſe. *Sanchez. n.* 45. *& ſeqq.*

77. Quòd ſi, cùm inebriari vult, advertat peccata & pericula indè conſurgentia, tunc imputabuntur culpæ, ſi non adhibeat prudentem & cautam diligentiam, ne aliquid eorum eveniat; eâ autem adhibitâ, etſi poſteà eveniant minimè imputabuntur. Nec ſimiliter imputabuntur, quando juxta temporis & loci circumſtantias nullum apparet periculum, & ideò nulla diligentia ad id cavendum allata eſt. *Sanchez ibidem n.* 42. *cum Vaſquez c.* 3. *n.* 8. 9. 10.

78.

78. Quamvis ebrietas sit mortalis, si negligentia vitandi fuit levis, erunt venialia, ut benè docet Leonardus Lessius lib. 4. de just. cap 3. *Sanchez loco cit.*

79. Fateor rarò contingere ut quis .. specialiter acediæ peccato delinquat. *Escobar tr. 2. exam. 2. num. 105.*

80. Sodomia ex suo genere minus peccatum est furto triginta regalium. *Vasquez in 1. 2. q. 72. a. 4. §. ult. Amadæus Guimenius tr. de peccat. propos 12. & in libello supplici ad S. Congreg. c. 2. § 3.*

81. Per se, atque ut communiter sit, ebrietas est gravior fornicatione. *Steyartius in respons. ad art. sibi objectos a. 8.*

82. Habens voluntatem peccata omnia venialia committendi, non peccat mortaliter. *Granadus 1. 2. controvers. 6. tr. 2. disp. 2. sect. 7.* & probabile censet Escobar *Th. Mor. l. 3. p. 83*

83. Clericus recitans horas de præcepto in peccato mortali, & cum proposito actuali peccandi mortaliter, non peccat. Quia voluntas colendi Deum stat cum isto proposito. *Sanchez op. Mor l 7 c. 2 dub. 9.*

84. Herus & ancilla necessariò separandi non sunt, si lapsus ipsorum penè quotidiani non sint, sed semel & iterum singulis mensibus simul peccent, nec ab invicem sine gravi detrimento disjungi possint. *Bauinus in summa Gallica. pag. 1082.*

85. Etiamsi peccandi occasio sit quasi certa, non est necessariò deserenda, si pœnitens eam deserere non possit, quin sermonem populo det, & incommodi aliquid accipiat. Quia præceptum deserendi non obligat in casu talis necessitatis. *Ibidem n. 1083 & 1084.*

86. Quando justæ & rationabiles causæ non tollendi prædictam occasionem (proximam) subsistunt, etiamsi sæpe reincidat pœnitens, non cogendus est illam tollere occasionem, v. g dum tolli non potest absque gravi damno, in fama, vel pecunia. *Dicastillo tr. 8. de pœnit. disp. 10. dub. 23. cum Suarez, Sanchez, Salas, Palao, Lugo &c.*

87. Docent Theologi, non esse dimittendam pro-

feſſionem, in qua periculum eſt Deum ſæpius offendendi, animamque ſuam perdendi, ſi profeſſio illa facilè dimitti non poſſit. *Apologia Caſuiſtarum pag.* 48.

88. Cauſam juſtam non deferendi proximam occaſionem, Suarez, Sanchez, Lugo, Arriaga & alii apud Boſco de pœnit. diſp. 7. q. 272. eſſe cenſent, quando deſeri non poteſt abſque gravi damno, ſpirituali vel temporali, v. g. (uti Baunius exemplificat Th. Mor. tr. 4. de pœnit. q. 14. n. 93.) abſque gravi damno in fama, honore, pecunia.

89. Eam deſerere compellendus non eſt famulus, qui manet apud hæreticum, in occaſione proxima tranſgrediendi Eccleſiæ præcepta, vel adhærendi damnatis hæreticorum dogmatibus, neceſſitate compulſus, ob defectum alterius conditionis, ſeu famulitii. *Apologia Caſuiſtarum pag.* 48.

90. Eorum ego lubens ſubſcribo ſententiæ qui aiunt poſſe omnes ad infideles expeditionem facere, ut converſioni earum dent operam, cum manifeſto peccandi periculo. *Baunius.*

91. Licere item ſingulis lupanar ingredi, ad odium peccati ingenerandum meretricibus; etſi metus ſit, ac verò etiam veriſimilitudo non parva, eos peccaturos; eo quòd malo ſuo ſæpè ſunt experti, blandis ſe mulierculorum ſermonibus ac illecebris flecti ſolitos ad libidinem. *Baunius Th. Mor. p.* 1. *tr.* 4. *de pœnit. q.* 14. *referens Caſtro Palaum & Salas.*

92. Sequitur ex dictis abſolvi poſſe fœminam, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpè peccat, ſi eum honeſtè inde non poteſt ejicere, aut cauſam aliquam habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat ſe cum eo amplius non peccaturam. *Ibidem n.* 94.

93. Excuſamus fratrem habitantem.... in eadem domo parentum cum ſorore, licèt habitatio illis fortè ſit cauſa peccandi: quia ejuſmodi occaſio.... non eſt voluntarie aſſumpta. *Tamburinus l.* 3. *c.* 1. § 5. *n.* 4.

94. Cauſæ juſtæ excuſantes eos qui verſantur in occaſione proxima patiendi pollutionem, eæ illæ ſunt, quæ bona fide apparent neceſſariæ, utiles, imò & commodæ

modæ corpori, vel animæ, etiam ubi nec neceſſitas, nec utilitas adeſt. *Idem l. 7. c. 3. §. 5. n. 52.*

95. Si pœnitens nolit deſerere occaſionem proximam, v. g. famulus, dum conductus eſt, familiam in qua peccat cum domeſtica; caupo, qui conſuetudinem habet ſe inebriandi &c, poteſt abſolvi. Quia licitum eſt juſta de cauſa, prout in his caſibus, exponere ſe occaſioni peccandi proximæ, dummodo abſit voluntas peccandi. *Franciſcus Jacops è Soc. Jeſu S. Th. Duaci Profeſſor, in q. Theolog. An & quando neganda ſit, aut differenda abſolutio.*

96. Si occaſio proxima peccandi deſeri nequeat abſque jactura temporali notabili, prout nequeunt caupo, auriga, chirurgus, qui peccare ſolent in ſua arte, nec aliam noverunt; ſi nulla ſit emendatio, & bis terve abſolutio ipſis in eo ſtatu conceſſa fuerit, nonnulli dicunt etiam in hoc caſu ſemper abſolvendos, nec cogendos ad deſerendam occaſionem proximam. Quia ſi dolor appareat efficax, recuſatio qua nolunt vitare occaſionem proximam, non videtur contraria huic dolori; quandoquidem manere in tali occaſione non ſit per ſe peccatum. Aliàs ne quidem licitum fuiſſet manere vel prima vice. *Idem ibidem.*

97. Si concubinus nequeat dimittere ſuam concubinam ſine jactura centum aureorum, ſeu ducatorum, poterit Confeſſarius pro re nata amplecti ſententiam Joannis Sancii, abſolutè ſcribentis, illum qui ſuæ concubinæ dedit mutuos centum aureos, eos, ſi dimittat, non recepturus, haud teneri eam dimittere. *Gobat de pœnit. tr. 7. n. 532.*

98. Vel ſequi poterit ſententiam Oviedi, eam doctrinam ſolùm admittentis reſpectu hominis habentis tantùm neceſſaria ad parcè vivendum; non autem reſpectu mediocriter divitis. *Ibidem.*

99. Fas eſt permanere in occaſione proxima (id eſt in qua conſtitutus certò moraliter quis eſt peccaturus, novo peccato mortali, prout explicat n. 525.) ſeu etiam adire occaſionem proximam, quando grave.... malum corporis, honoris aut fortunarum aliàs foret perferendum. *Ibidem n. 529.*

100. Gravi ex causa potest quis se committere moraliter certo periculo peccandi. *Gobat to. 3. tr. 5. c. 45. n. 49.*

CENTURIA SECUNDA.

De peccatis ignorantiæ, inadvertentiæ & consuetudinis pravæ.

101. AD peccandum formaliter, necessaria est actualis reflexio, seu advertentia & cogitatio, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus de malitia actionis. *Vasquez in* 1. 2. *disp.* 123. *c.* 2. sequaces habens Suarezium, Lessium, Sanchem, Salas, Granadum, Filiutium, Tannerum, Amicum, Castro-Palaum, Card. de Lugo, Arriagam, Oviedum, Baunium, Hurtadum, Comptonum, Terillum, & omnes penè Societatis Scriptores.

102. Quidam dicunt sufficere advertentiam virtualem, seu interpretativam, ut ignorantia & inadvertentia, seu oblivio censeatur vincibilis, non apposita diligentia ad ea vincenda, nec excuset à præcepti transgressione. Appellant autem considerationem virtualem, quoties, etsi ratio actu non consideravit malitiam objecti, potuit tamen morali potentiâ & debuit malitiam objecti considerare. At probabilius existimo, ad ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivionem, sive juris, sive facti, censenda invincibilia, sufficere ut nulla notitia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio in universum, aut particulariter occurrat. *Sanchez l.* 1. *Decal. c.* 16.

103. Quare nullum peccatum mortale in voluntatis consensu censeo, nisi cogitatio aliqua præcesserit & consideratio expressa (quam actualem vocant) malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio vel scrupulus.... Quòd si nihil horum præcesserit, ignorantia, inadvertentia seu oblivio censentur omninò naturalia & invincibilia. Et sic.... non satis est cognitio illa virtualis seu interpretativa. *Sanchez ibidem*, referens

ferens Suarezium & Vasquezium (duo Societatis lumiaria magna) quos sequuntur *Layman l. 1. tr. c. 4. n. 6. Filiutius tr. 21. c. 2. n. 371. & 376. Martinon tr. 2. disp. 21. sect. 2. n. 14. Escobar in princip. Th. Mor. tr. 1. exam. 2. c. 6. & tr. 2. exam. 1. c. 3. n. 8. Tellius de Reg. Mor. q. 63. n. 11.* (quem sequuntur Jesuitæ Anglo-Leodienses passim, uti demonstrat Denuntiator doctrinæ ipsorum) *De Rhodes disp. 2. de peccat. q. 1. sect. 1. §. 2.*

104. Ignorantia censetur invincibilis atque ita excusans à peccato ex ea commisso, quando ignoranti nulla subit actualis advertentiæ vel considerationis ejus auferendæ. *Vasquez loco citato.*

105. Itaque etiamsi initio causam culpabilem ignorantiæ dederim, si periculum non adverti illius incurrendæ. *Ibidem n. 30. & 31.*

106. Nec obest quòd qui incipit v. g. legere librum hæreticum, animadvertens & cogitans actu esse hæreticum, videatur peccare toto tempore quo legit; isto in decursu non cogitet esse hæreticum: & proindenon adsit actualis libertas respectu lectionis ut malæ, licèt adsit respectu lectionis ut est lectio. Rectè enim negat Card. de Lugo disp. 16. de pœnit. sect. 9. n. 460. totam illam actionem esse peccatum mortale, sed tantùm secundùm illas partes, secundùm quas habuit advertentiam, adeoque libertatem. *Gobat tr. 6. de pœnit. n. 356.*

107. Consensus voluntatis in objectum malum, quantumvis longo tempore duret, non est peccatum mortale, nisi præcesserit actualis cogitatio malitiæ mortalis. *Vasquez loc. cit. disp. 107. n. 3.* Et debet actualis illa cogitatio durare toto tempore quo durat consensus mortalis, uti proximè dixerunt Lugo & Gobat.

108. Numquam fit peccatum sine conscientiæ reprehensione ex parte intellectus, quæ consistit in cognitione mali aut periculi; licèt sæpiùs fiat peccatum sine timore & cruciatu conscientiæ ex parte voluntatis; quando videlicet quis ex prava consuetudine peccans, non terretur à peccatis. *Idem ibidem ad 3. object.*

109. Peccatum contra legem nullum admittimus, si non sit contra conscientiam, saltem dubiam & inquietam. *P. de Reux in Thesi quam in Collegio Lovaniensi Societatis Jesu opposuit Thesi Steyartianæ de peccat. ignorant.*

110. Conscientia circa peccatum intrepida (id est quâ quis absque formidine credit se non peccare) excusat à peccato. *Thesis in Collegio Aquensi Societ. coram Parlamento defensa die 4. Julii 1686.*

111. Si homines perditi, consummataque malitiæ peccatores omni careant lumine cognitioneque malitiæ, dum blasphemant, suisque dissolutionibus se totos dedunt, contendo cum Theologis, ipsos actionibus istis non peccare, quæ brutis animalibus magis propriæ sunt, quàm hominibus. Absque libertate namque non est peccatum. Ad hoc verò ut libertas adsit, adesse oportet notitiam bonitatis & malitiæ, quæ in proposito continetur objecto. *Apologia Calvinistarum pag.* 38.

112. Gratiâ verè ac plenè sufficiente nemo caret, dum peccat: alioquin non peccare non posset. Et hoc de fide est. Illa autem in motione interiore vel cordis vel mentis posita est. Sine omni proinde cognitione peccati non est: aliàs peccatum ut tale vitare homo non posset (cùm fieri nequeat ut quis aliquid ut malum fugiat nisi malum esse cognoscat) necessariò proinde peccaret: quod hæreticum est. *Honoratus Fabri in Apologet. Societ. p. 1. pag. 251. edit. Lugdun.*

113. Quisquis absque ulla oppositi formidine, vel advertentia ad ullam malitiam, judicat actionem non esse malam, non peccat eam ponendo, sivè id judicet evidenter, sivè tantùm probabiliter, sivè verè, sive falsò, solidâ vel non solidâ ratione. *P. Maillot in Thesi anno* 1673. *defensa, in Collegio Antverp. Societ. concluſ.* 8.

114. Ignorantia est invincibilis, à peccato proindè excusans, quandocumque adhibitâ diligentiâ, malitia actionis certò non innotescit, quandocumque proindè probabile est (probabilitate certâ, licèt minore) actionem non esse malam nec prohibitam, licèt prohibitam esse

esse probabilius appareat. *Terillus de Reg. Mor. q.* 2. *n.* 138. *&* 140. *& q.* 67. *n.* 28. *& in fundam. Th. mor. q.* 16. *n.* 3. *&* 4. cumque ipso omnes Probabilistæ.

115. Non superatur ignorantia legis per apprehensiones, aut per motiva probabilia, aut etiam per judicium incertum de illius existentia, sed solùm per hoc quòd certò moraliter innotescat. *Idem citato n.* 140.

116. Si præsens inconsideratio sit effectus negligentiæ prioris, tunc quidem non negamus, tam ipsam inconsiderationem, quàm opus ex illa causatum, esse effectus peccati; &, si velis, esse & denominari peccata; sed nullam propriam imputabilitatem habent. *Idem q.* 63. *n.* 11.

117. Ignorantia à peccato inducta non est voluntaria, nequidem indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda, deque obligatione eam depellendi præcesserit. *Idem q.* 62. *n.* 17. *& q.* 65. *n.* 13.

118. Mala, quæ ab ignorantia per peccatum inducta, absque actuali malitiæ advertentia proveniunt, non solùm non sunt ratione sui mala & imputabilia, sed nec ratione illius ignorantiæ. Quia nec ignorantia illa, nec mala ab illa provenientia; ullatenus fuerunt voluntaria. *Ibidem n.* 47.

119. Fatemur enim ignorantiam sæpè esse voluntariam, adeoque imputabilem; sed eam non aliter voluntariam esse admittimus, quàm si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit. *Ibidem n.* 13.

120. Si Clericus beneficiarius, ludo, aut amoribus impudicis implicatus, horarum recitationem omittat ex oblivione proveniente ex nimia illa implicatione, eoque in statu nullo modo reflectat ad obligationem recitandi horas, nec de illa cogitet, nec prævideat periculum incogitantiam illam incurrendi, dicendum est, eam incogitantiam hic & nunc naturalem esse ac necessariam, non liberam & humanam; ideoque verè esse invincibilem ac inimputabilem. *Idem q.* 67. *n.* 14.

121. Actus conformis dictamini conscientiæ vincibiliter errantis, adeoque peccatum ignorantiæ vincibi-

lis, si non sit simul peccatum malitiæ, nullam habet rationem peccati sibi intrinsecam, sed solùm denominatur peccatum à malitia voluntatis, per quam error aut ignorantia contracta fuit, ut si quis temerè crederet se debere hic & nunc jurare falsum, ad mortem evitandam. *Idem in fundam. th. mor. q. 17. n. 31. & 32.*

122. Actus proinde ille unicam contrahit malitiam, non voluntatis consequentis dictamen erroneum, sed voluntatis ignorandi legem, prohibentem jurare falsum. Sola namque ista voluntas est contemptiva divinæ legis; non autem voluntas jurandi falsum, sive conformandi se conscientiæ erroneæ, dictanti hìc & nunc jurandum esse falsum; utpote quæ tendit in illud quod conscientia dictat esse Deo gratum, & ab ipso hìc & nunc esse præceptum. *Idem ibidem.*

123. Qui in die dominica, quando Parochus admonet de festis & jejuniis hebdomadæ, omittit ire ad audiendum sacrum culpabiliter, ut scilicet ludo vel somno indulgeat; & quia ad Ecclesiam non ivit, non habet notitiam jejunii in ea hebdomada occurrentis, & propter hanc ignorantiam vescitur carnibus ea die, quibus cum scientia jejunii non vesceretur, habet ignorantiam jejunii peccato inductam, & tamen vescendo carnibus eo die non peccat. *Petrus Oxea, tract. morali de Fide disp. 1. sect. 1.*

124. Christianus adeo suæ salutis negligens, ut ad audienda mysteria fidei ad Ecclesiam nunquam accedat, & ideo solùm novit se esse Christianum, & solùm credit in genere omnia quæ credit Ecclesia, & præterea nullam aliam rem fidei explicitè cognoscit, habet invincibilem ignorantiam rerum credendarum. *Idem ibidem Sect. 2.*

125. Qui nullam de Deo, vel peccatis, cognitionem habet... nullam hic habet gratiam actualem. Certum proinde est, quòd actus præceptos tunc omittendo, vel prohibitos committendo, nullum ab ipso peccatum committatur, nec, si damnetur, propterea damnari possit. *Annatus postremo in Arnaldum libro.*

126. Principia aliqua universalia legis naturæ, ut

sunt

sunt hæc, non esse furandum, occidendum, adulterandum, Deum esse colendum, parentes honorandos, & similia, etsi non possint ignorari invincibiliter toto humanæ vitæ tempore, possunt tamen aliquo brevi, imò etiam satis longo. *Meratus tr. de peccat. disp. 9. sect. 7.*

127. Multa principia juris naturæ multi omninò invincibiliter ignorare possunt. *De Rhodes disp. 2. de pecc.* loquens de fidelibus & infidelibus.

128. Decalogi præcepta majori ex parte possunt diù invincibiliter ignorari. *Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 33. cum Vasquez.*

129. Fornicatio quidem est peccatum, sed dari potest de eo invincibilis ignorantia. *Escobar tr. 1. exam. 8. c. 3. n. 49. cum Tamero:*

130. Si nullus unquam scrupulus animum alicujus pupugerit de malitia pollutionis, ignorantia illius dici potest invincibilis, nec opus à taliter ignorante perpetratum ad culpam imputari potest. *Terillus in Reg. mor. q. 62. n. 17.*

131. Idololatria potest, ad aliquod saltem tempus, per ignorantiam invincibilem in aliquo homine rudiore excusari. *Valentia.*

132. Difficultas est, an invincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum esse peccatum, excusetur à culpa actum solum internum admittens; ut si Rusticus à viro existimato docto & pio audisset, fornicationem & furtum externa esse peccata, at licere fornicandi & furandi desiderium? Quibusdam neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minimè excusare.... At quamvis hoc probabile sit, probabilius tamen credo, illum actum internum excusari omnino à malitia, ratione illius ignorantiæ invincibilis. *Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 16. & 17.*

133. Respondeo certum esse, quòd non peccaret Rusticus, qui existimans invincibiliter peccatum esse interficere hostem, non autem peccatum esse desiderare interius illum occidere, desideraret tamen, & vellet occidere, nemo enim peccat, nisi quando judicat se peccare. *De Rhodes disp. 2. q. 1. sect. 1. §. 2.*

134. Nihil enim Deus, nisi mediâ præcipit conscientiâ. Unde nec mendacium vetat, quando conscientia judicabit illud non vetari. *Ibidem q. 2. sect. 2.*

135. Qui hominem occideret, conscius se malè facere, sed non existimans grande malum esse quod facit, non committeret nisi veniale peccatum. *Ibidem sect. 1. §. 2.*

136. Si quis adulterium committeret vel homicidium, cognoscens quidem ista esse gravia peccata, sed id cognoscens leviter & modo imperfecto, solùm peccaret venialiter. *Ibidem.*

137. Ad peccatum mortale requiritur plena seu perfecta consideratio malitiæ mortalis; per judicium de tali malitia, vel periculo illius. *Amicus to. 3. disp. 17. sect. 8. Martinon disp. 21. de pecc. sect. 2. n. 11.*

138. Existimans, in fide authoris gravis, desiderium adulterandi non esse peccatum, licèt sciret adulterium esse peccatum gravissimum, non peccaret desiderando. *Sanchez ubi suprà.*

139. Qui agit dubitans esse mortale quod agit, si non reflectat esse mortale, cum tali dubio agens excusatur à mortali. *Ibidem n. 18.*

140. Qui actionem, quam scit esse mortalem (v. g. homicidium) alteri præcipit ex ignorantia invincibili (id est absque reflexione, quod malum sit eam præcipere) non peccat. *Ibidem n. 19.*

141. Ab omni peccato excusatur, qui bona fide & absque hæsitatione existimans licitam esse fornicationem ad salvandam vitam, eam taliter committit. *Ibidem c. 17. n. 17.*

142. Talis à mortali excusaretur, si eam committeret leviter de eo dubitans. *Ibidem.*

143. Ex conscientia erronea credens invincibiliter actionem (ex se malam) esse bonam, v. g. mendacium vel homicidium, ad sublevandam proximo miseriam, non facit hìc & nunc actionem malam, sed bonam, & apud Deum meritoriam. *Sanchez l. 1. c. 11. n. 17. De Rhodes disp. 2. de act. hum. q. 2. sect. 2. J. Baptista Taverne p. 1. tr. 2. c. 2. q. 1.*

144. Si

144. Si ignorantia, olim vincibilis & voluntaria, evadat poſtea invincibilis, (quia jàm non eſt à quo ignorans inſtrui poſſit &c.) opus ex tali ignorantia factum eſt malum & imputabile, ſed non habet peculiarem malitiam moralem, aut imputabilitatem ſuperadditam malitiæ actus voluntatis, in quo directè vel indirectè fuit volitum. *Terillus q.* 63 *n.* 5.

145. Rarò vel nunquam tenetur homo ſe præparare ad gratiam, ut ignorantiam tollat. *Filiutius to.* 2. *tr.* 21. *c.* 10. *n.* 372.

146. Tam rudes & inculti eſſe poſſunt aliqui homines, ut invincibilis Dei ignorantia, longo etiam tempore, in iis contingere poſſit, etiam poſitiva (id eſt poſitiva exiſtimatio quòd Deus non ſit) ex prava Doctoris athei inſtructione. *Molina* 1. *p. q.* 2. *a.* 1. *Iſquierdo diſp.* 1. *de Deo n.* 165. *&* 172. *Quiros diſp.* 14. *n.* 58. *Arriaga diſp.* 2. *ſect.* 3. *Martinon diſp.* 15. *de pecc. ſect.* 12. *n.* 117.

147. Porro ea ignoratione excuſabuntur à peccato infidelitatis, atheiſmi, & quòd Deum non colant, nec honorem ei debitum exhibeant. *Idem ibidem.*

148. Talis homo taliter ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamſi alium occidat & putet ſe malè facere, nec ideò promerebitur pœnam æternam. . . . Nam ratio promerendi pœnam æternam ſolùm deſumitur ex eo quòd aliquis homo ſaltem in confuſo noſcat ſe offendere Deum ſummum. *Arriaga ibidem in reſponſ. ad ult. object.* Et peccatum quantumvis graviter rationi repugnans commiſſum ab invincibiliter ignorante, vel inculpabiliter non advertente Deum eſſe, aut peccatis offendi, non eſt mortale. *Darellus in Theſi apud Anglo-Leodienſes defenſa* 20. *Junii* 1691.

149. Sicut actus humanus numquam eſt malus, ſublatâ cognitione malitiæ, ſic numquam eſt offenſa Dei, ſi non cognoſcatur eſſe offenſa Dei. *Muſnierus* (Auctor famoſæ Theſeos Divionenſis anni 1686.) *in dictatis prælectis in Collegio Divionenſi Soc. Jeſu.*

150. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ

rationi; Theologicum verò & mortale, est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave, in eo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. *Idem in famosa illa Thesi concluf. 1.*

151. Si quis adulterium vel homicidium perpetraverit non cogitando de Deo, non imputabitur operanti quòd offenderit Deum, sed quòd occiderit, vel mœchatus fuerit, nec Deus indignabitur quòd ipsum offenderit, sed propter homicidium vel mœchiam; quæ potest dici offensa materialis, ut distinguitur ab illa alia, quæ potest dici formalis, quatenus contrahit formaliter malitiam offensionis divinæ. *Cardinalis de Lugo disp. 5. de Incarn. sect. 5.*

152. Arriaga loco citato, cùm sibi objecisset: Ergo talis homo, ignorans Deum, non peccabit mortaliter, etiamsi alium occidat, & putet se malè facere. Nam peccatum mortale definitur communiter, *Dictum, factum vel concupitum contra legem æternam Dei.* Ille autem legem æternam ignorat. Respondet: talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam, sed temporalem gravem. . . . . Nam ratio promerendi pœnam æternam solùm desumitur ex eo quòd aliquis homo, saltem in confuso, noscat se offendere Deum summum; quod in ignorante non reperitur. Nec inconveniens est, in tali concedere eam actionem non esse pœna æterna dignam, ex ignorantia illa invincibili. Ita etiam P. *Estrix in Thesi defensa Lovanii 23. Julii* 1668.

153. Mortale theologicum. . . . non alia causâ pœnam meretur æternam, quàm quòd sit malitiæ infinitæ. Malitiam verò infinitam ex eo habet, quòd sit gravis formalis offensio personæ dignitatis infinitæ, cognitæ quà talis. *P. de Jonghe in Thesi defensa ibidem* 1671. inde concludens mortale theologicum sine illa cognitione non reperiri.

154. Peccatum, quantumvis rationi graviter repugnans,

grans, commissum ab invincibiliter ignorante, aut non advertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale. Cùm enim nullum, etiam virtualem & implicitum Dei contemptum includat, stare potest cum charitate perfecta & amicitia Divina. Unde tale peccatum esset quidem grave gravitate philosophica. . . . non tamen theologica, consistente in repugnantia cum lege & bonitate divina. *Platelius in Synopsi. Curs. Theol. p. 2. c. 3. §. 3. n. 189.*

155. Ex optimorum Theologorum doctrina nullum peccatum theologicum, quo scilicet aliquo modo separamur à fine ultimo, & meremur pœnas illas horrendas damni & sensus, committi potest cum invincibili Dei ignorantia, imò nec absque actuali cognitione per quam infinita Dei bonitas & majestas, aut explicitè, aut certè, sub terminis cum clariore ejus conceptu convertibilibus, implicitè nobis innotescat. *Terillus de conse. prob. q. 11.*

156 Licèt convenientia & disconvenientia actionis cum natura rationali, quà rationalis est, sæpe innotescat antequam quidquam sciamus de divina voluntate. . . . nihilominus hæc convenientia aut disconvenientia. . . est solùm regula . . . refundens in actionem honestatem aut turpitudinem philosophicam, non theologicam. *Ibidem n. 9.*

157. Multi peccant agendo contra rationem, qui finem ultimum sibi nunquam proposuerunt, aut de illo actu non cogitant, neque advertunt se à fine deflectere. *Martinon disp. 15. de peccatis sect. 11. n. 102.* inde peccatum inferens philosophicum.

158. Non apparet cur sine culpa non possit actualiter ignorari aliquando Deus, & non cogitari quòd supra rationem humanam sit alia ratio: nam hæc cogitatio non est simpliciter necessaria. *Idem sect. 12.*

159. Deinde quando cognosceretur actu ratio supra rationem homini, tamen non apparet quòd nullus possit ignorare aliquando sine culpa, vel non advertere in aliquo suo actu providentiam divinam, & curam hominum talem, ut contra illius voluntatem agatur, quid-

quid

quid agitur contra rationem humanam. Etenim intellectus humanus eſt valde limitatus & exiguus, facilé-que circa pauca, & circa rem unam penitus occupatus. Neque rationes illæ ſunt adeo connexæ, ut conceptâ unâ concipiatur neceſſariò altera. *Idem ibidem.*

160. Ex his quinquaginta Societatis Theologi, relati in Libro cui titulus: *Philoſophiſta, ſeu excerpta ex libris, Theſibus, Dictatis Theologicis &c.* inferunt peccatum philoſophicum non eſſe caſum metaphyſicum, ſed poſſibilem, imò & de facto exiſtentem.

161. Etenimvero (præter alios) peccati philoſophici dogma, velut caſum practicè contingentem tradiderunt P. Bechefer, P. Beguin, P. Andrii, P. de S. Ligier, P. Beon, P. Surre, P. Regis &c. in diverſis reſpective collegiis, Remenſi, Lugdunenſi, Maſſilienſi, Cameracenſi, Dolenſi &c. uti demonſtratur in quinta peccati philoſophici Denuntiatione, & in libro proximè memorato.

162. Perſpicua ſunt verba P. Beon S. Th. Profeſſoris in Collegio Maſſilienſi, in Dictatis anni 1689. „ Dico „ 1o. in omni peccato, etiam materiali, reperitur of-„ fenſa Dei, quæ in eo eſt, quòd fiat actio diſplicens „ Deo, quæ offenſa ſi advertitur, evadit formalis. Hic „ jam quæritur, utrùm aliquando offenſa non fiat for-„ malis, ſeu utrùm detur de facto aliquando peccatum „ philoſophicum, hoc eſt actus pravus, & de ſe diſpli-„ cens Deo, ita tamen ut diſplicentia ignoretur, ſive „ quia ignoratur Deus, ſive quia ignoratur quod pec-„ catum ei diſpliceat, ſive denique quod non attenda-„ tur & conſideretur ipſa diſplicentia? Ego dico 1o. „ poſſe contingere ex triplici illo capite, ut non evadat „ offenſa formalis, fiatque tantùm peccatum philoſo-„ phicum, non pertingens ad malitiam theologicam.

„ 163. Dico 2o. inter Chriſtianos adultos reipſa non „ dari philoſophicum tantùm; non eſſe tamen cur ne-„ getur dari in aliquibus hominibus, puta pueris, ru-„ dibus, Sylvicolis, Barbaris &c.

„ 164. Peccatum etiam philoſophicum Arriaga diſp. „ 2. de Deo ſect. 6. admittere videtur in ignorante

„ Deum

„ Deum vincibiliter, ſed inculpatè.“ Talem quippe Dei ignorantiam admittit hiſce verbis: „ Ignorans vincibi„ liter Deum eſſe, à peccato nihilominus excuſari po„ teſt, etiamſi ſuboriatur ei dubium de Deo, omittat„ que inquirere. Ratio eſt, quia multæ ſunt res, de „ quibus mihi occurrit ratio dubii, non tamen pecco, „ non ulteriùs inquirendo. Sunt enim res, quarum „ mea non intereſt, & de his non teneor ampliùs in„ quirere, ut per ſe patet.“ Obſtupeſce, Lector, hoc à Theologo Chriſtiano ad Dei exiſtentiam extendi, quaſi hominis non interſit, orto de ea dubio, de ea inquirere. Pergit enim: „ Quo poſito etiamſi aliquod du„ bium ſuboriatur in multis barbaris, an ſit aliqua cau„ ſa v. g. quæ produxit cœlos“ (in margine habetur, *dubia barbarorum de Deo*) „ non tamen propterea ex„ citatur ſpecies, quòd illa ſit Legiſlator, vel venera„ tione digna, vel quòd illa dederit præcepta, quæ ego „ debeam inquirere. Imò fortè ſæpè in contrarium, „ *Ad me talia diſcutere non pertinet, nec utile eſt.* Sicut „ ſi jam moveatur dubium in aliquo, quo pacto arbores „ creſcant, non peccat certè ulteriùs non inquirendo „ cauſam“ (bella certè comparatio, dignaque Theologo Chriſtiano) „ unde infertur non eſſe culpabiles in „ tali ignorantia, etiamſi fuerit vincibilis phyſicè;“ imò licet moraliter etiam vinci potuerit, de re tanta diligenter inquirendo. Jam verò ſi in tali homine detur ignorantia Dei vincibilis, & tamen inculpata, peccata in tali ignorantia commiſſa non magis Theologica ſunt, quàm commiſſa in invincibili Dei ignorantia. Quia non magis commiſſa cum advertentia quòd ſint Dei offenſa.

165. Nulla furta, adulteria, homicidia, aliave ſcelera, quantumvis enormia, habent rationem peccati formalis, aut divinæ offenſæ, in invincibiliter ignorante omnem Dei Legem, prohibitionem; aut exiſtentiam. *P. Duffius, Minorita Hibernus* (cum Sociis ſupra laudatis) *in Theſi defenſa Lovanii 29. Julii 1679.*

166. Naſcitur Petrus, Baptizatur, antequam loqui ſciat capitur à barbaris, in Sylvam inducitur, & Atheiſmum

mum positivè docetur. Ad usum rationis pervenit. Posse invincibiliter nescire Deum, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur, antequam ignoret vincibiliter Deum, & per consequens aliquod committat mortale, licèt gravia multa contra lumen rationis committat. Quò puerum D. Fagnanus mittit? Non ad infernum: quia originali ille, & actuali mortifero caret. Ad coelum ergo. *Caramuel in Apolog. contra Fagnanum.* Ergone ad coelum Atheus adultus, sine ulla fide actuali, sine amore Dei, cum multis horrendis contra conscientiam admissis?

167. Qui ex inveterata consuetudine inadvertenter jurat falsum, licèt videatur obligari ad consuetudinem confitendam, tamen communiter excusatur. . . Quia communiter nemo advertit ad obligationem quam habet, illam consuetudinem propter eam rationem extirpandi, ne scilicet sua consuetudo sit causa proxima prædicta materialis mali. Et consequenter, cùm excusetur à peccato, excusabitur à Confessione. *Tamburinus.*

168. Idem dicendum de ceteris peccatis blasphemandi, occidendi, vulnerandi &c, *l.* 2. *exped. confess. c.* 3. §. 3. *n.* 23.

169. Non teneris sub mortali peccato conari ad extirpandam consuetudinem, quoties occurrit advertentia istius consuetudinis. *Idem l.* 3. *in Decal. c.* 1. §. 5.

170. Qui ex inveterata consuetudine, velut quodam necessario impetu rem malam agit, v. g. materiales blasphemias, aut perjuria effundit, tunc non peccat, nec propriè blasphemat, pejerat. *Layman l.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 6. *Et l.* 4. *tr.* 10. *c.* 6. *n.* 2. & 3.

171. Verba blasphema, quæ ex prava consuetudine, quam quis extirpare negligit, ante rationis animadversionem proferuntur, non sunt verè ac propriè peccata . . . sed effectus peccatorum, puta pravæ consuetudinis. *Idem ibidem.*

172. Hic habitus, quamvis malis actibus procreatus sit, actu tamen peccatum non est, cùm non sit actus. . . actibus autem meremur, aut peccamus, habitibus non item. *Azor. l.* 3. *instit. mor. c.* 3.

173.

173. Qui ex illo pravo habitu jurat, si ita subitò juret, ut plenam animi deliberationem jusjurandum præveniat, lethalis peccati reus censendus non est. *Ibidem.*

174. Plerique quidem Doctores veteres ac moderni censent juramenta illa, sine reflexione prolata, esse peccata mortalia, utpote voluntaria in causâ. Verùm posterior sententia (cui tanquam probabiliori accedo) ait juramenta prolata sine advertentia formali, & per se sufficienti ad peccatum mortale, non esse in se novum ac proprium & speciale peccatum, propter solam jurandi consuetudinem, qualiscumque illa sit, etsi nondum retractata, sed totam malitiam esse in sua causa; atque ita, ut sint peccata lethalia, exigi talem advertentiam, qualis necessaria est in homine non ita ad juramentum assueto. *Sanchez l. 3. c. 5. n. 22. & seq.* referens Suarez, cumque ipso addens non esse necessarium talia juramenta confiteri.

175. Si desit advertentia plena, & ex ea oriatur blasphemia, etiamsi adsit consuetudo blasphemandi, non committitur peccatum mortale. Quia ad peccatum mortale requiritur advertentia plena, & undequaque oriatur defectus illius, excusat à peccato. *Filiutius tr. 25. c. 1. n. 27.*

176. Non obstante pejerandi consuetudine non retractatâ præsens inconsideratio vel inadvertentia est invincibilis, cùm sit naturalis. Ergo excusabit à peccato saltem mortali: quia consuetudo non efficit inadvertentiam voluntariam. *Ibidem c. 11. n. 16.*

177. Nec refert quòd inadvertentia oriatur ex prava consuetudine aut ex passione: quia tam passio, quàm prava consuetudo tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccandum mortaliter ut pluribus ponderat Suarez. *Ibid. n. 38.*

178. An sit peccatum, quando homo videt consummatam esse consuetudinem, & advertit gravitatem & periculum ejus? Dubium esse potest. Sed etiamsi dicatur tunc esse, non tamen postea, quando quis non advertit, de novo peccat. Ideo dicimus non esse peccatum speciale. *Ibidem.* 179.

179. In iis quæ per se mala sunt, si anima in vehementi passione iræ aut tristitiæ, adeo absorbeatur cogitatione commoditatis, aut utilitatis, ut vel nihil omnino, vel valde tenuiter attendat ad operis malitiam, seu inhonestatem; isto casu vel nullum, vel dumtaxat imperfectum ac veniale peccatum erit. Quod arbitror interdum evenire iis, qui, nimia tristitia absorpti, sibipsis necem inferunt. *Layman l. 1. tr. 3. c. 5. n. 13. & tr. 2. c. 5. n. 3.* Similia habet Tamburinus *l. 1. in decal. c. 2. §. 4. n. 4.* Ergone errat Ecclesia, tales privando Ecclesiastica sepultura? Ergone Augustinus pariter erravit velut sceleratos homicidas damnando circumcelliones, qui existimantes se obedire Evangelio, animæ suæ odium præcipienti, non solùm non advertebant se peccare, seipsos interficiendo, imo existimabant se bene facere, ad idque faciendum sese martyrii zelo moveri?

180. Judicium ita imperfectum ut ad mortale non sufficiat, contingere sæpe potest in homine sanæ mentis, & non dormiente, vel ob passionem aliquam involuntariam & vehementem, cujus violentia judicium obtenebret & distrahat, alioque abripiat, vel ob stuporem aliquem mentis, qualem in rusticis sæpe deprehendimus, vel propter attentiorem alterius alicujus rei cogitationem, quâ fiat, ut homo, licèt non stupidus, & vigilet, levissimè tamen advertat malum alterius cogitationis. *De Rhodes disp. 2. de act. hum. q. 2. sect. 1. §. 2.* Si ita est, vix dantur mortalia, nisi puræ malitiæ.

181. Quæcumque actu non cogitas peccata esse, vel certè non dubitas, non sunt ullo modo peccata; etiamsi antea sciveris esse peccata. *Idem disp. 1. de pecc. q. 3. sect. 2. §. 3.*

182 Quotiescumque volo aliquid quod novi esse peccatum, & contra præceptum, prout cadit sub volitionem meam, verè pecco; si autem novi quidem illud esse peccatum in se, non novi autem peccatum esse *prout cadit sub volitionem meam*, non pecco, neque facio contra charitatem divinam. *Idem disp. 2. q. 1. sect. 1.*

183. Si

183. Si quis causam ponit voluntariè ac liberè alicujus peccati, cujus non advertit malitiam quando illud committit, is peccavit quidem quando liberè posuit causam illam, cujus effectum prævidebat; non peccat autem quando sine advertentia morali ponit illum effectum. *Idem disp. 2. de act. hum. q. 2. sect. 1. §. 1.*

184. Debemus examinare & confiteri id quod in juventute fecimus, ignorantes esse peccatum? Resp. non: quia ad peccandum debemus habere notitiam malitiæ dum rem committimus, nec sufficit postea intelligere quod esset malum. *Paulus Rosmer in conclus. theol. de Act. hum. tit. de ignor. pag.* 8. inde concludens confitendas non esse pollutiones voluntarias in juventute commissas, dum nesciebamus esse peccata, licèt id postea resciverimus.

185. Idea peccatorum ignorantiæ, quam fideles omnes habent secundùm Scripturam utriusque Testamenti, Conciliorumque & Patrum traditionem, est quòd ignorantiæ peccata illa sint quæ committuntur absque advertentia malitiæ, dum committuntur. Istam porro ideam illi de quibus hactenus, destruunt per ea quæ ex ipsis hactenus exhibita sunt, & per ea quæ sequuntur. Dicit enim P. de Rhodes ibid. Si quis causam ponit voluntariè ac liberè alicujus peccati, *cujus non advertit malitiam quando illud committit*, is peccavit quidem, quando liberè posuit causam illam, cujus effectum prævidebat; non peccat autem, quando sine advertentia morali ponit illum effectum.

186. Et addit, certum esse, quod nullum unquam potest esse peccatum, cui non sit semper conjuncta cognitio aliqua malitiæ.

187. Dicit etiam Filiutius *tr. 21. c. 10. n. 364.* quòd ratio peccati actualis ignorantiæ consistit in negligentia sciendi res necessarias. Ipsa verò ignorantia dici potest potiùs effectus peccati, & malum objectivè; quia est disconveniens rationi.

188. Et Sanchez *l. 1. in Decal. c. 16. n. 41.* Ultima difficultas est, an ignorantia, quæ vinci nequit, dum in actum prodit, at potuit antea vinci, excuset à cul-

pa?

pa? v. g. quis ſua negligentia mortali non didicit, quod ratione officii vel communi Chriſtianorum lege diſcere tenebatur; deinde, quando non eſt à quo inſtrui poſſit, per ignorantiam tranſgreditur præceptum &c. Ad hoc reſpondet cum Vaſquez, talem non peccare, dum tranſgreditur præceptum, ſi tranſgreſſionem ex ignorantia ſecuturam non præviderit; ſi verò præviderit, peccavit dum prævidit; ſed actionem, quæ poſtea ſequitur contra præceptum, non eſſe propriè peccatum, ſed effectum potius peccati, ſicut ſuprà dixit de peccatis in ebrietate commiſſis.

189. Similiter Martinon *diſp. 22. de peec. ſect. 2. n. 14.* Quæritur, an quidquid agitur ex ignorantia culpabili, ſit peccatum imputabile, & quando? Reſp. eſſe peccatum imputabile ſecundùm culpam quæ eſt circa ignorantiam; & tunc culpam totam exiſtere, quando cauſa cognita ut talis, conſtituitur voluntaria propter affectationem, aut per negligentiam ſciendi; ab illa verò culpa reliquum denominari culpabile.

190. Et *ibidem num. 16.* Secunda pars reſponſi eſt. Vaſquez. . . . Ratio ejuſdem eſt, quia dum eventus malus proximè ſequitur ex ignorantia, ignoratur ipſe, aut non poteſt impediri. Si enim non ignoraretur, & impediri poſſet, non eſſet eventus tantùm ignorantiæ, ſed cognitus in ſe & volitus. Si verò, dum proximè ſequitur, ignoratur, non poteſt tunc eſſe in ſe voluntarius. Quare nec circa illum poteſt eſſe alia culpa, quàm quæ præceſſit circa cauſam liberè poſitam.

191. Quamvis ignorantia illa ſit circa jus divinum & naturale, ſi probabiliter credat Confeſſarius conſilium non profuturum, tenetur non admonere, quando illa ignorantia invincibilis eſt (ſenſu utique Sancheſiano, ſeu Moliniſtico) *Sanchez de matrim. l. 2. diſp. 38. n. 9.*

192. Id quod proximè dictum eſt, procedit etiam in caſu, quo pœnitens antè fuiſſet in mala fide, ſi à viris à ſe exiſtimatis doctis (quos conſuluiſſet) audiiſſet ſe facere poſſe id quod Confeſſarius clarè vidit facere non poſſe. *Ibidem n. 3.*

193. Caſu

193. Casu quo pœnitens Confessario significaret se angi scrupulo circa id quod per se est malum, jurique naturali contrarium, verius est, quando solus est scrupulus, posse Confessarium facere, vel respondere ut deponat scrupulum. Quia scrupulus non aufert bonam fidem, & ignorantiam invincibilem. *Ibidem n.* 14.

194. Omnia dicta in hac conclusione vera sunt etiam quando credit Confessarius fore ut pœnitens libenter monitionem suscipiat; at videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum & notabilis infamia inde sequatur. Et ita censent quidam Neoterici docti. *Ibidem n.* 10.

195. Eadem doctrina videri potest in Henriquez *l.* 6. *de pœnit c.* 27. *n.* 4. Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 13. *n.* 5. Escobario (citante Suarezium) *tr.* 7. *exam.* 4. *n.* 155. Tamburino *Method. Confess. l.* 3. *c.* 4. citante Lugonem *disp.* 22. *de pœnit. sect.* 2. §. 1.

196. Sauli blasphemiæ cædesque fuerunt tantùm peccata venialia, eo quòd ignorans fecerit. *P. Hazart in Catechismo suo majore p.* 2. *pag.* 108.

197. Qui ex voluntate efficaci obtinendi aliquid à dæmone, aut ex alio pravo affectu, & malo fine, sibi hic & nunc efficaciter imperaret odium Dei, non peccaret formaliter odio Dei, sed solùm prava illa voluntate habendi odium Dei, quæ de se minùs mala est, quàm ipsum formale odium Dei. *Joannes Bapt. Taverne p.* 1. *tr.* 1. *c.* 8. *q.* 1.

198. Error quo quis aberrat à veritate, sequendo opinionem probabilem, est error invincibilis, qui non potest ei in culpam imputari. *Ibid. tr.* 2. *c.* 4. *q.* 3.

199. Rudis & illiteratus . . . generatim resolutionem sibi à viro docto & timorato datam habere potest pro magis probabili & tuta, quamdiu aliunde non habet rationabilem causam dubitandi. *Ibidem.*

200. Secluso omni affectu venereo, aut periculo scandali turpia loqui aut narrare ex scurrilitate, aut levitate, de se tantùm est veniale. *Idem p.* 2. *tr.* 1. *c.* 5. §. 1. *q.* 1.

CEN-

CENTURIA TERTIA.

De legibus ac dispensationibus.

201. POpulus non peccat, etiamsi sine ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam. *Escobar Th. Mor. to.* 1. *l.* 5 *c.* 14 *problem.* 13.

202. Leges civiles de facto vel rarò, vel certè non frequenter obligant sub mortali; Ecclesiasticæ item non multùm frequenter. *Tamburinus l.* 1. *in Decal. c.* 3. §. 8. *n.* 12.

203. Lex poenalis, etiam mixta, in materia gravi non obligat in Conscientia. *Escobar loco cit. c.* 17. *problem.* 26 cum Reginaldo, Valentia, Filiutio, id tamquam probabile admittentibus.

204. Clerici, secluso scandalo, non peccant mortaliter Principum Secularium Leges (bonum commune respicientes, nec Ecclesiasticæ immunitati repugnantes, uti contextus exprimit) violando. Quia Legibus hisce directè non tenentur. *Escobar ibidem c.* 15. *problem.* 19. cum Salas, Azorio, Layman.

205. Actus internos Ecclesia non potest præcipere. *Idem. tr.* 1. *exam.* 12. *c.* 1. *n.* 2.

206. Nefas est ponere, absque justa causa, ipso die quo lex, v. g. audiendi sacrum, obligat, impedimentum sacri audiendi; nemo tamen obligatur, pridie festi, non ponere impedimentum sacri postridie audiendi. *Gobat tr.* 5. *de sacram. n.* 444. & 447. *cum Suario, Becano, Palao, Dicastillo.*

207. Licitum proinde est die Sabbathi proficisci ad venationem instituendam in loco tam remoto ab omni Ecclesia, ut impossibile sit die dominico audire sacrum. *Gobat ibidem n* 448. *cum Tamburino.*

208. Qui die Sabbathi opplet se vino, prævidens fore ut propter ægritudinem, quam potus ille immoderatus, vel adducturus, vel aggravaturus est, nequeat pedem efferre domo ad sacrum die dominico audiendum, delinquit quidem mortaliter contra legem temperan-

perantiæ, ſed non contra legem Eccleſiæ de ſacro audiendo, in quantum præcisè ponit impedimentum executioni illius. *Idem ibidem n.* 424. *&* 425. *cum Henriquez.*

209. Similiter excuſatur, qui per intemperantiam facit ſe ineptum ad dicendum ſequenti die officium canonicum. *Idem n.* 425. *cum Becano.*

210. Licèt impedimentum ponatur per actionem peſſimam, non tamen eſt neceſſe in Confeſſione quidquam dicere de omiſſo ſacro. *Idem n.* 447.

211. Sicuti non teneris.... non ponere impedimentum executioni legis, ita non teneris auferre poſitum à te, adeoque ſi feria VI. profectus es ad locum, è quo non poſſis die dominico adire templum, etiamſi mane diei dominici facias iter per tres aut quatuor horas, non obligaris die Sabbathi conficere partem illarum quatuor horarum, ut poſſis die dominico ſacrum audire. *Idem n.* 455.

212. Deobligatus, ob impotentiam, à majori parte operis præcepti, v. g. lectionis horarum, eo ipſo deobligatus eſt etiam à minori, ad quam eſt potens. *Gobat n.* 622. *cum Azorio, Palao, & Leſſio.*

213. Palaus poſt Filiutium.... non improbabiliter abſolvit à toto matutino, qui poteſt quidem dicere omnes Pſalmos matutinales, at non lectiones.... ſed talem obligat ad ſolas laudes & ceteras horas.

214. Non tenetur ad matutinum & laudes, qui poteſt hæc dicere, at nequit ceteras horas. *Palao tr.* 7. *diſp.* 2. *p.* 6.

215. Ille qui ex nimia deproperatione contraxit pravum habitum detruncandi plurimas ſyllabas, aut verba, ita ut deſuescere nequeat ſine notabili difficultate, non videtur adigendus ad tam difficile emendationis ſtudium. *Gobat citato n* 622.

216. Verè implet ſacri audiendi præceptum, qui illud ex contemptu audit. *Sanchez l.* 1. *c.* 3. *n.* 13.

217. Illud etiam implet, qui ſolùm intereſt feminæ videndæ & concupiſcendæ gratiâ. *Azor. l.* 7. *c.* 8. *Eſcobar tr.* 1. *exam.* 11. *n.* 31.

218. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino. Probabile censuit Caramuel *Th. fundam. fundam.* 31. cum eximio, inquit, quodam Jesuita. Sed damnavit Alexander VII.

219. Satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui audit successivè partem ultimam prioris sacri, ac deinde primam posterioris. *Henriquez, Reginaldus, Baunius, Palaus, Dicastillo tr. 5. disp. 5. n. 39.*

220. At quid, si non successivè, sed simul audiam duas tales partes, & quidem duorum sacerdotum valde festinantium? Nonne poterit fieri, ut intra dimidium quadrantem exequar præceptum de sacro audiendo? Omnino, judice P. Escobar, & non repugnante Dicastillo apud Gobat n. 147. aientem negari non posse huic opinioni aliquam probabilitatem, saltem extrinsecam.

221. Colligo te posse brevissimo temporis interstitio missam audire, si in quatuor v. g. altaribus variæ missæ sic celebrentur, ut dum una inchoatur, secunda ab Evangelio tunc in consecrationem procedat; tertia à consecratione in consumptionem; quarta denique à consumptione usque ad terminum. *Escobar tr. 1. exam. 11. c. 4. edit. Lugdun. anni 1644.*

222. Tempore præfationis quis venit ad sacrum audiendum, quod unicè celebratur, teneturne residuam illam singularis illius missæ partem audire?.... Ego probabiliter assero non teneri. Quia per illam partem missæ non potest implere præceptum. *Escobar tr. 1. exam. 11. c. 4.*

223. Peregrinus non delinquit, si absque scandalo negligat sacrum eo die qui festivus est in loco ubi existit, non tamen festivus in sua diœcesi. *Gobat. n. 38.* cum Sanchez id *n.* 383. extendens ad casum, quo peregrinus cogitaret eo loco persistere per sex omnino menses.

224. Ergone licebit dedita opera exire urbe, eo fine ut quis sit liber obligatione sacri? Optima consequentia (ait *Gobat. n.* 390.) probabilissimum consequens, quod proinde admittunt Sanchez,... Suarez.... Palaus,

225. Non

225. Non peccat contra legem jejunii, ſed contra aliam legem duntaxat, qui ad ſolum finem eximendi ſe à lege jejunii, ſeu ſubterfugiendi obligationem illius, illicito ſe labore impotentem ad illud reddit. *Tamburinus l. 4. in Decil. c. 5. §. 7.*

226. Bonifacius Conſtantienſis die feſtivo S. Pelagii Martyris profecturus eſt mane Marisburgum, ubi non colitur in foro ille dies, ſed ſolùm Conſtantiæ. Eritne reus criminis, ſi Conſtantiæ non prius interſit rei divinæ, poſito quòd nolit, aut non poſſit Marisburgi? Reſpondeo, vel eſt futurus extra fines Conſtantienſis Urbis, antequam celebretur ultimum ſacrum in omnibus quatuordecim templis quæ viſuntur Conſtantiæ, vel non: ſi primum, probabiliter non obligatur audire ſacrum illo die: ſi ſecundum: obligatur certò. *Gobat. tr. 5. n. 60. & 61.*

227. Diſcedens è proprio territorio, in quo eſt jejunium, eo die perventurus ad locum ubi non eſt jejunium, poteſt mane, ante diſceſſum, ſumere jentaculum, etiamſi aliunde non excuſetur. *Sanchez, Leſſius, Amicus, Tamburinus.*

228. Damnandi non ſunt vagi, non ſervantes feſta & jejunia particularia locorum, in quibus exiſtunt, ſed ſola communia totius eccleſiæ. *Gobat. n. 392.*

229. Ceſſante diſpenſationis cauſa, num diſpenſatio ceſſat? Non ceſſat, ſi conceſſa fuerit abſque limitatione. Itaque ſic diſpenſatus à Pontifice ad non jejunandum per totam vitam, ob infirmitatem, etiamſi infirmitas ceſſaret, uti poſſet diſpenſatione. *Eſcobar. tr. 1. exam. 16. c. 4. ex Sanchez.*

230. Ne veniale quidem eſt uti diſpenſatione obtenta ſine cauſa. *Suarez l. 6. de Leg. c. 29. n. 14. Vaſquez in 1. 2. diſp. 178. c. 4. Palao to. 1. tr. 3. diſp. 6. p. 8. §. 1. n. 8. Sanchez de matr. diſp. 18. n. 10.*

231. Ille qui diſpenſatus eſt in eſu carnium propter morbum, poteſt iis veſci licèt omnino convaluerit. *Granadius apud Buſenbaum l. 1. tr. 2. c. 4.*

232. Cum quo diſpenſatum eſt, propter infirmitatem, in voto religionis, poſtquam convaluit, non tenetur. *Idem ibidem.*

233. Cum quo propter oculorum infirmitatem diſpenſatum fuit in onere recitandi horas, etſi convaluerit, non tenetur legere. *Ibidem.*

234. Supplicationem quis facit diminutam ad privilegium obtinendum, & princeps ex illa movetur ad privilegium concedendum, aliàs non conceſſurus integrè cognita veritate: tunc eſt, & non eſt irrita conceſſio. Non eſſe irritam, ſed validam exiſtimat Eſcobar *Th. mor. to.* 1. *l.* 6. *ſect.* 2. *c.* 10. *probl.* 6. cum Palao: dum princeps dicit ſe illud concedere motu proprio.

235. Nulla conſuetudo, etiam communi exiſtimatione obligatoria, obligat, niſi conſtet eſſe fundatam in voto, vel lege. *Arriaga de leg. diſp.* 25. *n.* 8.

236. Num bulla Pii V. contra Clericos Sodomitas obliget in conſcientia? Henriquez probabiliter ſentit uſu non eſſe receptam, nec in conſcientiæ foro obligare. *Eſcobar tr.* 1. *exam.* 8. *c.* 3.

237. Quod ſi uſu recepta ſit? Clericus feminam in indebito ſubigens vaſe, non committit propriè ſodomiam: quia licèt non ſervet debitum vas, ſervat tamen ſexum. *Ibidem.*

238. Nec incurrit ex Suario pœnas bullæ, intra vas maſculi ſemen non immittens, quia delictum non eſt conſummatum. *ibid.*

239. Nec ex eodem, qui nonniſi bis aut ter in ſodomiam ſunt lapſi. Quia Pontifex has pœnas exercentibus ſodomiam infligit. *Ibidem.*

240. Nec (adhuc ex Suario) ante ſententiam judicis declaratoriam, pœnas bullæ in foro conſcientiæ Clerici incurrunt. Quia nulla lex pœnalis obligat homines ad ſe prodendum. *ibid.*

241. Colligo clericum, exercentem ſodomiam, ſi ſit contritus, etiam retento beneficio & dignitate, eſſe abſolvendum. *Ibidem.*

242. Juxta Decretum Concilii Lateranenſis ſeſſ. 9 *ad abolendum*, blaſphemus non poteſt abſolvi, niſi gravi pœnitentia, ſeveri Confeſſoris arbitrio impoſita. Sic enim expreſſè ibi definitur. Et conſonat Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. At id Decretum non eſt uſu receptum

(uſu

(usu utique molliorum confessorum.) Et ita hodie non obligat. *Sanchez l. 2. in Decal. c. 32. n. 44.* referens Emmanuelem Sa, Azor, Suarez &c.

243. Tametsi secundùm Bullam Gregorii XIV. immunitate ecclesiarum non gaudeant Assassini, & qui per prolitionem interficiunt; ea tamen gaudet, qui sine pretio incautum aliquem interficit, ut amico rem gratam faciat. Quia assassini nomine eum intelligo, qui pecunia aut pretio ad hominem incautum occidendum ex insidiis conducitur. Quare qui sine pretio interficit, non dicitur assassinus (licèt utique incautum hominem ex insidiis interficiat) *Escobar tr. 6. exam. 4. n. 27.*

244. Si non legis librum hæreticorum de religione tractantem, sed audis alium, qui te incitante, aut petente legit, non incidis in excommunicationem; nec eges bullæ indulto ut absolvaris. Quia audire, & inducere alium, ut tibi legat, non est legere. *Escobar Th. Mor. l. 1. sect. 2. c. 33. problem. 59.* referens Filiutium & Sanchez.

245. Expulsus à Religione non tenetur se emendare, ut ad illam redeat, neque obligatur voto obedientiæ. *Escobar tr. 6. exam. 7. num. 111.*

246. Quandonam Religiosus sine excommunicatione potest habitum exuere? Resp. si ut melius currat & saltet, vel si ad turpem causam, v. g. ut furetur occultè, vel fornicetur, eum demittat habitum, mox reassumpturus. *Escobar. tr. 6. exam. 7. c. 7. n. 103.*

De præceptis Ecclesiæ.

247. IN audiendo missam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, satis est attentio externa. Unde potest quilibet voluntariè distrahi. *Tamburinus, l. 1. in Decal. c. 3. §. 8. n. 12.*

248. Minor attentio requiritur ad explendam missæ, quàm breviarii recitationem. *Gobat tr. 5. n. 227. & 238.*

249. Ut satisfacias legi de sacro audiendo, non debes habere intentionem interessendi missæ tanquam rei sa-

cræ, seu exhibendi Deo cultum. *Dicastillo de sacrif. tr. 5. disp. 5. n. 83.*

250. Unde patet, intentionem vanæ gloriæ, aut vanæ curiositatis, aut intentionem addiscendi, vel quamcumque aliam, quæ non impediat externam actionem assistendi missæ, quantùm ad externum modum, nullo modo obesse, quominus per illam actionem externam impleatur præceptum, seu audiendi sacrum, seu recitandi horas canonicas, *Dicastillo n. 86.*

251. Satisfacis præcepto, etsi missam audias principaliter ob vanam gloriam. Imò licèt ex perversissima intentione, scilicet ad occidendum alium, aut ex turpi concupiscentia. *Gobat tr. 5. n. 230.* cum Suarez & Molina.

252. Probabile est immunem esse à peccato mortali, qui deliberatè fovet profanas cogitationes, ita abripientes ipsum à sacro, ut nesciat quid agatur, modò adhibeat attentionem exteriorem. *Gobat n. 230. cum Tamburino.*

253. Imò id est probabilius. *Coninck, & de Lugo apud eundem n. 231.*

254. Qui tempore sacri deliberato animo volvit scelleratas cogitationes ac desideria, non tenetur in confessione dicere, se ea volvisse tempore sacri. *Gobat n. 240.*

255. Confitens sub sacro probabiliter satisfacit sacri audiendi præcepto, licèt nec videat, nec propriè audiat quidquam de sacro, ob distantiam, vel mentis occupationem circa peccatorum narrationem. *Gobat n. 265.*

256. Dominus, qui habet oratorium privilegiatum, non tenetur rogare, aut ullo stipendio conducere sacerdotem, qui sacrum faciat sibi, non valenti ire ad ecclesiam. *Gobat n. 350.* cum Sanchez.

257. Idem est de ægro, habente facultatem curandi sibi sacrificari in aliquo communi conclavi. *Idem ibidem.*

258. Rectè pronuntiant Palaus & Dicastillo, post Suarez, quod ferè omnes Doctores, & consuetudo communis, ita interpretentur legem de audienda missa, ut ju-

judicetur excusare quævis causa non admodum gravis, seu quæ mediocrem incommoditatem involvit. Et hoc ipso quòd mediocrem involvat, potest dici involvere gravem. *Gobat n.* 442.

259. A sacro excusatur, qui timet probabiliter quodcumque temporale aut corporale incommodum, aut laborem. *Dicastillo n.* 171. cum Suarez & Sa.

260. Si loquamur de mediocriter valentibus, seu peculiarem excusationem non habentibus, & abstrahamus à malignitate tempestatis, distantia unius bonæ horæ sufficit ad excusandum à sacro peditem. *Suarez, Filiutius & Palao apud Gobat n.* 486.

261. Generaliter loquendo, tempore hyemis, aut æstus, feminæ, quæ ultra mediam leucam, seu mille quingentos passus distant ab Ecclesia, non obligantur, nisi fortè feminæ rusticanæ, solitæ huc illuc discurrere, etiam ad longius spatium, levibus de causis. *Dicastillo apud eundem n.* 487.

262. Uxor licitè negligit sacrum, quando parandum est prandium aut convivium. *Gobat n.* 506. cum Henriquez & Dicastillo.

263. Mulier non peccat, omittens missam, si, quando exit, rixatur maritus, & est pauca pax. *Idem ibidem* cum Rodriguez.

264. Si omittenda sit tibi confessio, vel auditio sacri, hanc tutò omittis. *Gobat n.* 516.

265. In dubio, an adsit causa vel periculum sufficienter excusans, non est opus dispensatione. *Gobat n.* 478. cum Palao.

266. Comitissa N. enixa est prolem masculam, diu desideratam, id si primus nuntiaveris, pro bono nuntio habebis ducatum. At non eris primus, nisi negligas sacrum: licitè negliges, si sis pauper. *Gobat n.* 493.

267. Qui iter agit, excusatur, si audiendo sacrum amissurus sit socios itineris, levaturos tædium longi itineris. *Gobat n.* 496. cum Henriquez, Escobar, & Tamburino. Qui *l.* 4. *in Decal. c.* 2. §. 3. *n.* 5. absolutè excusat itinerantes ex eo capite, ne amittant socios.

268. Absolutè excusatur à sacro molitor, quoties ei licitum est die festo laborare. *Dicastillo n.* 178.

269. Excommunicatus non tenetur petere absolutionem, ut possit bona conscientia frequentare rem divinam. *Gobat n.* 392.

270. Viri & feminæ, tempore sacrificii missæ interrumpentes suas preces, per confabulationes non necessarias, licèt sæpe repetitas, satisfaciunt præcepto. *Baunius c.* 17. *Filiutius to.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 216.

271. Adhuc satisfaciunt, etiamsi colloquia sint de rebus indecentibus. *Filiutius ibidem.*

272. Canonici, aliique beneficiati satisfaciunt, qui tempore divinorum assistentes choro, tempus transigunt in fabulationibus scandalosis, & occupationibus omnino vitiosis, v. g. ridendo & cachinnando. *Baunius c.* 18.

273. Quando occurrit dubium, sitne dies festivus, nec habeo domi à quo discam veritatem, homines communiter judicant esse molestiam plusquam mediocrem, conficere iter sesqui horæ, pro resolvendo dubio. *Gobat n.* 461.

274. Quando incipis te occupare aliqua actione etiam mala, teque occupato, & minimè advertente, elabitur tempus missæ, reus non es peccati mortalis. Quia inadvertentia tua censetur inculpabilis. *Gobat n.* 465. cum Suarez.

275. Est probabile quòd non pecces mortaliter, si ad missam audiendam solùm venias post Evangelium. *Suarez, Azor, Palao, Dicastillo, Tamburinus apud Gobat in alphab. audient. sacr. n.* 135.

276. Videtur duriusculum damnare de mortali solùm venientem circa offertorium. *Layman apud eundem n.* 150.

277. Satisfacit præcepto auditionis missæ, qui non interest consecrationi. Quia potest adhærere opinioni asserenti, sacrificii essentiam in communione consistere. *Tamburinus l.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 3.

278. Solùm venialiter delinquit, qui solùm audit ab Offertorio ad Communionem inclusivè. Quia reliqua

non

non ſunt niſi materia levis: *Baunius apud Leandrum de præc. eccleſ. tr.* 2. *diſp.* 1. *q.* 34.

279. Senatores, ac reliqui primarii viri, qui Reipublicæ negotia in aliud tempus commodè rejicere nequeunt, ab audienda miſſa excuſantur. *Dicaſtillo dub.* 10. §. 5. *n.* 207.

280. Famuli, in locis ubi non eſt niſi una miſſa, non tenentur nimis diluculo ſurgere, & ab ordinario moderatoque ſomno nimis demere, ut miſſam audiant. *Idem n.* 214. An ergo minus obedire debent Eccleſiæ miſſam præcipienti, quàm domino præcipienti ut valde mane ſurgentes, ipſum comitentur ad venationem?

281. Non diſplicet nonnullorum opinio, cenſentium famulos à peccato excuſari, dum juſſu domini obeunt die feſto laborem non neceſſarium, licèt nullum ex ſua inobedientia detrimentum timeant, niſi duriuſculam reprehenſionem, vel rixam. *Azor. p.* 1. *l.* 7 *c.* 7. *q.* 1.

282. Putat Sanchez non eſſe mortale, ſingulis feſtis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias. *Tamburinus l.* 4. *c.* 3. §. 2. *n.* 1. *&* 2. Quia modicum tempus judicatur duarum horarum ſpatium.

283. Imo durum videtur mortalis damnare ſi quis tres horas impendat in labore. *Buſenbaum l.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 2. cum Filiutio.

284. Puellas ad otium vitandum acu pingentes, vel alium laborem mechanicum exercentes excuſant Azor, Palao, Sa apud eundem *dubio* 1. cumque ipſis Burghaber. *centur.* 1. *caſu* 77.

285. Pingentes coloribus excuſat Buſenbaum. *ibid.*

286. Excuſat etiam Filiutius hic *c.* 9. *n.* 169. diſtillationem, quæ ſine corporis fatigatione fit, potius ad experientiam & peritiam, quàm ex officio & arte. *Ibidem.*

287. Videntur etiam excuſari poſſe in typographiis literarum collocatores, quando poſt divina collocant neglectum penſum, ut habet Layman. *Ibidem.*

288. Similiter excuſantur barbitonſores, ſi negando diebus feſtis laborem ſuum, facilè à pleriſque re-

inquerentur, cum notabili lucri jactura. *Tamburinus l. 4. c. 3. §. 2. n. 13.*

289. Eadem ratio militat etiam pro sutoribus qui nisi calceos novos suis parochianis imponeret; ab ipsis facili negotio derelinquerentur. *Idem ibidem.*

290. Generaliter excusantur quicumque artifices, die festo laborantes, spe notabilis lucri, non ordinarii. *Idem ibidem §. 1. n. 8.*

291. Non improbabile est quod Paulus Layman docet, fas esse domino Christiano opera servilia, diebus festivis, imponere perpetuò amentibus. *Ibidem n. 17.*

292. Quare idem, propter parem, imo majorem rationem, probabiliter concessurus esset ea imponi posse infidelibus. *Ibidem.*

293. Probabiliter asseritur, invalida confessione præcepto satisfieri. Quia Ecclesia internos actus non potest præcipere, sed solùm externum confessionis. *Escobar tr. 1. exam. 12. c. 3. n. 17.*

294. Ecclesiasticum præceptum Eucharistiæ omnino semel impleri etiam per sacrilegam manducationem. *Amicus to. 8. disp. 29. sect. 5. n. 15. Sa verbo*, Eucharistia. *Escobar loco cit. c. 5.* Estque magis communis & probabilior sententia, ait Dicastillo *to. 4. disp. 10. dub. 8.* Sed damnata est ab Alexandro VII.

295. Qui solus horas recitare non potest, potest autem cum socio, non tenetur adscisscere socium, licèt facilè habere queat; imò nec admittere ultro se offerentem. *Tamburinus l. 2. c. 5. §. 8. n. 11.*

296. Prævidens se per paroxismum febrilem impeditum iri, quo minus tempore suo recitet vesperas, v. g. non tenetur prævenire, licèt commodè possit. *Dicastillo ubi suprà n. 262. Henriquez l. 4. c. 4. n. 7.*

297. Probabile est, quòd si nequivisti debita horâ recitare officium, quacumque sequenti parte ejusdem diei supplere non tenearis. *Sanchez consil. mor. l. 7. c. 2. dub. 27. n. 7.*

298. Excusatur à culpa lethali, qui totam Tertiam, aut Vesperas totas percurrit colligendo herbas, & uvas. instruendo ignem &c. *Gobat tr. 5. n. 238.*

299.

299. Clericus breviarium legens ſolo animo diſcendi ea quæ legit, vel ſub ſacro italicum librum pium legens ſolo animo diſcendi linguam Italicam, ſatisfacit præcepto, tum breviarii, tum miſſæ. *Dicaſtillo apud Gobat n.* 191. *&* 255.

300. Practicè probabile eſt, neque Clericos profeſſos, nondum ordinibus ſacris initiatos, neque Moniales, extra chorum, teneri ex ulla conſuetudine ad horas recitandas. *Leſſius cum Sa, verbo,* hora, *caſu* 24.

CENTURIA QUARTA.

301. PRacticè probabile eſt, beneficiatum, qui poſt primum ſemeſtre horas negligit, ſemel tantùm vel bis in anno, ad nullam reſtitutionem teneri. *Gobat n.* 583 cum Leſſio ac Filiutio.

302. Canonicus qui per duos annos neglexit breviarium ſuum, tutus eſt in conſcientia, reſtituendo quartam partem beneficii ſui. *Sanchez l.* 2. *conſil. mor. c.* 2. *dub.* 84. cum Henriquez.

303. Obligatus ad reſtitutionem, ob neglectum officium, ſatisfacit, ſi alia opera ſatisfactoria, pro defunctis, intuitu hujus reſtitutionis faciat. *Quintanaduenas tr.* 8. *ſingul.* 6. *n.* 5.

304 Beneficiatus, qui juſta de cauſa, v. g. ſtudii, non reſidet, ideóque beneficii fructus non percipit, non tenetur horas recitare. *Sanchez dub.* 72.

305. Probabile eſt, omittentem in diebus Rogationum Litanias, & ſecunda Novembris officium defunctorum, non peccare mortaliter. *Gobat. n.* 614. *cum Tamburino.*

306. Parochus Monachus, qui horas neglexit, ſatisfacit in confeſſione dicendo, non recitavi breviarium, cum ſim in ſacris. *Gobat n.* 61.

307. Ne venialiter quidem peccat, qui veſperas, abſque rationabili cauſa, legit ante prandium. *Dicaſtillo apud Gobat n.* 683.

308. A breviario eximitur coetus, etſi memoriter illud teneat. *Toletus l.* 2. *c.* 14.

309. Eximitur & quicumque laborat oculis, si timeat, ne legendo horas, vim amittat videndi, licèt interim legat fabulas, vel historias. *Tamburinus c. 5. §. 8. n. 13.*

310. Non peccat mortaliter ille, qui voluntariè, animo deliberato, per notabilem officii partem, fovet distractiones, avertentes ipsum ab attentione ad res pias. *Idem c. 2. §. 1. n. 21.* cum Conink, de Lugo &c.

311. Paulus ingressurus navim, majoris commoditatis gratia, contulit secum Diurnale, secutus opinionem Thomæ Sanchez in Summa *l. 1. c. 9* asserentis, legentem ea quæ continentur in Diurnali (eo utique, in quo excusi sunt omnes psalmi feriales, adeoque totum Matutinum, exceptis tribus lectionibus) officio divino de festo simplici, vel de feria quoad substantiam satisfacere; si postquam solverat è portu, mutavit opinionem, & secutus Joannem Sancium in select. disp. 15. n. 2. negantem substantiam matutini sine tribus lectionibus permanere; ideóque sustinentem, carentem breviario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere officium, illud legere neglexit: Quæritur an peccaverit? Non peccasse respondet laudatissimus à Jesuitis Caramuel. *in Reg. S. Benedicti disp. 117. dub. 2.*

312. Cùm horologia benè regulata vim habeant opinionis probabilis, & ex duabus opinionibus probabilibus, qui sequitur unam, sequenti momento sequi possit alteram, si quis audita in uno horologio duodecimâ noctis, finientis diem Sabbathi, comederit carnes, si post earum esum, in altero horologio duodecimam audierit, sequenti die poterit communicare. *Idem in Theol. fundam. à num. 265. ad 294.*

313. Non est mortalis mutatio, etiam deditâ operâ, unius officii in aliud. Quia substantia præcepti servatur, quodcumque officium breviarii concessi dicatur. Ita absque exceptione Lessius. *l. 2. de just. c. 37. n. 77.* cum Azorio. Ita etiam Valentia *to. 3. disp. 6. q. 2. p. 10.* Becanus *de Relig. q. 16. Sa, verbo*, Horæ. *n. 12. edit. anni 1599. & 1603.* ubi solùm excipit contemptum.

314. Nulla proinde mutatio in notabiliter brevius est pec-

peccatum mortale citra contemptum, etiamsi semper fiat. Ita implicitè iidem, prout fatetur Gobat *tr. 5. n.* 863.

315. Etiamsi toto anno quispiam non diceret nisi officium Resurrectionis, non peccaret mortaliter. *Caramuel in Th. Regul. n.* 1288. *& in Theol. fundam. à num.* 1100. *ad* 1112. ostendens id sequi ex verbis & ratione laudatorum Authorum.

316. Probabilius multò est, essentiam orationis vocalis consistere cum perpetuis distractionibus voluntariis. *Gobat n.* 821. cum Lugone & Tamburino.

317. Sufficit attentio superficialis ad explendum totum præceptum horarum Canonicarum. *Gobat n.* 837.

318. Si deliberatè foveas alienas cogitationes, non advertens te per illas planè deficere à requisita attentione, meritò excusaris à mortali. *Gobat n.* 840. cum Sanchez, Suarez &c.

319. Licèt in aliis materiis negligentia crassa habeatur pro actu voluntario, non tamen in materia horarum. *Sanchez l. 7. consil. mor. dub.* 28. *n.* 14.

320. Probabile est illas solas distractiones prohiberi ab Ecclesia, quæ causantur per actiones externas, ex sua natura incompatibiles cum attentione interna. *Gobat n.* 841. cum Suarez.

321. Probabilius est non teneri ad ullam restitutionem, qui cum voluntariis & perpetuis distractionibus recitavit horas omnes. *Gobat n.* 842.

322. Non obligaris ad quidquam repetendum eorum quæ mente aliorsum sponte evolante dixisti. *Gobat n.* 843.

323. Id est verum, etiam postquam, perpensa indignitate tuæ culpabilis meritóque castigabilis divagationis, dixisti: *Nolo ut valeat hæc persolutio pensi canonici, sed volo à capite ad finem rursus auspicari & pertexere, meque obligo sub mortali citra votum, ad repetitionem.* Idem ibidem.

324. Præceptum divinum communionis semel tantùm obligat, sive in vita, sive in articulo mortis fiat. *Baunius Th. mor. p.* 1. *tr.* 5. *q.* 14.

325. Non est specialis obligatio juris divini, de Eucharistia sumenda in articulo mortis. *Sa, verbo*, Eucharistia n. 1.

326. Non est mortale; communionem omittere in articulo mortis, dummodo in Paschate sumpseris. *Sa ibidem.*

327. Qui sacrilegè communicat (pro Jubilæo) ordinationi Pontificis communionem requirentis satisfacit ex opinione Cardinalis de Lugo: eo quòd sacrilega communio sit propriè dicta communio. *Gobat to. 3. tr. 3. c. 26. n. 177.*

328. Est probabilis doctrina Dianæ post Bossum, dicentis id esse verum etiam tunc, cùm Pontifex dicit: *Reverenter & devotè communicaverunt.* Eo quod per ly *reverenter*, intelligi possit reverentia & modestia exterior; per ly *devotè*, attentio interior, quam sufficienter habet is qui sumit Eucharistiam cum intentione actuali vel virtuali colendi Christum, vel lucrandi Jubilæum, seu obediendi Ecclesiæ vel Papæ. *Idem ibidem.*

329. Quæritur an repetendæ communionis obligatio impendat illi, qui Paschalem percepit indignè, reus Corporis & Sanguinis Domini? Resp. probabilius est non impendere. Suarez, Tannetus, Lugo & alii. Ratio est, quia talis præstitit totum quod ei præcepere Concilia Lateranense & Tridentinum. *Idem to. 1. tr. 4. n. 43. & 44.*

330. At nonne Lateranense diserte decernit, esse Christum reverenter sumendum? Quæ autem adest reverentia, quando sumitur cum tanta irreverentia? Resp. suadet illa Synodus reverentiam internam, non præcipit: nam sicut de occultis non potest Papa divinare, ita nec illa mandare. *Ibidem n. 44.*

331. Accedit quòd cùm Alexander VII. damnarit opinionem scribentium, confessionis annuæ præcepto satisfieri per sacrilegam; nihil autem statuerit de communione itidem sacrilegâ; videatur fuisse contentus sacrilegâ. *Ibidem.*

332. Qui tempore Paschali non satisfecit præcepto communionis, probabiliter non tenetur postea implere.

Bu-

Buſenbaum l. 6. tr. 3. c. 2. dub. 2. etiamſi tempore paſchali communicare noluerit, cùm poſſet. *Henriquez apud Dicaſtillo diſput. 10. n. 136.*

333. Non tenetur prævenire, qui prævidet tempore paſchali ſe impediendum. *Buſenbaum ibidem* cum Azor. & Suarez.

334. Præcepto communionis Paſchalis ſatisfieri poteſt (maximè extra diem Reſurrectionis) apud Mendicantes, ex privilegio Nicolai V. Pii V. & Pauli IV. *Bauinus Th. mor. p. 1. tr. 5. q. 19.*

335. Impletur præceptum Chriſti, ſicut baptiſmo, ita & communione ſacrilega. *Ludovicus de Scildere in Synopſi Theol. anno 1646. defenſa ab Humberto Guilielmo à Præcipiano §. 34.*

336. Quovis die, etiam Paraſceves, fas eſt ſacræ accumbere menſæ. *Quintanaduennas tr. 6. ſingul. 6.* aiens contrariam S. Congregationis declarationem anni 1612. non habere vim præcepti.

337. Qui bona fide credit ſe habere juſtam cauſam non jejunandi, & propterea non jejunat, is non peccat, ſaltem mortaliter. . . . Quo pacto excuſari poſſunt multi ſolventes jejunium, vel excedentes in refectiuncula. Putant enim ſe non teneri ex variis cauſis, ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum. *Eſcobar tr. 27. n. 130.*

338. Qui laborant dolore capitis, aut ſtomachi, aut oculorum, aut patiuntur vertigines, aut ſimiles morbos, jejunii lege non tenentur. Obeſt enim eis jejunium. *Ibidem n. 113.*

339. Qui labore aliquo defatigatur, quem in alium diem commodè differre poſſet, etiamſi data opera eum ſuſceperit, ut à jejunio ſe eximeret, jejunare non tenetur. *Suarez, Sanchez & Salas apud Dianam p. 1. tr. 9. reſol. 52.*

340. Qui poteſt conficere iter eques, & ſic ſervare jejunium, poteſt illud conficere pedes, & ſic liberare ſe à jejunio. *Henriquez l. 9. c. 25.*

341. Qui malo fine laborat (ut ad aliquem occidendum, ad inſequendam amicam &c.) peccat ex malo fine; at facta defatigatione excuſatur à jejunio. *Filiutius tr. 27. c. 6. n. 123.*

342

342. Si hoc faciat in fraudem jejunii, peccat in apponenda cauſa fractionis jejunii; at eâ poſitâ excuſatur à jejunio. *Ibidem.*

343. Defeſſus ex quocumque labore, licito vel illicito, v. g. pilæ ludo, vel cum feminis commixtione, abſolutè liberatur à jejunio. *Eſcobar tr. 1. exam. 13. c. 3. n. 45.*

344. Probabile eſt nullos artifices, ne ſartores quidem & barbitonſores, obligari ad jejunium. *Tamburinus l. 4. c. 5. §. 7. Filiutius tr. 27. c. 6. Sa, verbo,* Jejunium. *Fagundez præcep. 4. l. 1. c. 8. n. 15.*

345. Quiſquis jejunando commodè implere non poteſt quod ſui muneris eſt, excuſatur, v. g. ſtudioſus, ſi quomodocumque cum difficultate ſtudeat jejunando. *Tamburinus §. 7.*

346. Qui dormire nequit, per notabile tempus, niſi veſperi ſumpta cœna, non tenetur jejunare. Nimis enim oneroſum eſſet ſic jejunare. *Tamburinus ibidem n. 14.*

347. Et quamvis huic incommodo obviare poſſet, ſumendo collationem meridie, ſeque veſperi plenè reficiendo, licèt id commodè facere poſſet, ad id non teneretur. Quia nemo tenetur ſolitum ordinem refectionum pervertere. *Eſcobar n. 67. cum Filiutio. Tamburinus loco citato cum Sanchez & Fagundez.*

348 Excuſantur à jejunio infirmi (v. g. ex intemperantia, vel nimia repletione) quibus ad ſanitatem conducerent jejunia. *Tamburinus n. 24.*

349. Ob laborem præcedentem, aut futurum, excuſari etiam poſſunt, ſi vel debiles facti ſunt, vel debilitatem contracturi probabiliter timeantur, undè officio ſuo ritè deinde fungi non poſſent. Ita qui longum iter peregiſſet, vel acturus eſſet, excuſari poſſet. *Eſcobar n. 121. & 125.*

350. Uxor non valens ſe gratam ſervare viro, ob maciem, vel pallorem, à Doctoribus excuſatur. *Idem n. 119.*

351. Excuſatur etiam puella, nubere volens, ſi ex continuato quadrageſimæ jejunio ſpecioſitatem faciei no-

notabiliter amittat, ita ut eâ viſâ ſtatim de macie extra ſuum morem notaretur. *Tamburinus n.* 45.

352. Adhuc excuſantur conjuges, quando jejunando nequeunt reddere debitum, etiamſi compartem à debito exigendo precibus avertere poſſent. *Idem n.* 37.

353 Excuſantur generaliter omnes Miniſtri, publicis in negotiis plurimùm occupati, ut ſunt Conſiliarii, Judices magnæ Curiæ, Senatores, Regentes Cancellariæ, Præfecti Urbium &c. *P. Hurtadus apud Dianam p.* 11. *tr.* 4. *reſol.* 12.

354. Si ex diſpenſatione carnibus veſceris, eo quòd alii cibi tibi noceant, non excuſaris à jejunio, ait Leſſius. . . Ego cum Henriquez *l.* 7. *c.* 13. *n.* 12. abſolutè à jejunio libero diſpenſatum ad carnes. Quia abſtinentia ab his eſt de eſſentia jejunii. *Eſcobar n.* 40.

355. Scio frangentem jejunium ſecunda refectione, non peccare ſæpius comedendo: quia Eccleſia à ſecunda refectione ſolùm præcipit abſtinere. Rogo an eadem ſit ratio, ſi quis voviſſet in pane & aqua jejunare? Ita planè: nam ſi is vinum ſemel hauſiſſet, in notabili quantitate, non teneretur ab illo ampliùs abſtinere. *Eſcobar n.* 32.

356. Qui vel nimium, vel noxium edit cibum, prævidens futurum ſe impotentem ad jejunium, . . . ob morbum inde contrahendum, non peccat contra præceptum de jejunio non omittendo, niſi fecerit in fraudem, ex intentione illud non ſervandi. *Henriquez l.* 9. *c.* 25. *n.* 11.

357. Qui non expleverunt vigeſimum quintum ætatis annum, non tenentur jejunare totam quadrageſimam, & vigilias. *Salas diſp.* 14. *de Leg. ſect.* 13.

358. Dubito an compleverim vigeſimum primum annum, teneorne jejunare? Non teneris, pro te ſtante poſſeſſione. Quid ſi quis ætatem illam horâ poſt mediam noctem prima compleverit? Non tenetur eo die jejunare: quia præceptum reſpicit totum diem. *Eſcobar n.* 38. *Palao to.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 1. *p.* 24. §. 1. *n.* 11.

359. Sexagenarii robuſti & validi non tenentur jejunare. *Sanchez l.* 7. *de matrim. diſp.* 37. *n.* 17. contra omnes

omnes fere Doctores, ait Diana *p. 1. tr. 9. resol. 20.*

360. Pueri non tenentur à carnibus abstinere ante duodecimum ætatis annum. *Emmanuel Sa verbo*, Jejunium. Aſt opinionem iſtam in libro ipſius correxit S. Palatii Magiſter.

361. Licitum eſt ſolvere jejunium amici gratia, nos invitantis ad prandium, vel peregrini excipiendi causâ. *Azor l. 7. c. 18 q. 1.*

362. Præceptores Grammatices in Societate ſatisfaciunt, ſi mediam tantùm quadrageſimam, id eſt ter in hebdomada jejunent. Sic putat Sanchez apud Buſembaum *dub. 2. cit.*

363. Non peccat mortaliter, qui alterum obligatum ad jejunium, paratum illud frangere, urbanitatis vel amicitiæ cauſa, invitat ad cœnam, eumque ipſi præbet, ſciens prandium ſumpſiſſe. *Filiutius tr. 27. c. 7. n. 94. Salas de contract tit. de empt & vend. dub. 47. n. 10. Tannerus in 2. 2. diſp. 3. q. 3 dub. 8.*

364. Non eſt evidens quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadrageſima obliget. *Pellizarius in Manual. Reg. to. 1. tr. 5. c. 5. à num. 19.*

365. Saltem non obligat ſub mortali. *Fagundez in Apologia ea de re edita Lugduni a. 1631.*

366. Conſuetudinem etiam abſtinendi à pinguedine & larido non eſſe introductam abſolutè, animo ſe obligandi, ſed initio ex devotione, poſtea ex errore credentium eſſe obligationem, dicit Burghaber *Centuria 3. caſu 13.* Quod autem (inquit) ex errore vim legis habere putatur, eandem non habet, etſi omnes illud obſervent.

367. Ille cui ovorum & lacticiniorum uſus permiſſus eſt, etiam laridi & ſagiminis permiſſus videtur. *Azor, Layman & Fagundez apud Buſembaum dub. 1.* Probabile eſſe ſagimen inter lacticinia numerari, adeóque recipi poſſe in jejunio, docet Tamburinus *l. 4. c. 5. §. 1.*

368. Dives propter eum uſum continuò damnandus non eſt peccati mortalis. *Layman l. 4. to. 8. c. 1 n. 5.*

369. Qui in die jejunii quadrageſimalis non poteſt jeju-

jejunare, nisi comedat ova aut lacticinia, probabiliter non tenetur ea comedere, ut jejunet. *Sanchez l. 5. consil. moral. c. 1. dub. 32.*

370. Sumens post prandium aliquid cibi, in quantitate excusante à mortali, rogatus ab amico, ex sola urbanitate, ne venialiter quidem peccat. *Filiutius tr. 27. c. 2 n. 41, Fagundez prac. 4. l 1. c. 4. n. 3.*

371. Probabile est licere, die jejunii, bibere vinum, mustum, cerevisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino, etiam de mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunii. *Tamburinus loco cit. §. 2.*

372. Etiam hypocras, in magna quantitate, extra refectionis horam assumi potest in die jejunii, quoties quis voluerit. *Escobar tr. 1. exam 13. n. 75.*

373. Similiter potest sumi potus chocolatæ. *Escobar & Tamburinus*, qui licèt prima facie visus esset id negare, lecto tamen (inquit) Thoma Hurtado, id validè & magna cum eruditione probante, ad eum nos remittit. Idipsum plures Patres Societatis docere testatur Diana *p. 4. tr. 4. resol. 194.*

374. Sæpiùs bibens, ut suprà, toties quoties sumere potest aliquid cibi, ne potus noceat, v. g. frustum panis, unam vel alteram ficum, quinque vel sex amigdalas saccaro confectas. *Reginaldus in praxi to. 1. l. 4. c. 14. dub. 4. n. 17. Sa, verbo*, Jejunium *n.* 8. *Layman loco cit. n. 7. Fagundez loco cit. n. 15.*

375. In die jejunii nonnisi veniale est sumere mane prandium, etiam absque causa. *Tamburinus §. 4. n. 2.*

376. Licitum est cauponariis, cum bona directione intentionis (propter suum utique lucrum) die jejunii, præsentare cœnam obligatis ad jejunium, quos probabiliter, imo certò sciunt illud violaturos. *Idem §. 6. n. 6.*

377. Probabile est eum qui (ignorans vel non advertens esse jejunium) manè comedit, licèt postea advertat esse diem jejunii, posse hora prandii consueta cum aliis prandere. *Lessius l. 4. c. 2. n. 20.*

378. De cibis quadragesimalibus, nimirum piscibus, etiam

etiam magnis, herbis, pultibus ex amigdalorum cremore, ea in collatione ſerotina ſumi poſſunt, quæ cuilibet arrident, dummodo conflatum ex pane & cibis illis non excedat uncias octo, etiamſi quantitate illa fames extinguatur. *Tamburinus* §. 3. *n.* 1. 2. 3. 7. *&* 8.

379. Non eſt mortale, octo illis unciis duas addere. *Ibidem.*

380. Nullum eſt peccatum in vigilia Nativitatis Domini ſumere uſque ad uncias ſedecim, etiamſi vigilia Nativitatis contingat in ſabbatho, Feſtum verò Nativitatis feria ſecunda *Ibidem*

381. Qui in die jejunii quatuor v. g. refectiones ſumit, ſolùm peccat mortaliter in ſecunda refectione, non in tertia, nec in quarta. *Sanchez l.* 4 *ſum. c.* 11. *n.* 42. *Azor, Reginaldus, Leſſius, Layman &c.*

382. Heri & patres-familias, aliique curam domus habentes, non tenentur authoritate ſua ad jejunandum compellere famulos obſtinatè nolentes jejunare, ſed eos (charitative monitos) relinquere poſſunt arbitrio ſuo. *Azorius, Fagundez, Filiutius, Reginaldus l* 4. *n.* 199.

383. Quod de famulis, hoc & de filiis dicendum, eos utique jejunare nolentes non teneri parentes cogere ad jejunium. *Azorius & Reginaldus loco cit.*

384. A jejunio abſolutè & univerſaliter excuſantur illi etiam, laborantes tertiana & quartana, quibus Medicus diætam præcipit. *Sanchez l.* 5. *conſil. mor. c.* 1. *dub.* 14. *n.* 3.

385. Similiter excuſantur pauperes, licèt ſufficientem habeant panem & pomorum fructus, & olera. *Sanchez ibidem n.* 2.

386. In die jejunii, qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium, niſi omnes illas parvas comeſtiones eodem voluntatis actu voluerit. *Salas de Legib. diſp.* 10. *ſect.* 8. *n.* 41.

De Præceptis Fidei, Spei, Charitatis & Eleemoſynæ.

387. HOmo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis

tis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. *Tamburinus l. 2. c. 1. §. 1. n. 9. & 10. & c. 3. §. 2. n. 2.*

388. Satis eſt actum fidei ſemel elicuiſſe in vita. *Idem c. 1. §. 1. n 8.*

389. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii; non autem explicita remuneratoris. *Arriaga diſp. 12. ſect. 5.*

390. Adultus ratione utens, ſi in infantia baptizatus fuerit, ſine fide actuali ſalvari poteſt. *Suarez diſp. 12. de neceſſ. fid. ſect. 2. n. 10. Meratius diſp. 19. de fid. ſect. 1. aſſert. 2. Card de Lugo diſp. 12. de fid. ſect. 1. n. 3. Platelius de fid c. 5. §. 4 Comptonus de fid diſp. 15. ſect. 1. Oxea diſp. 12. ſect. 1. n. 12.*

391. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum ſufficit ad juſtificationem. *Eſtrix in Theſibus Lovanii defenſis & in ſcripto de fid. latè dicta.*

392. Fides actualis explicita de Trinitate aut Chriſto nec antè, nec poſt legem gratiæ, neceſſaria eſt neceſſitate medii. *Darellus in Theſi Anglo-Leodienſi de die 10 Novembris 1692.*

393. Sinarum populus ferè per annos bis mille (ſine fide Chriſti) verum Deum coluit, eâ ratione & modo, qui Chriſtianis exemplo & documento eſſe poſſit. *Auctor Commentariorum de Sinarum regno to. 2. pag. 141. 1. edit. & 114. edit. 3.*

394. Sinarum Moralis non minùs pura viſa eſt, quam Religio. *Epiſtola de Sinarum ceremoniis & ritibus.*

395. Morum ſanctitas, cultus veri Dei internus & externus, vera ſacrificia, homines inſpirati à Deo, miracula, ſpiritus Religionis, puriſſima charitas, quæ religionis eſt perfectio & character, & (ſi auſim dicere) Spiritus Dei apud Sinas olim per duo annorum millia & ampliùs permanſerunt. Commentarii de rebus *Sinenſibus to. 1. pag. 135. 137. 138. 145. 183. 406. 416. 418. 421. 431. to. 2. pag. 135. 141. 142. 145. 146. 147. 148. 183. edit. 1.*

396. Religio chriſtiana eadem eſt in ſuis principiis ac fundamentalibus articulis, ac antiqua Religio, quam ſa-

ſapientes ac primi Sinarum Imperatores olim profeſſi ſunt, eumdem cum Chriſtianis Deum adorantes. *Hiſtoria Edicti Imperatoris Sin. l. 2. p. 104.*

397. Judicium probabile ac verum ex locutione divina ceteriſque ad fidem divinam præcognoſcendis, ſatis momenti habere poteſt, ut is qui ex illo dependet aſſenſus fidei, ſit ſupernaturalis, utiliſque ad vitam æternam. Saltem ſi nulla veniat in mentem contraria ratio, nullaque adſit formido ne Deus non ſit locutus. *Eſtrix diatriba Theol. de fid. pag. 80. & ſeq.*

398. Pono ut certum, poſſe cum Deo credere, qui judicat (certo incertove judicio, nihil intereſt) loqui ſibi Deum ſapientem & veracem. *Idem pag. 81.*

399. Auditio illa (de qua Apoſtolus ait: *Numquid non audierunt?*) judicium de locutione divina non generat, quod probabilitatis modum excedat. *Ibidem.*

400. In Areopago Chriſtum annuntiante Paulo, nullis interpoſitis miraculis, non inutiliter crediderunt cum Dionyſio & Damari quidam, nec de locutione divina certiores fuerunt, quam ferebat præconis auctoritas, diſerti quidem & ſapientis, ſed peregrini & primùm viſi ſemelque auditi. *Ibid.*

CENTURIA QUINTA.

401. Accidere poteſt ut is qui credidit aſſenſu fidei ſupernaturali ac ſalutari rem quamquam à Deo revelatam, puta Deum eſſe trinum in perſonis, incipiat deinde prudenter de ea dubitare. . . *Pag. 83.*

402. Licet ei qui jam credidit ex argumento locutionis divinæ probabili, deinde non credere, præcipuè ſi quod eſt contrarium fidei, appareat etiam veriſimilius. *Pag. 84.*

403. Judicium probabile ac verum de locutione divinâ ſatis momenti habere poteſt, ut is qui ex illo dependet aſſenſus fidei, ſupernaturalis ſit; etiamſi in mentem veniat contraria ratio, adſitque formido ne Deus non ſit locutus, quæ hìc & nunc deponi non poſſit. *Pag. 85.*

404.

404. Ex his qui inter hæreticos degunt, si quis fortè, adhibitâ pro captu suo eâ diligentiâ quam potuit, nihil comperit certi, credit tamen quia censet hæc probabiliora: nulli dubium esse potest, quin formidare huic liceat, imprudens sit si non formidet. *Pag.* 86.

405. Non fuit Augustino certius, ex modo assentiendi, veritatem supremam seu Deum esse, quàm se vivere, cogitare, intelligere. *Ibidem.*

406. Casus potest incidere, quo prudenter quis repudiet aliquem fidei assensum, si cœperit apparere æquè vel magis probabile Deum non esse locutum id quod existimabatur priùs. *Ibidem.*

407. Non potuit dubium esse viris sanctis & perspicacibus, quosdam esse in mundo homines, quibus non esset vitio vertendum, si non crederent firmissimè; imò si nec crederent quidem ea, quæ credenda palam proponit Catholica Ecclesia *p.* 87.

408 Quibusdam hominibus fides non est necessaria tam firma, ut dubitare non possint inculpatè, etiam de iis mysteriis, quæ credenda proponit Ecclesia. Incredibile est fidem hanc tam firmam esse necessariam voluisse Ecclesiæ Doctores. *p.* 88.

409. Fide divina eâque supernaturali, credere potest quispiam se esse in gratia apud Deum. *p.* 92.

410. Assensus fidei non potest certior esse ex modo assentiendi quàm sint, ex quibus dependet, notitiæ de existentia, sapientia, veracitate & locutione Dei. *Est assertio 26. ejusdem.*

411. Non potest efficere voluntas, ut assensus fidei sit in seipso magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. *Istud Corollarium n. 132. deducit ex iis quæ antè dixit.*

412. Si assensus fidei esset iis firmior, non esset assensus sapiens. *Ibidem.*

413. Ubi plures S. Scripturæ interpretes aliquem locum in diversas sententias accipiunt, singuli probabiliter; is qui rectè interpretatur ceteris aberrantibus, potest habere assensum fidei supernaturalem de ea veritate, quæ illi Scripturæ loco subjicitur, licèt mixtum cum

cum formidine probabili, ne fortè aberret. *num.* 168.

414. Religio Christiana est evidenter credibilis, non evidenter vera Et consequenter dicimus, non esse evidenter verum, dari in mundo veram religionem revelatam supernaturalem. *Perkerus in Thesi Anglo-Leodiensi anni* 1695. *concluſ.* 8. Damnata est à Clero Gallicano ut infra post propositionem 424.

415. Notæ credibilitatis, quæ sunt in Ecclesia Romano-Catholica, non reddunt fidem nostram catholicam evidenter veram, nequidem evidentiâ mŏrali. *Mansfeldius in Thesi Anglo-Leodiensi anni* 1689. *concluſ.* 26. *Jesuitæ Lugdunenses in Thesi defensa* 26. *Augusti* 1697.

416. De potentia absoluta Deus potest infundere homini errorem tam actualem quàm habitualem. *Harcottus apud Anglo Leodienses die* 4. *Julii* 1667. *concluſ* 7.

417. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccatum per se non damno. *Coninck, Tannerus, uterque Hurtadus, Palao, Granadus apud Leandrum p.* 1. *Decal. tr.* 2. *disp.* 2. *q.* 8. *P. Antonius à Burgundia in Thesibus Lovanii defensis* 24. *Julii* 1668. *Minoritæ in Thesibus anno* 1674. *Antverpiæ defensis.*

418. Licitum est Catholico in authoritate constituto dicere se *Huguenotum* seu *Protestantem* esse, non formaliter fidem illam profitendo, sed recitativè id proferendo, dum alioqui è ditione sua pellendus esset, cùm periculo perversionis multorum Catholicorum, per dominum acatholicum ipsi substituendum. *Gordonus in resolutione cujusdam casus conscientiæ, quæ videri potest in libro, cujus inscriptio est:* Suite de la solution de divers problemes.

419. Licitum est Catholicis præstare juramentum, in provinciis acatholicis exigi solitum ab omnibus ad Magistratum promovendis; *Juro quòd reformatam religionem ego protegam, & conservabo.* Quia ejusmodi juramentum videtur intelligi posse, vel de concursu negativo, seu non impeditivo illius Religionis, vel de con-

concurſu poſitivo indifferenti, in actionibus non conducentibus per ſe ad ſtabiliendam illam religionem, etſi prævideantur per accidens, ſive ex aliena mala voluntate ad eam ſtabiliendam convertendæ. *P. Lambertus van Dilſen, in ſcriptâ reſolutione queſtionis,* An licitum ſit dictum juramentum, *quæ videri poteſt loco citato pag.* 82.

420. Evidens non eſt, quòd exiſtat nunc in terris aliqua vera Religio. *Franciſcus l'Honoré Soc. Jeſu S. Th. Cadomi Profeſſor in Theſi defenſa* 30. *Januarii* 1693.

421. Evidens non eſt quòd omnium, quæ in terris exiſtunt, veriſimillima ſit Chriſtiana. *Idem ibidem.*

422. Qui aiunt Religionem Chriſtianam eſſe evidenter veram, fateantur neceſſe eſt falſam evidenter eſſe. *Ibidem.*

423. Evidens non eſt, quòd afflante Deo fuſa ſint Prophetarum oracula. Quid enim mihi oppones, ſi vel negem illa fuiſſe vera vaticinia, vel affirmem fuiſſe conjecturas? *Ibidem.*

424. Evidens non eſt, quòd vera fuerint quæ à Chriſto edita fuiſſe commemorantur miracula, quamquam negare hæc nemo prudenter poteſt. *ibidem.*

Doctrinam hiſce quinque propoſitionibus contentam conventus Generalis Cleri Gallicani anno 1700. *impiam, blaſphemam, erroneam, & inimicis Chriſtianæ Religionis faventem* ſolemni cenſurâ declaravit.

425. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini. *Amadeus Guimenius tr. de fid. propoſ.* 1.

426. Meo judicio non peccaret, qui conſtitutus in anguſtiis, & interrogatus à Calviniſtis, Sit-ne Religionis reformatæ, reſponderet affirmativè; eò quòd catholica Religio ſit quoad mores ſæpè in Conciliis reformata, præſertim in Tridentino, in quo tot Canones de reformatione. *Gobat to.* 2. *tr.* 11. *n.* 609.

427. Viennæ moriebatur vir dives & probus, qui tamen fuerat in religione Lutheri educatus. Adſunt

Lutherani & Catholici, & dum utrique illum ad se attrahere satagunt, ille inclamat: Deus! in re tanti momenti non me possum resolvere. Moriar in vera religione. Utra talis sit, nescio, tu scis. Et sic devixit. Si autem illis verbis subdidisset verba publicani, *Propitius esto mihi, Deus, peccatori*, videtur potuisse absolvi. Verba enim illa superiora, quæ refertur protulisse, satis demonstrabant non fuisse pertinacem in Lutheranismo, sed duntaxat materialiter hæreticum. *Gobat to. 1. tr. 7. n. 618.*

428. Desertus à medicis quidam mercator, jubet sibi advocari aliquem Ministrum Lutheranum. At famuli accersunt Catholicum. Hic ut venit, laudat aliquas dotes Lutheri... Conciliat sibi ægrotum, instruit in Religione Catholica, audit ejusdem Confessionem, dat ipsi Communionem, & usque ad ultimum anhelitum ad actus contritionis hortatur. Hic mercator existimabat quidem se confiteri Lutherano (nam in multis Lutheranorum urbibus viget adhuc usus auricularis confessionis) præconi; erat tamen reipsa solùm materialiter Lutheranus. Undè falsa opinio de persona Confessarii non vitiabat Confessionem. *Gobat ibidem n. 619.*

429. Latomus, qui cùm cecidisset, vixque oculos aperire posset, aliquem Prædicantem postulavit. Supervenit pientissimus senex N. &, ut novit esse Lutheranum, & Wirtenbergensem, curat statim advocari Patrem N. qui erat ejusdem patriæ. Hic consolatur Latomum, & ait, Si esset hìc ad manum aliquis Lutheranus, posset vocari. At ille non est; & tamen vis confiteri. Sumus amici, & ego possum meliùs absolvere, quàm quicumque Prædicans. Sic confessionem extorsit, & absolvit, Latomusque obiit, antequam Eucharistiam reciperet. Et qui præsentes fuerunt, dubitaverunt, an bona fuerit illa confessio (inquit Caramuel, dissimulans resolutionem hujus dubii) Ego autem non dissimulo, sed dico probabilissimè valuisse. Quia ex una parte ambigi non debet, quin optimus ille Suevus Religiosus induxerit suum Patriotam ad eliciendos

dos actus fidei, communes saltem nobis & Lutheranis; itemque ad actus spei & charitatis. Ex altera autem parte (quidquid aliter fortassis sentiant aliæ Nationes) satis nobis constat, plurimos profitentium absurdissimi Lutheri sectam, esse duntaxat materialiter hæreticos. Ergo non defuit illi Latomo vera fides de Deo, Christo, Cœlo, Inferno &c. Consequenter potuêre adesse supernaturales actus spei, dilectionis, contritionis, fundati in ea fide. *Gobat ibidem n.* 621.

430. Erat in extremis quidem hæreticus, homo benè moratus, & qui videretur materialiter tantum errare. Eum visitat Pater N. ait: Fuimus amici, sumusque, & volo quòd sincerè respondeas. Nonne in Religione Lutherana permanes, quia illam veram existimas? Nonne illam statim relinqueres, si falsam putares? Nonne doles te Deum offendisse? Nonne confiteris Deo te peccasse, & vis confiteri homini, qui te possit absolvere? Nonne mihi confitereris, si scires te posse & debere hoc facere? Annuit ad singula æger. Et Pater ait: Si est sufficiens ista Confessio, ego te absolvo &c. Et postea quæritur, An fuerit vera ista Confessio? Si vera, an integra? Si Sacerdos prudenter concesserit absolutionem? An necessariò posuerit conditionem? An verò absolutè absolvere ægrotum potuerit?

Ad quas quæstiones succinctissimè respondeo, illam Confessionem fuisse (si seriò talia dixit ille benè moratus) veram Confessionem; utpote cui nihil essentiale defuerit. Fuisse quoque integram formaliter, etsi non materialiter. Confessarium prudenter concessisse absolutionem, & quidem sub conditione, si habuit ex circumstantiis rationem dubitandi, utrùm germano, idest, minimè fucato animo prolocutus esset hæc omnia æger. Absolutè verò, si non occurrit ratio positiva dubitandi de germanico candore. *Ibidem n.* 622. *&* 623.

Has propositiones à 416. ad 430. inclusivè, Illustriss. Atrebatensis Episcopus damnavit ut falsas, temerarias, scandalosas &c.

431. Præceptum affirmativum amoris Dei & proxi-

mi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum impletionem satisfit. *Tamburinus l. 2. c. 3. §. 2. n. 3. Guimenius tr. de charit.*

432. Deus, præcipiendo sui amorem, satis habet, si sibi in aliis mandatis pareamus. *Sirmondus in defens. virtut. pag. 16.*

433. Præceptum amoris Dei per se tantùm obligat in articulo mortis. *Vasquez apud Escobar tr. 1. exam. 2. n. 21.* ubi sic putat Vasquez sufficere, si Deum deligamus in fine vitæ.

434. Hurtado de Mendoza *in 2. 2. disp. 74. sect. 6. §. 36.* adesse censet per singulos annos implendi hujus præcepti obligationem; imò remissiùs agi nobiscum quòd sæpiùs non petatur. *Ibidem.*

435. Coninck putat hoc præceptum ad tres aut quatuor annos non esse differendum. *Ibidem.*

436. Henriquez præter mortis articulum & morale principium usus rationis, tempus assignat vitæ intermedium, saltem singulis quinquenniis. *Idem tr. 5. exam. 4. n. 8.*

437. Probabile est, nec singulis quinquenniis rigorosè obligare, sed sapientum arbitrio. *Idem ex Filiutio ibidem.*

438. Diligendi Dei præcepto homines obligari affirmat S. Thomas statim ab initio usus rationis. Hui! tam citò? Sotus, post acceptum beneficium. Grati quidem animi istud indicium est. Quidam in mortis articulo: nimis serum est. Nequidem quoties recipitur aliquod sacramentum, eam obligationem urgere existimem. Sufficit enim attritio cum confessione, si commodè fieri possit. Aliquo tempore teneri censet Suarez. At quo? tuo judicio remittit, ipse nescit. At quod ille nescivit, quis sciat, nescio. *Sirmondus loco citato & tr. 2. de ord. charit. sect. 1. cap. 2.*

439. Non parum feciſſet, qui Deum actu semel in vita dilexisset; quod etiam in rigore ultra præceptum esset. *Idem respons. pag. 21.*

440. Ante legem gratiæ... longè frequentiùs sub lethali culpa tenebantur homines Deum ex charitate super

per omnia diligere, quàm Chriſtiani in nova lege. *Molina de juſt. & jur. tr. 5. diſp. 59. n. 5.*

441. Divini amoris affectus nobis in rigore non eſt præceptus, ſed effectus dumtaxat, ſive amor effectivus, non affectivus. *Sirmondus cit. tract. 2. ſect. 1. c. 2.*

442. Deus non tam præcipit amorem ſui, quàm odium vetat, ſive formale & actuale (quod non humanum, ſed diabolicum eſt) ſive materiale, quod in mandatorum tranſgreſſione poſitum eſt. *Sirmondus ibidem pag. 12.* Pro cujus defenſione, adverſus impugnatores doctrinæ tam laxæ, Apologias ediderunt Annatus, Pinterellus, Moynius.

443. Mihi placet doctrina Azor... hoc præceptum charitatis impoſitum fuiſſe ob juſtificationem, quando impius, quia Sacramentum pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam qua ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis, quæ ſemper aliquo tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia involvit. . . . Conſequenter ergo & indirectè, ratione ſuæ juſtificationis, ad actum charitatis fideles obligantur. *Tamburinus loco citato* § 2.

444. Replicabis 2. ex dictis de attritionis ſufficientia ſequitur quòd poſſit contingere, ut ſalvetur homo qui omnia Dei mandata ſæpiſſimè violavit, & numquam implevit primum mandatum diligendi Deum. Si enim homo ille ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ cum ſola attritione, juxta dicta recuperabit habitum charitatis, & juſtificabitur. Undè, ſi ſtatim moriatur (ut poteſt contingere) ſalvabitur. Reſpondeo, concedendo totum. Neque enim eſt abſurdum, quòd per accidens ſic fiat in caſu poſito; per ſe autem non ſit, &c. *Eduardus Slaughter ſic dictavit in ſchola publica Leodii tr. de pœnit. p. 2. diſp. 4. ſect. 6. in ſolut. 1. object.*

445. Deum finem ultimum homo amare non tenetur, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis. *Auctor Theſeos defenſæ in Collegio Muſſipontano Soc. 14. Januarii* 1689.

446. Æquitati conſentaneum fuit in lege gratiæ & novi teſtamenti, illud durum & difficile exercendi ad

obtinendam justificationem perfectæ contritionis, id est charitatis actus, præceptum resolvi.... Alioquin christiani, qui filii sunt, nihilo facilius Patris sui gratiam sibi reconciliarent, quàm Judæi, qui tantùm servi erant. *Pinterellus in libello Abbat. Beissiac. pag.* 53.

447. Christus suo nos sanguine liberavit à necessitate serviendi Deo ex amore, ad meritum vitæ æternæ. *Simmondus in defens. virt. tr.* 2. ubi evangelicum istud: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*, sic exponit: *Sanè liberi erimus.... à stricta nimis obligatione..... amandi Deum in ordine ad meritum.*

448. Per se non tenemur proximum diligere actu interno & formali. *Suarez disp.* 5. *de præcept. char. Estrix in Thesi Lovan. anni* 1670. Et probabile dicit Amicus *to.* 4. *disp.* 28. *sect.* 1. *n.* 3.

449. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per actus externos. *Idem ibidem.*

450. Evangelicus ordo correctionis fraternæ non obligat sub mortali. Quia præceptum istud perniciosum foret, nedum inutile. *Amadeus Guimenius pag.* 7. *n.* 6. *edit. Lugdun.*

451. Sentit Coduba, cùm quis habet superfluum status, quòd etiamsi non sint necessitates urgentes, tenetur communiter aliquid egentibus tribuere.... sed hoc non placet: suprà enim contra Cajetanum & Navarrum contrarium probavimus. *Vasquez. apusc. de eleemos. c.* 1. *d.* 4. *n.* 32.

452. Confessarius absolutionem à peccatis diviti non facilè negare debet, quòd communes hominum miserias per eleemosynam sublevare monitus recuset. Tum quia de obligatione hac, an & qualis sit, Doctores non conveniunt, tùm quia semper dives aliquam causam in specie præfert, cur recuset. *Layman l.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 1.

453. Non tenemur opitulari proximo, gravi necessitate laboranti, nisi possimus cum levi tantùm detrimento rerum nostrarum. Communem verò necessitatem patientibus non tenemur eleemosynam largiri, nisi possimus absque ullo incommodo. *Longuetius in 1. Decal. præcep.*

454

454. An actus hic divitis, *Nolo erogare de ſuperfluis ſtatus eleemoſynam in communibus neceſſitatibus*, ſit mortale peccatum. Tres hac de re ſententias profert Eſcobar *tr. 5. exam. 5. c. 6. n.* 104. relictâ Lectori optione, quam ſequi malit. Prima Suarii affirmat eſſe peccatum mortale. Secunda Granadi, ſolùm eſſe veniale. Tertiâ Hurtadi, nullum eſſe peccatum.

455. Extremè indigentibus non eſt obligatio ſuccurrendi per eleemoſynam, ſufficit per mutuum appoſita conditione reſtituendi, dum melior fortuna redierit. *Eſcobar ibidem n.* 99.

456. An ea dicenda ſint ſuperflua quæ ad meliorandum ſtatum conſervantur? Minimè. *Eſcobar ibidem n.* 105. cum Granado.

457. Laici poſſunt de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum vel conſanguineorum mutandum. Et tunc illud non dicitur ſuperfluum. Undè vix in ſeculâribus, etiam in Regibus, invenies ſuperfluum ſtatui. *Vaſquez loco cit. c.* 4. *n.* 14. *Tamburinus l. 5. in Decal. c.* 1. §. 1. *n.* 14.

458. Auctore Leſſio, poſſunt ab Eccleſiaſticis beneficiatis propinqui illorum aliis pauperibus non ſolùm præferri; ſed & plus ceteris accipere, etiam in ſtatus incrementum; non ſolùm juxta qualitatem eorum, ſed juxta dantis Epiſcopi, Præpoſiti &c. qualitatem. *Eſcobar n.* 60.

De tribus primi Decalogi præceptis.

459. EX ſupra allatis Probabiliſtarum principiis ſequitur 1. infidelibus pleriſque omni gratia deſtitutis probabilem, adeóque excuſabilem eſſe polytheiſmum. Docet enim famoſus Caramuel, (quem Magnum ipſi Caramuelem vocant) *Deorum pluralitatem, ſtando puris principiis naturalibus, defendi poſſe & propugnari. Th. Mor. n.* 1559. *Et n.* 1563. *quòd prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabiliſſimè crederet dari plures Deos.*

460. Sequitur 2. eorum quoque pleriſque atheiſmum

esse probabilem, ac per consequens excusabilem Cùm enim *multitudo Numinum* (juxta SS. Patres) *nullitas sit Numinum*; probabilis admissio multorum, probabilis est admissio nullius. Et hinc atheismum ex prava Doctoris athei instructione excusabilem admittunt Arriaga, & alii Centuria II relati.

461. Quid si atheo, cui probabilis esset suus atheismus, dubium incideret de existentia Dei, timorque inferni, si non coleret ipsum? Respondet Caramuel n. 1034. quòd isto in dubio stare posset pro possessione sui probabilis atheismi, timoremque deponere, dicendo, quòd Deus (si daretur) non damnaret non colentem ipsum, invincibiliter (quia probabiliter) ignoratum. Enimverò contra quem peccaturus esset (inquit n. 1035.) qui probabiliter non dari Deum existimaret? Favet isti Responsioni Arriaga suprà propositi. 164. dum vel eum qui ignorat vincibiliter Deum, censet à peccato nihilominus excusari posse, quòd eum non colat, etiamsi suborto ipsi dubio de existentia Dei, omittat inquirere. Favet & Valentia, dum idololatriam ad aliquod saltem tempus in homine rudiore existimat posse per ignorantiam (uti vocat) invincibilem excusari.

462. Licitum est Christianis, rationabili causâ interveniente, coram idolo exhibere actus reverentiæ & cultus iis in locis, ubi (ex recepta institutione & lege idololatrica) ad idolum referuntur, dummodò manu gestent, vel in altari inter flores, crucem abscondant, ad quam ipsi suam intentionem & cultum occultè dirigant, non ad idolum. *Missionarii quidam Sinenses è Soc. apud Thomam Hurtadum in calce resolut. Orthodox. Moral.* De quo fidem etiam facit Epistola Illustrissimi D. Joannis Palafox Episcopi Angelopolitani ad Innoc. X.

463. Verba sacra pro latratu canum, proque effluente sanguine, amotâ certâ expectatione & variis vanis ceremoniis, sunt licita. *Tamburinus l. 2. c. 6. n. 80.*

464. Si homines rudes bona fide aliquem ritum ab Ecclesia non receptum ex devotione observent, aliquando sunt in sua simplicitate relinquendi; cùm difficulter ab-

abducantur ab eo quod bona fide à ſuis majoribus acceperunt. *Layman apud Buſenbaum l. 3. tr. 1, c. 1. dub. 4.*

465. Video viros pietate & doctrinâ non mediocres, ab Aſtrologis ſui Natalis figuram, ſuoſque particulares futuros eventus non cum ſcrupulo expoſcentes. Certè eum cui prædicitur modo dicto prælatura, non condemnarem, ſaltem de mortali, ſi adire Romam velit, ad aliquam, ſub aliqua ſpe, non verò, certitudine, expectandam. *Tamburinus loco citato. n. 19. & 29.*

466. Quando Magus licito modo poteſt tollere maleficium, licitum eſt ab ipſo petere non tantùm ut illud tollat, addendo *modo licito*, ſed & ſimpliciter & ſine addito, licèt hoc petens certò vel probabiliter ſibi perſuadeat, quòd illud non tollet niſi modo illicito. *Buſenbaum dub. 5. cum Sanchez, Filiutio, Leſſio.*

467. Quandonam obligat naturale præceptum orandi vel adorandi Deum? Ego hìc ſentio, quòd ſuprà dixi de præcepto fidei, ſpei & charitatis, non dari ſcilicet certum tempus & determinatum, in quo directè obligat, ſed ſolùm quo obligat indirectè, quando ſcilicet urget neceſſitas alicujus boni acquirendi, vel mali, ſeu tentationis avertendæ, quæ acquirere vel avertere ſine Dei auxilio non poſſum. *Tamburinus l. 2. c. 4. §. 2. n. 4*

468. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem. *Bannius in ſum. pag. 65. edit. 15.*

469. Promittere cum juramento rem venialiter illicitam, eſt veniale. Quia non videtur gravis injuria Dei, uti divino teſtimonio ad rem venialiter illicitam. *Tamburinus l. 3. c. 3. §. 3. n. 9.*

470 Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis. *Idem. §. 2. n. 1.*

471. Solùm peccat venialiter, qui jurat ſe non daturum Eleemoſynam. *Buſenbaum cap. 2. dub. 3. cum Suarez, Leſſio, Sanchez &c.*

472. Non eſt juramentum dicere, *In fide Sacerdotis. Ibid. dub. 1.*

473. Qui cum juramento promisit rem exiguam, v. g. dare nummum pro Eleemosyna, probabiliter implere non tenetur sub gravi peccato. *Busenbaum dub. 5. cum Sanchez & Layman.*

474. Qui mediante commendatione vel munere, ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum (de mandato Regis à similibus exigi solitum) non habito respectu ad intentionem exigentis. Quia non tenetur fateri crimen occultum. Et jurare potest cum restrictione mentali, quòd utique, commendationem vel munus non interposuerit publicè, vel eo modo ut sit probabile in judicio. *Lessius lib. 2. de just. cap. 42. dub. 9. n. 46.* Tametsi fateatur quòd ante suam promotionem, dum res adhuc est integra, teneatur revocare suam commendationem, ut jurare possit secundùm mentem statuti.

475. Licitum est, tam in judicio quàm extrà, jurare falsum cum mentali restrictione, in mente jurantis efficiente sensum verum, non habito respectu ad intentionem ejus qui petit juramentum. *Sanchez l. 3. in Decal. c. 6. n. 31. & 32 Lessius c. 31. dub. 3. n. 14. Filiutius tr. 25. c. 1. n. 236.*

476. Licitum est inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans putet esse verum, sed inducens scit esse falsum. *Tamburinus c. 1. §. 6. n. 7.* cum Petro Hurtado.

477. Testis interrogatus à Judice de occulto alicujus crimine, vel de crimine de quo non tenetur testificari, quia v. g. notabile damnum sibi sequeretur, potest jurare se rem nescire, intelligendo, *ita ut teneatur illi judicio subdere*, vel quid simile. *Tamburinus c. 4. §. 2.* id vocans, *æquivocare cum juramento.*

478. Si quis licitè aliqua bona abscondit, v. g Fisco, eo quòd illis indigeat ad vitam sustentandam, non solùm ipse, sed etiam alii, sive rogati, sive ex se (si tamen indigentia iis constet) possunt æquivocando testificari, illum nihil abscondisse. *Ibidem n. 3.*

479. Non solùm ipse Reus, si v. g. sit Clericus, sed etiam

etiam alii poſſunt jurare cum æquivocatione, coram ſæculari judice, Clericum non deliquiſſe: intelligendo, ita ut obligentur id coram ſæculari deponere; quia hic illegitimus eſt quoad Eccleſiaſticos. *Ibidem.*

480. Imò obligabitur teſtis aliquando ſic æquivocare. Solet adferri exemplum de eo, qui Judici peccatum omninò occultum Rei manifeſtavit: is enim tenetur teſtificari coram eodem, Reum non commiſiſſe tale delictum: intelligendo, *ita ut ſubſit externo judicio. Idem n. 4.*

481. Poteſt quicumque, legitimâ intercedente cauſâ, petere juramentum ab eo quem probabiliter timet eſſe pejeraturum. *Filiutius tr. 21. c. 11. n. 443.*

482. Juſta ad id cauſa eſt neceſſitas vel utilitas. *Ibidem.*

483. Modica utilitas ſufficit ad excuſandum à peccato petentem juramentum ab eo quem conſtat eſſe juraturum per falſos Deos. *Sanchez l. 3. c. 8. n. 23.*

484. Probabile eſt culpam ſolùm venialem admitti ab exigente hoc juramentum ab infideli parato ad jurandum per falſos Deos, quando deeſt neceſſitas aut utilitas excuſans. *Idem ibidem n. 22.*

485. Negare verbis Deum, blaſphemiæque verba proferre ex cholera & indignatione contra proximum; abſque indignatione contra Deum, formalique intentione Deum inhonorandi, non eſt mortale peccatum. *Baunius in ſum. c. 6. pag. 66. 67. 68. 69.*

486. Soli illi rei ſunt mortalis blaſphemiæ, qui verba blaſphemiæ proferunt ex intentione formali faciendi contumeliam, opprobrium vel inhonorationem Deo, vel Chriſto, vel ſanctiſſimis membris ipſius. *Ibidem.*

487. Si pœnitens dicat ſe ex choleræ impetu, vel indignatione, non contra Deum, ſed contra proximum juraſſe per caput, per ventrem, per mortem Dei &c. judicari poteſt non peccaſſe niſi venialiter. *Baunius Ibidem. Arſdekinus Theol trip. t. 2. p. 2. c. 2. §. 1.* & Sanchez apud ipſum.

488. Maledicere vento & pluviæ quâ affligimur, aut dici & loco in quo nati ſumus, aut equis & jumentis

ut faciunt ruſtici & aurigæ, ſi ſiſtat maledictio in ſola creatura, ſic ut tantùm ipſi malum imprecemur, non eſt per ſe lethale peccatum. *Arſdekin. ibidem.*

489. In ira uſurpare dæmonem ſine imprecatione, non eſt per ſe peccatum. *Buſenbaum c. 1. n. 11. cum Layman.*

490. Sibimetipſi ex ira dæmonem imprecari veniale tantùm eſt. *Baldellus to. 2. l. 4. d. 25. n. 10.*

491. Arbitratur Molina, tametſi aliquis ex ira vel objurgationis cauſâ gravem alioqui maledictionem in alterum effundat, v. g. ut diabolus illum rapiat, ſed ſine animo ac voluntate ut id eveniat, atque ſine notabili contumelia. . . . non fore peccatum mortale. *Apud Joannem Baptiſtam Taverne p. 1. tr. 6. c. 6. §. 1. q. 5.* Ubi id non improbat, tametſi addat, quod ſi ſeipſum aliquis ex ira deliberativè dæmoni devoveat, quamvis ſine animo ut ita eveniat, à mortali excuſandum non eſſe, ob fœditatem, horrorem ac perverſitatem rei.

492. Aliquis docuit probabiliter, obligatum ex præcepto, ex voto, ex pœnitentia tres miſſas audire, ſatisfacere, ſi ſimul à tribus ſacerdotibus eodem tempore celebrantibus audiat. *Eſcobar tr. 1. exam. 11.*

493 Canonici confabulantes in Choro lucrantur diſtributiones. Iſtæ enim illis dantur pro aſſiſtentia in Choro, & ut Chorum ſua præſentia authorizent: ſicut Clerici funus aliquod comitantes, licèt confabulentur, licitè acquirunt ſtipendium, quia datur illis ut comitentur & authorizent. *Sanchez l. 2. conſil. c. 2. dub. 100 n. 2.*

494. Si des aliquid Antonio, ut pro te intercedat apud Petrum beneficii collatorem, ſimoniacus es; ſi autem des aliquid Joanni, ut apud Antonium intercedat, ut apud collatorem pro te interceſſor exiſtat, ex Vaſquez ſententia, quem citat & ſequitur Sanchez, à ſimoniæ peccato liberaris. *Eſcobar. tr. 6. exam. 2. c. 6.*

495. Non eſt ſimonia, pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali conferendum ex gratitudine. *Tannerus to. 3. diſp. 5. q. 8. dub. 3. n. 76.*

496. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed

ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut econtra. *Valentia, Tannerus &c. apud Guimenium tr. de ſimonia propoſ.* 1.

497. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius, ſic ut pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis. *Tannerus loco citato.*

498. Poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale, principaliter tamquam propter finem, non ipſius rei ſpiritualis (quaſi temporale plus ab eo æſtimetur quàm ſpirituale) ſed tantummodò voluntatis, ſeu applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale. Et tunc licèt interveniat pactum, non eſt ſimonia. *Valentia to. 3. diſp. 1. q. 10. p. 3.*

499. Vitatur ſimonia, quando per temporale fit tantùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contra. *Ibidem p. 5.*

500. Patet non eſſe ſimoniam, ſi quis obſequium, aut aliquod munus temporale Epiſcopo impendat ſpe conſequendi ab illo, titulo gratitudinis, aliquod beneficium ſpirituale. *Ibidem p. 3.* Ratio eſt, inquit, quia, quod datur ex obligatione antidotali, non datur ut debitum legale ex juſtitia, ſed ex gratitudine, & ita ſpirituale non habet tunc rationem pretii.

CENTURIA SEXTA.

501. CUM actus virtutis, ut collatio beneficii, abſolutio à peccatis &c. affert aliquam utilitatem ei qui dat pecuniam, faciliùs quidem præſumi poteſt ſimonia: ceterùm in foro conſcientiæ nihil impedit quominùs pro hujuſmodi etiam actibus poſſet dari pecunia, tamquam motivum dumtaxat, tametſi rarò aut numquam in hac re videatur vitari poſſe ſcandalum, ſi id fieri ſciatur. *Ibid. pag.* 1979.

502. Cùm petitur temporale pro ſpirituali, non tamquam debitum ex juſtitia, ſed tamquam finis applica-

tionis animi ad conferendum spirituale, minimè erit simonia, etiamsi principaliter intendatur & expectetur. *Ibidem pag.* 1988.

503. Simonia non est beneficium conferre propter preces, tametsi sint collationis istius motivum principale, dummodò temporale commodum ex ista collatione proveniens non attendatur velut pretium beneficii, sed velut motivum dumtaxat. *pag.* 1980.

504. Qui beneficium confert timore amittendi temporale quod possidet, vel spe acquirendi quod sperat, simoniacus non est, etiamsi hoc pacto per spirituale aditum sibi patefaciat ad temporale speratum, pro eo dando spirituale, dummodò spirituale non det pro temporali ut pretio, sed solùm ut motivo. *pag.* 1983.

505. Licitum est pecuniam aut obsequium conferre in Episcopum, causa conciliandi ejus amicitiam, ut ita demum inducatur ad conferendum beneficium digno, ut communiter Doctores tradunt: ergo similiter licebit pecuniâ redimere vexam, etiamsi per id aditus patefiat ad spirituale. *pag.* 1986.

506. Licitum est redimere vexam, etiam ut dignus eligatur. . . non emendo, sed offerendo pecuniam ut motivum dumtaxat, *pag.* 1991.

507. Permutans beneficium minus pingue cum longè pinguiore, dare potest ei cum quo permutat summam pecuniæ æquantem valorem fructuum beneficii pinguioris, loco pensionis, quam ipsi crearet, dummodò id fiat cum auctoritate Superioris. Quia quòd aliquid simul vel successivè solvatur, per accidens est in proposito, saltem in foro conscientiæ, quidquid sit de præsumptione externi fori; neque hoc variat modum transactionis, dummodò eodem titulo summa, sive successivè, sivè simul solvatur. *pag.* 1998.

508. Simoniacus non est, neque simoniâ reali, neque conventionali, neque mentali, qui Episcopo pecuniæ summam promittit, etiam scripto, hâc conditione, ut beneficium ipsi conferat, dummodò promittens non habeat intentionem persolvendi, adeóque nec verè promittendi, sed Episcopum decipiendi per fictam illam

lam promiſſionem. Quia talis non habet intentionem emendi beneficium, cùm interiùs non promittat. *pag.* 2005. Ita etiam Apologia Caſuiſtarum *pag.* 64. ſicut & Leſſius, Toletus, Valentia, Suarez, Layman, Palao apud Honoratum Fabri in Apologetico Societatis, opuſculo inſcripto, *Anonymus contra Anonymum. cap.* 13.

509. Exiſtimo cum Valentia, eo modo quo licet temporale accipere pro ſpirituali ſine ſimonia, licere etiam de hoc ipſo pacifci. *Eſcobar tr.* 6. *exam.* 2 *c.* 2. *& ſeqq.*

510. Non eſt ſimonia, dum duo Religioſi ſimul ineunt hoc pactum „ *Da mihi ſuffragium tuum ut eligar* „ *Provincialis, & tibi dabo meum ut eligaris Prior.*“ *Apologia Caſuiſtarum, & Honoratus Fabri locis citatis.*

511. Lata adverſus Simoniacos excommunicatio, ad veram tantùm pertinet ſimoniam, atque adeò, qui propter ſolas Eccleliæ leges Simoniaci ſunt, ab his fulminibus intacti ſunt. Quia ſimonia Eccleliaſtici juris non eſt propriè loquendo ſimonia. *Apologia Caſuiſtarum pag.* 113.

512. Si ſimonia certi juris ſit & indubitati, extra dubium eſt, Simoniacorum pœnas incurri: ſi verò probabile ſit in aliqua actione ſimoniam non interveniſſe, eam faciendo pœnas non incurriſti. *Quia ſecutus fuiſti, vel nunc ſequi potes*, nota bene, *opinionem probabilem. Tamburinus l.* 1. *in Decal. c.* 3 §. 7. Indè concludens, quòd ſi actionem illam ponendo, eam ſimoniacam eſſe credidiſti; inventa poſtmodùm opinione probabili in contrarium, *Depone*, inquit, *illam erroneam conſcientiam, & beneficium retine.*

513. Quid in dubio? Scis v. g. certò te centum aureos dediſſe, ſed dubitas an dederis in pretium rei ſpiritualis, ſeu rei annexæ ſpirituali? An potiùs ob aliquid temporale, ſeu ob aliquid, quod ſolùm remotè ſe habuerit ad rem illam obtinendam. Reſpondeo te non incurriſſe pœnas, quare poſſe te reputare liberum ab obligatione dimittendi Beneficium, & ab excommunicatione. *Idem ibidem.*

514.

514. Beatissimæ Virginis cultores damnari omninò impossibile est. . . . eò quòd Beatissima Virgo suo patrocinio semper impetrat à Deo auxilia gratiæ, quibus ejus cultores, alioqui *pravi & scelerati*, ad Deum convertuntur. *Franciscus de Mendoza in virid. sacr. & profan. erudit. l. 2. problem. 9.*

515. Inferiores animarum curæ, licèt ex vi juris videantur immobilitatem habere, ob communem tamen usum probabile est quòd liceat eas assumere, non animo permanendi in illis perpetuò, sed vel ad alia pinguiora beneficia ascendendi, vel renuntiandi cum aliquo emolumento, vel simplici pensione. *Suarez to. 3. de relig. l. 1. c. 17. n. 18.*

De quarto Decalogi præcepto.

516. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas. *Castro Palao to. 1. tr. 6. d sp. 4. de charit. p. 1. 11. Gaspar Hurtadus apud Dianam. p. 5. tr. 13. resol. 99.* & satis probabile censet Tamburinus *l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 29. 31. 32. 33.*

517. Licitum est matri mortem filiarum optare, eò quòd ob deformitatem, vel inopiam, non possit eas juxta suum desiderium nuptui tradere, vel quòd ob illarum causam malè tractetur à marito. *Palao ibidem*, cum Azorio. Et probabilem Tamburinus putat *loco citato.*

518. Similiter subditus licitè potest mortem cupere sui Prælati, ut Prælaturæ ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur. *Tamburinus ibidem.*

519. Pater Fagundez sic loquitur: Licitum est filio gaudere de patricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. Hanc doctrinam deducit ipse ex illo vero & multis persuaso principio, quòd scilicet quando ex aliqua actione, secundùm se quidem prohibita, attamen ob defectum deliberationis inculpabili, oritur aliquis effo-

effectus bonus, poſſimus licitè gaudere, non ſolùm de illo effectu, ut per ſe clarum eſt, ſed etiam de ipſamet actione prohibita; non quidem quatenus prohibita, ſed quatenus eſt cauſa vel occaſio boni eventus. Cùm igitur ex una parte ſupponatur illud patricidium fuiſſe inculpabile, ob defectum tam deliberationis impeditæ per ebrietatem; quàm prævisionis non antegreſſæ. Ex altera autem parte amplæ opes ſint hujus patricidii effectus vel bonus, vel certè non malus; fit ut illa Patris Fagundez doctrina, quæ paradoxa videri poſſit, veritatem habeat ſpeculativam, etſi practicè periculoſam. *Gobat to. 3. tr. 5. c. 9. ſect. 8 n. 54. & 55.*

520. Inferes, ſicuti licitum eſt gaudere, quòd hi aut illi mali effectus evenerint inculpabiliter tempore ebrietatis; ita etiam fas eſſe optare ut eveniant, ſi quo caſu contingat aliquem vino deponi. . . . Ratio eſt, quia quod eſt objectum honeſti gaudii, eſt etiam objectum honeſti deſiderii. *Gobat ibidem n. 57.*

521. Si filius cognoſcere nolit patrem, non ex contemptu, ſed ad vitandum aliquod incommodum, aut erubeſcentiam, à mortali culpa eſt excuſandus. *Tamburinus ſuprà c. 2. §. 2.*

522. Poteſtne filius ſalarium exigere à patre mercatore, aut agricola, pro operâ à ſe illo in officio impenſa? . . . . Layman probabiliter poſſe exigere cenſet. *Eſcobar tr. 2 exam. 9 c. 4. Tractatu verò 1. exam. 9. c. 4.* dixerat, poſſe exigere quantum pater uni extraneo deberet. Si illud non poſſet à patre petitum accipere, poſſet clam accipere, ad juſtam æſtimationem laboris & induſtriæ ſuæ, computatis expenſis, quas pater in ipſo efficit alendo.

523. Probabile eſt & tutum, quòd filii poſſunt matrimonium inire, etiam cum indignis, abſque conſenſu parentum, imò ipſis diſſentientibus. *Tamburinus Ibidem §. 3. n. 5.* cum Sanchez apud ipſum.

524. Si ſtatuit Evariſtus Papa, ut pro nupta nequaquam habeatur puella, quam pater ipſe non deſponſat. Si Leo Pontifex & Ambroſius ajunt, non eſſe virginalis pudoris maritum eligere, ſed judicium parentum eſſe

se expectandum. Si etiam in Sacris Scripturis parentibus tribuitur hoc munus. Si S. Paulus expressè hoc docet, à parentibus tradendas esse filias nuptui. Si multa Sanctarum Scripturarum exempla id manifestè demonstrant. Respondeo cum Sanchez, inde probari, quòd esset honestum, ejusmodi consilium à parentibus exquirere; non quòd mortale peccatum esset secus facere. *Idem ibidem n. 6.*

525. Si pater in manu Latronum constitutus, versaretur in discrimine vitæ, nisi à divite filio per petitam pecuniæ summam liberaretur, tenetur eam summam pro salvanda vita patris erogare ex superfluis; vel solùm statui convenientibus (licèt hoc non sit omninò certum) non ex necessariis, ita ut notabiliter à suo statu dimovendus esset. *Tamburinus loco citato c. 1. §. 1. n. 11.*

526. Virginitatis jus & potestas penes ipsam virginem est, de eaque usque adeò disponere potest, invitis parentibus, ut ipsis injuria nulla fiat, sive ab ipsâ, sive à stupratore, dum consentiens stupratur. *Baunius in summa Gallica p. 148. Apologia Casuistarum pag. 141.*

De quinto Præcepto, Non occides.

527. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. *Lessius l. 2. c. 9 n. 77.*

528. Licèt vir nobilis ab alio impetitus, fugiendo posset vitam salvare, non tenetur fugere, sed potest, si opus sit, occidere aggredientem. Quia patitur vim quam non tenetur fuga sibi ignominiosa declinare, sed potest vi repellere. *J. B. Taverne p. 1. tr. 6. c. 6. §. 5. q. 2. Gobat t. 3. tr. 5. c. 19. sect. 1. n. 7.*

529. Cùm vindicare propriè sit velle reddere malum pro malo, rationem defensionis, non vindictæ habet, quòd homo militaris eum à quo vulneratus est insequatur, non ut malum pro malo reddat, sed ut conservet honorem sibi ablatum. *Reginaldus l. 21. n. 62.*

530. Si illatâ alapâ cessos, vel etiam fugias, vir nobi-

bilis vel honoratus, hujuſmodi injuria affectus, poteſt ſtatim repercutere, vel fugientem inſequi, & tantum infligere verberum vel vulnerum, quantum putatur neceſſarium ad honorem recuperandum. *Henriquez de irregularit. c. 10.*

531. Leſſius probabile dicit in ſpeculatione, non facile permittendum in praxi. *l. 2. de juſt. c. 9.*

532. Iſte etiam poteſt fugientem inſequi & occidere. *Henriquez l. 14. n. 10. Azorius, Filiutius, Eſcobar, Herellus, Hurtadus de Mendoza, Becanus, Apologia Caſuiſtarum p. 91.*

533. Alapâ percuſſus, cenſetur tamdiu honore privatus, quamdiu adverſarium interimit. *Eſcobar tr. 1. exam. 7. n. 45.*

534. Dices, vanus eſt ille honor, non verus. Reſpondeo eum eſſe talem, ut abſque eo conſervato, vivere non poſſint nobiles. Eſtque tam verus honor, quàm divitiæ humanæ ſint veræ divitiæ. *Profeſſor è Societate publicis in prælectionibus Cadomi traditis.* Eas Parlamento Pariſienſi Facultas Pariſienſis detulit.

535. Quia tamen Principes prohibuerunt omnia duella poſt prohibitionem eorum deſinit eſſe verus honor. *Ibidem.* Judicium profectò indignum Theologo Chriſtiano, cenſere quòd deſinat eſſe verus honor ob prohibitionem Principis, non ob prohibitionem Dei.

536. Potes hoſti, tibi alioqui valdè nocituro, mortem exoptare, non odio, ſed ad vitandum damnum tuum, & de morte ejus gaudere, ob bonum indè ſecutum. *Eſcobar tr. 5. exam. 5. n. 145.*

537. Si inimicus injuſtè eſt me vexaturus, ego poſſum deſiderare & orare Deum, ut eum è vivis tollat, ſi aliter inferenda mala vitari non poſſunt. *Hurtadus de Mendoza de ſpe & charit. vol. 2. diſput. 15. reſol. 48.*

538. Licitum eſt viro honorato occidere contumelioſum ipſi dicentem, *Mentiris. Eſcobar tr. 1. exam. 7. cum Baldello.*

539. Non ſolum vitam, ſed etiam bona temporalia, quorum jactura eſſet damnum graviſſimum, licitum eſt defenſione occiſivâ defendere. Fatemur rarius id licitum

tum esse Ecclesiasticis. . . si tamen aliquando futurum contingat tale malum (id est gravissimum damnum) etiam ipsis licitum erit bona ita cum occisione furis defendere. *P. Stephani Jesuita in Thesibus defensis in Seminario Leodiensi. 3. octobris 1699. & 28. Julii 1700.*

540. Ubi est scripta expressa permissio à Deo, ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? An est in Scriptura? An in Traditione? Est-ne fidei articulus? Si solo lumine naturali eò ducimur, patere ut eodem lumine naturali judicemus quid cuique privato liceat in occidendo aggressore, non solùm vitæ, verùm honoris & rei familiaris. *Apologia Casuistarum pag. 87. & 88.*

541. Quando ebrius gladio invadit quempiam, quid huic faciendum? Resp. Si non potest aliter mortem evadere quàm occidendo, occidat. . . Est autem hæc doctrina vera, etiam casu quo Princeps, non multum necessarius Reipublicæ, subditum, pater filium, maritus uxorem invadit, interfecturus, ni præveniretur. . . Vera quoque, licèt non timerem mortem, sed solùm mutilationem. Quia mutilatio inter gravissima mala meritò numeratur. *Gobat loco cit. n. 4. & 6.*

542. Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestavit, sed nondum incœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) si aliter non potes effugere: ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendam noctu conjugem; si quis venenum tibi propinandum paraverit; si Rex unus adversus alium classem paraverit. *P. Montcervel in collegio Mussipontano Soc. S. Th. Professor*, sic ibi docuit circa annum 1697.

543. Si arma quidem necdum paravit, sed habet tantum decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifestatione confidenter amicis facta, innotescat, potes prævenire. Quia per istud decretum, etsi purè æternum, sufficienter censetur esse aggressor. *Idem ibidem.* Hanc & præcedentem, velut juri naturali divino, positivo & gentium contrarias, nefandis cædibus & fanatismo viam sternentes, societatis humanæ perturbativas, Regibus quoque præsentissimum

mum periculum creantes; quingenteſimam verò trigeſimam tertiam, velut ſcandaloſam, erroneam & hæreticam; denique quingenteſimam trigeſimam nonam, velut legi Dei & ordini charitatis contrariam, perniciosam & erroneam, generalis conventus Cleri Gallicani anni 1700. proſcripſit.

544. Servatur moderatio inculpatæ tutelæ (ad licitam aggreſſoris occiſionem neceſſaria) quamvis arma capiantur adverſus eos qui armis carent, aut etiam ſumantur validiora. Scio diſſentire nonnullos, ſed ego ipſorum opinionem etiam in foro exteriori non probo. *Molina to. 4. tr. 3. d. 11. n. 5.*

545. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei. *Eſcobar ubi ſuprà. Molina apud ipſum. Tamburinus l. 6. c. 10. §. 2. n. 2.*

546. Licèt res ſit parvi momenti, ſi tamen ex eo quòd dominus illius non eripiat eam de manibus latronis, illi vertatur dedecori, & ille ſit homo dignus honore in populo, poteſt illum latronem occidere, cùm aliud non reſtat remedium. *Leſſius ſuprà c. 9. n. 68.* exemplificans in pomo: & *Eſcobar loco citato*, referens Molinam.

547. Licita eſt occiſio ejus qui conjuravit in damna mea, vel qui impedit iniquè meos creditores, ne mihi ſatisfaciant. *Leſſius ibidem dub. 11. n. 75.*

548. Licita quoque eſt occiſio ejus qui invadit res meas per famulum vel arte magica per dæmonem, ſi aliâ ratione, quam nece ipſius non poſſit impediri. *Ibidem.*

549 Idem eſt de occiſione ejus, qui falſa accuſatione vel falſo teſtimonio me fortunis conatur evertere, ſi alia ratio impediendi non ſuppetat. *Ibidem.*

550. Si quis falſis criminationibus, apud Principem, Judicem vel viros honeſtos, te infamare parat & nititur, & aliter non potes damnum iſtud avertere, niſi occidendo, poteris eum occidere. *Dicaſtillo l. 2. de juſt. tr. 3. diſp. 12. n. 2. & 3. Petrus Hurtadus apud Eſcobar tr. 1. exam. 7. n. 96.*

551. Licitum eſt occidere furem cum reablata fugientem,

rem, quando res in judicio quidem est recuperabilis, sed nonnisi cum magnis molestiis, *Lessius ibidem n. 70.*

552. Non solùm licitum est defendere, defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. *Amicus to. 5. de just. disp. 36. sect. 8. n. 130. edit. Dionys. anni 1642.* Damnata est per Innocentium XI.

553. Licitum est tam hæredi, quàm legatariis, contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem. *Amicus ibidem.* Damnata per eumdem.

554. Licitum est Clericis, imò Religiosis, occidere ad defensionem, non modò vitæ, sed etiam bonorum, aut suorum aut suæ Societatis. *Tannerus tr. 2. dub. 4. n. 76.*

555. Licitum est occidere calumniosum actorem, testes & injustum Judicem, ad servandam vitam, honorem, vel res familiares, si aliâ viâ non potest innocens damnum certò imminens vitare. *Amicus n. 75. & 131. Tannerus disp. 4. q. 8. n. 83. & Sa apud ipsum.* Damnata est per Alexandrum VII.

556. Si quis nomini meo falsis criminationibus apud Principem, Judicem vel viros honoratos detrahere nitatur, nec ullâ ratione possim hoc damnum famæ avertere, nisi illum occultè interficiam, id licitè possum. Monendus tamen priùs esset detractor ut desisteret, & si nollet, ratione scandali non esset apertè occidendus, sed clam. *Herellus in publicis prælectionibus*, ob quas jussu regio domus Societatis ipsi pro carcere assignata est. Talem etiam occidi posse docet Dicastillo *suprà dub. 2. n. 414.*

557. Si quis detrahat falsis criminationibus apud viros honoratos, licèt ex probabili opinione... possit occidi, practicè contrarium est tenendum. *Filiutius l. 21. c. 5. n. 63.* Pro ratione istius praxeos non allegans Dei prohibitionem, sed Reipublicæ perniciem: *Quia* (inquit ex Lessio & Reginaldo) *in jure defensionis considerandum est,*

est, ne usus illius vergat in Reip. perniciem, nec dubium est, quin sequendo affirmantem, præbeatur occasio multis cædibus occultis, cum magna Reipublicæ perturbatione.

558. Conveniunt supradicti, fas esse ad propulsandam ignominiam, quam mihi inferre quis conatur, illum præveniendo occidere. *Amicus ibidem n.* 106.

559. Sed adhuc superest difficultas, an omnibus personis licitum sit in tutelam honoris invasorem occidere? negant id concessum Clericis & Religiosis Doctores communiter. Negari tamen non potest quin honorem famamque illam, quæ ex virtute ac sapientia nascitur, quique verus honor est, justè defendere Clerici aut Religiosi valeant, ac sæpè debeant. . . etiam cum morte invasoris. *Amicus ibidem n.* 118.

560. Unde licebit Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè ac coram gravissimis viris impingere nisi occidatur. *Ibidem.* Damnata est per Alexandrum VII.

561. Dum Clerici & Religiosi, si possunt, nolunt tamen fugere, non peccant contra justitiam, etsi invasorem occidant. Nec charitas ad id obligat, tametsi magis inclinet, ne proximus in æternum pereat. *Lessius n.* 44. 55. & 86.

562. Quando aggressus est persona, ex cujus morte sequeretur maximum detrimentum familiæ, ut uxori ac filiis, quos alere debet, sub reatu culpæ lethalis occidere tenetur aggressorem, si possit, ut vitam suam conservet. *Molina to.* 4. *de just. tr.* 3. *disp.* 14. *p.* 1754.

563. Dubium est an liceat innocenti duellum acceptare sive offerre. . . . Quidam neutrum licere aiunt . . . sed melius alii dicunt licere huic innocenti duellum, ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda; quando constat omninò injustè & per calumniam actorem procedere, & certum omninò est fore ut innocens hæc amittat, nec aliud sibi evadendi re-

remedium ſuppetat. . . Atque optimè Bannez ait licere innocenti in his caſibus acceptare & offerre duellum. . . Imò benè Navarra. . . ait teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, ſi poteſt occultè illum occidendo, id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippè ſic proprium periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis aut acceptantis duellum. *Sanchez l. 2. in Decal. c. 39. n. 7.*

564. Acceptare duellum, & comparere in tali loco, non eſt intrinſecè malum, ſed quiddam indifferens, quod benè & malè fieri poteſt. Cur ergò, ſi juſta cauſa ſubſit, qualis eſt honoris æſtimatio, non poſſit licitè fieri? *Filiutius tr. 29. c. 8. n. 145.*

565. Pone hominem nobilem ab alio provocari ad duellum, qui, ſi illud recuſet, non cenſebitur recuſare propter legem Dei (quia ſe facilè projicit in alia peccata) ſed propter timiditatem; & ideò ab aliis deſpicietur, apud quos ſemper erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda ſequerentur. Eſt igitur quæſtio, utrùm in hoc caſu poſſit provocatus exire in locum condictum, non cum abſoluta voluntate pugnandi, ſed cum conditionata, ſi à provocatore priùs petatur injuſtè. Provocati autem abſolutè voluntas eſt tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis; quæ objecta per ſe ſunt honeſta, neceſſaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter ſuos, præcipuè militi, qui ab exercitu cenſebitur eſſe gallina & non vir. Media autem quæ elegit ad hunc finem ſunt indifferentia... nempè egredi in agrum, & in eo inambulare. Quæ media honeſtantur ab illo fine &c. *Hurtadus de Mendoza to. 2. diſp. 170. ſect. 13. §. 106. & ſeqq.* multis hanc ſententiam probans, & addens hanc ſententiam eſſe ſpeculativè probabilem, ſed practicè valde difficilem.

566. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, *Hurtadus apud Dianam p. 5. tr. 19. reſol. 59.* Damnata eſt per Alexandrum VII.

567. Poteſt etiam duellum offerre, ſi non aliter ho-

no-

nori consulere possit. *Amadeus Guimenius tr. de charit.* Damnata per generalem Conventum Cleri Gallicani 1700.

568. Militi in exercitu licitum est duellum acceptare, quando alioqui ab exercitu censebitur gallina, & non vir. *Hurtadus ibidem.*

569. Id saltem verum est, quando officio, dignitate, Principis vel Ducis favore ob ignaviæ notam excideret, nisi provocanti se sisteret. *Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 2. & 3. Petrus Hurtadus apud Escobar tr. 1. exam. 7. n. 96.*

570. Duellum potest acceptari & offerri in temporalium bonorum defensionem, si non adest alia via tuendi. *Petrus Hurtadus ibidem.*

571. Qui inimicum necat, haud proditoriè dicitur occidere, si per insidias, aut à tergo percutiat. *Escobar tr. 6. exam. 4. n. 26.*

572. Reconciliatur quis inimico, cum fidei jussione de non occidendo, posteà tamen illum occidit. Fruiturne Ecclesiæ immunitate? Affirmo, quia non est dicendus absolutè proditoriè occidisse, nisi intercessisset arctior aliqua amicitia, simul comedendo, alloquendo. Undè poterat præsumi, non obstante fidei jussione, adhuc odium durare. *Ibidem n. 56.*

573. Milites navales licitè ignem injiciunt in pulverem sulfureum, se conjiciendo in mare, ne navis in hostium potestatem integra veniat, quando id faciunt ne acerbiorem mortem apud eosdem hostes patiantur. *Tamburinus l. 6. c. 2. §. 2. n. 9.*

574. Justè damnatus ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere. *Ibidem n. 6.*

575. Damnatus ut pereat veneno, licitè venenum propinante ministro, aperto ore sumit deglutitque. *Ibidem §. 1. n. 5.*

576. Non peccat mortaliter maritus occidens uxorem, vel pater filiam unà cum adultero in adulterio deprehensam. Probabile censet Fagundez *l. 5. in Decal. c. 10. n. 19.* Et Lessius *n. 16.* Damnata est per Alexandrum VII.

577. Quando fœtus nondum est animatus, & abortus judicatur necessarius ad evitandam mortem, licitum est dare matri pharmacum ad faciendum abortum. *Henriquez & Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 20. n. 6.*

578. Licitum est procurare abortum, ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. *Herellus in prælectionibus supra relatis*, & alius Societatis Theologus apud Dianam *pag. 6. tr. 8. resol. 37.*

579. Non videtur illicitum, ob salutem matris, certò alioquin morituræ, directè abortum procurare, si fœtus nondum sit animatus. *Tamerus d. 4. de just. q. 8. dub. 4. n. 60.*

580. Propter magnum lucrum probabile est, quòd liceat amputare aliquod membrum, v. g. solertis medici manu, ad sonoram vocem retinendam, absque morali periculo mortis, eunuchum fieri. *Tamburinus* § 3. *n. 4.*

De sexto præcepto, Non mœchaberis.

581. SI puella ob evidens periculum gravissimi mali, v. g. mortis, aut ingentis infamiæ, non adhibeat omnia omnino media, quæ potest, ad vim propulsandam, fornicatio non imputabitur illi ad peccatum, secluso consensu in illam. *J. B. Taverne p. 1. tr. 10. c. 3. §. 1.*

582. Potuisset Susanna (de qua Daniel. 12) in tanto metu infamiæ mortisque, negativè se habere, ac permittere in se eorum (senum) libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset. Quia majus bonum est vita & fama quàm pudicitia. Unde hanc pro illa exponere licet. . . . Itaque non tenebatur ipsa exclamare, sed poterat dicere, Non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem. *Cornelius à Lapide in cap. 13. Danielis v. 22. & 23.*

583. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium. Damnata per Innocentium XI. Excerp-

cerpta dicitur ex ſcriptis Flexiæ apud Jeſuitas dictatis, ſoloque nomine diſplicet Auctori Speciminum doctrinæ Theol. per Belgium manantis *p.* 4. *c.* 13. §. 1.

584. Probabile eſt non diſtingui ſpecie inceſtum cum conſanguineis ab inceſtu cum affinibus, neque intra quartum gradum inceſtum in uno gradu ab inceſtu in alio. Ex quo probabiliter conſequitur, in confeſſione non eſſe explicandam hanc diverſitatem. *Tamburinus exped. confeſſ. l.* 2. *c.* 7. *n.* 48.

585. Famulus qui nequit facilè Herum invenire tam utilem ſibi, ſi non habeat pravam intentionem, nec certam ſcientiam quòd Herus ſit abuſurus, poteſt illius juſſu videre quò femina aliqua eat; & ubi habitet, eique munuſcula deferre, herumque cauſâ honoris aut defenſionis comitari ad domum concubinæ, & ei pedem ſuſtinere ad ingrediendum per feneſtram domum concubinæ, & ei picturam concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere, Herus meus te vocat, & eam ad domum Heri comitari, & januam ei aperire, & eis lectum ſternere, non tamen eam invitare ad actum ipſum inhoneſtum &c. *Gaſpar Hurtado apud Dianam p.* 5. *pag.* 435.

586. Famuli comitantes dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui ſine eorum ſocietate illò non iret, vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc indè horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel cuſtodiam dum ſimul cum concubina vel alia committit peccatum, abſolvi non poſſunt, ſi conſentiant in peccatum dominorum: ſecùs verò, ſi id fieret propter temporalem commoditatem. *Baunius in ſum. pag.* 710. *edit.* 1.

587. Poteſt quis elocare domum ſuam meretrici, etiam nullâ excuſante cauſâ. *Tamburinus l.* 5. *c.* 1. §. 4. ex Sanchez qui in ſumma *l.* 1. *c.* 7. *n.* 10. addit quòd adhuc poſſet eam meretrici locare, ſi alii commodè non poſſet locare, etiamſi vicinia meretricis plurimùm feminis honeſtis vicinis noceret, utpotè per eam pervertendis.

588. Licitum eſt mutuo dare alteri nummos aut cu-

biculum commodare, petenti ad fornicandum. *Sanchez ibidem cap. 7. n. 31. Escobar tr. 1. exam. 8. n. 98.*

589. Mulieres non peccant mortaliter, quæ se præbent conspiciendas adolescentibus, à quibus se credunt turpiter concupiscendas, si hoc faciant aliquâ necessitate aut utilitate, aut ne se privent suâ libertate vel jure exeundi domo, vel standi ad ostium vel fenestram. *Simon de Lessau*, relatus in Facto Curatorum Ambianensium de 27. Julii 1658.

590. Non peccant etiam mortaliter, dum superfluis se vestibus ornant, vel tam exili veste utuntur, ut earum ubera videantur, imò nec dum ea nuda exponunt secundùm patriæ morem, absque prava intentione. *Idem ibidem.*

591. Si vir feminæ partes inhonestas tangat ex levitate & joco, absque periculo delectationis, aut motus carnalis, verisimile est quòd solùm peccet venialiter. *Sanchez apud Sylvium in 2. 2. q. 154. a. 4. concluf. 3.*

592. Oscula & amplexus inter personas solutas, diversi sexus, ob solam delectationem sensibilem, in appetitu sensitivo ex ipsis consurgentem, excusantur à mortali, si absit periculum pollutionis. *Sanchez disp. 46. de matrim. n. 9. Salas & Lessius apud Bossium de consc. scrup. n. 2217.* Damnata per Alexandrum VII.

593. Omnia peccata contra naturam sunt unius speciei infimæ, & non subalternæ. *Filiutius tr. 30. c. 8. n. 141.*

594. Locutio de rebus turpibus, solùm ob voluptatem quæ præcisè oritur ex narratione absque ulteriori intentione ipsarum rerum, vel facta ex levitate vel curiositate, non excedit culpam venialem. *Filiutius to. 2. tr. 29. c. 20.*

595. Idem dicendum de lectione librorum turpium & tractantium ex professo de obscænis amoribus. *Idem ibidem n. 213.*

596. Audientes comœdias, res turpes continentes, ob

ob curiositatem vel levitatem, venialiter delinquunt. *Escobar tr.* 1. *exam.* 8.

597. Etiamsi modo turpi similia repræsentent. *Tamburinus l.* 5. *c.* 1. §. 4. *n.* 28. *Guimenius tr. de peccat. propos.* 9.

598. Sanchez ait licere oscula & tactus inter sponsos de futuro, etiamsi secutura pollutio videretur, dummodò adsit justa causa sponso, scilicet ad vitandam inurbanitatis seu morositatis notam. *Filiutius suprà n.* 74.

599. Liquidò scio, crebrò fieri, præsertim inter plebeios, & rusticanos, eodem in lecto, aliquot horas, induti & exuti cubent, & tamen nihil omnino impudicum agant, vel nonnisi oscula, & turpes attrectationes exerceant. Unde judico non posse à Confessario negari absolutionem omnibus illis puellis plebeis (aliud ob varias considerationes sentio de nobilibus) quæ non videntur habere propositum nunquam amplius admittendi in lectum procum suum. *Gobat to.* 3. *tr.* 5. *c.* 32. *n.* 19. 20.

600. Religiosus sine excommunicatione potest habitum ad tempus dimittere ut eat incognitus ad fornicandum. *Escobar tr.* 6. *exam.* 7. *n.* 103.

CENTURIA SEPTIMA.

De septimo præcepto, Non furtum facies.

601. PRobabile est, non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculùm furripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. *Lessius l.* 2. *c.* 12. *n.* 12. *Escobar tr.* 1. *exam.* 9. *n.* 29. *Tamburinus l.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. § 9.

602. Signanter ad salvandum honorem, id licitum est homini, qui victum luciari nequit, si ipsi valde indecorum esset mendicare, dummodò voluntatem habeat restituendi dum poterit. *Amadæus Guimenius tr. de Censur propos.* 3.

603. Probabile est ablationem famæ pecunia compen-

ſari. *Dicaſtillo de juſt. l. 2. tr. 2. diſp. 9. n. 130. Tamburinus l. 1. c. 3. §. 5.* Inde §. 3. *n. 25.* concludens cum Lugone probabile eſſe, diffamatum poſſe retinere pecuniam diffamatorum ſuorum, ſi nolint vel non poſſint reparare damnum famæ ipſi illatum.

604. Quid ſi de eo à judice interrogetur? Reſpondet l. 8. tr. 1. c. 5. §. 1. *non eſſe in conſcientia furem, qui per occultam acceptionem compenſat id quod ſibi debetur, & poſſe jurare, etiam coram judice, ſe nihil accepiſſe, intelligendo, quod ſibi non deberetur, certum jam hodie eſt apud omnes*

605. Si debitor tuus vas argenteum apud amicum ſuum depoſuerit, illud clam ſurripere potes in depoſitarii domo, cavendo ne ipſe per judicem compellatur deponenti reſtituere. *Ibidem §. 4.*

606. Quid ſi periculum immineat depoſitario, tu verò illud cavere non poſſis ſine jactura tui debiti? Reſpondeo, te tunc non poſſum condemnare, ſi tuum accipias: quia tunc tua neceſſitas te excuſat ab obligatione charitatis, qua deberes illud damnum, à te indirectè ſolùm cauſatum, à depoſitario avertere. *Ibidem.*

607. Qui à debitore donum mutuò accepit, cujus donationis cauſa non fuerit, non tenetur ad reſtitutionem, etiam in caſu quo debitor ex illa donatione factus eſt impotens ad ſolvendum creditori. *Amicus to. 5. diſp. 20. ſect. 10. n. 175. Bauuius in ſum. c. 13. pag. 194. Molina diſp. 327. Leſſius c. 20. dub. 19.*

608. Non tenetur homo ea bona reddere, quæ ſibi ab alio donata ſunt in fraudem creditorum, nequidem ex charitate. Quia charitatis ordo non exigit, ut quiſquam negligat commodum ſuum, etiamſi indè per accidens tantumdem damni ſequatur. *Molina to. 2. de juſtit. tr. 2. diſp. 328 n. 8. Leſſius l. 2. c. 20. dub. 19. n. 168.*

609. Qui damnum nullum intulit, rem alienam accipiendo, quâ dominus non erat uſurus, reſtituere non tenetur. *Sa verbo*, Furtum c. 6.

610. Qui militem precibus induxit ad inferendum ter-

tertio damnum, v. g. ad incendendam ipsius aream, milite non restituente, de suo damnum istud non tenetur restituere. Quia justitiam non violavit, id à milite precibus exorando. *Baunius in summa c.* 13. *pag.* 307. *&* 308. *edit.* 6.

611. Non tenetur quis sub mortali restituere quod per minuta furta abstulit, quamvis magna sit summa totalis. *Idem ibidem p.* 220.

612. Fur non tenetur restituere cum amissione sui status, etiamsi statum illum injustè acquisierit. *Burghaber Centur.* 1. *casu* 10.

613. Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè sibi clam ex bonis domini surripere, quantùm sufficit ut suis laboribus merces respondeat duobus in casibus, dum scilicet ex inopia operam suam pro quocumque pretio locare coacti fuerunt, deinde dum famuli ob similia servitia, majori mercede vulgò conducuntur. *Baunius ibidem. pag.* 213. *&* 214. *edit.* 6. *&* *pag.* 710. *edit.* 1.

614. Possunt filii parentibus, animi relaxandi gratiâ, surripere quantum illis consuetudo & conditio permittit, si sæpè rogati precibusque tentati id abnuant. *Longuetius in dictatis traditis in Collegio Ambianensi Soc. ad præcept.* 7. Non furaberis. *q.* 1. *respons.* 4.

615. Quando quis ita eget, & alter ita abundat, ut qui abundat teneatur opitulari illi qui eget, potest ille qui eget, occultè & bono modo rem alterius accipere sine peccato & obligatione restituendi. *Idem q.* 11.

616. Mulier, etiam prohibente marito, potest validas eleemosynas aut donationes pro libito facere, sicut & expensas in ludo, honesta recreatione, & ornatu sibi comparando. *Simon de Lessau in dictatis ibidem traditis ad* 4. *præcept. Decal. a.* 7.

617. Qui cedit bonis potest sibi suisque retinere necessaria ad statum moderatè sustinendum. Similiter conjux ipsius & liberi. Nec tenentur restituere tanta cum jactura. *Longuetius cit. q.* 11.

618. Id ipsum tutâ conscientiâ fieri potest, licet debita, pro quibus fit cessio bonorum, contracta sint ex

injuſtitia notorioque delicto: quamvis tunc tantùm retineri non poſſit quantùm aliàs. *Eſcobar tr.* 3. *exam.* 2. *n.* 163. *favetque Leſſius l.* 2. *c.* 16. *dub.* 3. *n.* 45.

619. In cauſa æquali poteſt Judex aliquid ab una partium accipere, ut in ejus favorem ſententiam ferat, ubi non eſt lex poſitiva in contrarium. *Fagundez in Decal. to.* 2. *l.* 8. *c.* 26. *Eſcobar. tr.* 32. *exam.* 2. *n.* 111. Quia, inquit Eſcobar, tunc datur locus gratificationi, quæ eſt pretio æſtimabilis.

620. Id quod Judex pro juſta accepit ſententia, reſtituere tenetur: non verò id quod accepit pro ſententia injuſta. *Honoratus Fabri in Apologet. Soc. pag. mihi* 275. referens Leſſium, Turrianum, Azorium, Tamburinum, Dicaſtillum, Layman, Buſembaum, &c.

621. Neque reſtituendum eſt quod pro iniqua occiſione acceptum eſt. *Eſcobar tr.* 3. *exam.* 1. *n.* 23. *tr.* 5. *exam.* 5. *n.* 53.

622. Si Ariolus nullam operam appoſuit, ut arte diaboli id ſciret, quod nullo alio pacto ſciri potuit, ſive effectus evenerit ſive non, tenetur pretium reſtituere danti. . . . Si verò operam ſuam adhibuit ut arte diaboli id ſciret, non tenetur reſtituere, etiam dum res non ita evenit. *Sanchez in ſum. l.* 2. *c.* 38. *n.* 96. *Salas* 1. 2. *q.* 9. *a.* 5. *tr.* 5 *diſp.* 2. *ſect.* 8. *n.* 79.

623. Si meretrix, quæ uſuram corporis ſui uno aureo concedere ſolet, ab aliquo juvene extorſerit quinquaginta tamquam pretium, exceſſum illum tenetur reſtituere. Secùs matrona vel filia quæ putatur honeſta. Nam tanti & pluris poteſt ſuam pudicitiam æſtimare. Et ideò ſi 100. aureos pro uſura ſui corporis accipiat ab eo qui poteſt dare, poteſt retinere. *Leſſius l.* 2. *c.* 14. *n.* 53.

624. Etiam conjugata, monialis &c. retinere poteſt pretium promiſſum & acceptum pro uſura corporis ſui. *Filiutius tr.* 31. *c.* 9. *n.* 231.

625. Nullatenus abſurdum reputaverim, eum qui fortè

tè rem vendidit, emptorique tradidit, posse eam, absque injustitia occultè accipere, si pretium emptori restituat. *Escobar Th. mor. l. 1. sect. 2. c. 16. problem. 20.*

626. Licitum est viliùs emere à venditore necessitate coacto. *Escobar tr. 3. exam 6. n. 87. ex Molina.*

627. Vilescit res pro tertia, imò pro dimidia parte, quando venditor ad illius venditionem necessitate compellitur. *Apud Guimenium pag. 166. n. 7.*

628. Licitum est mercatori creditò merces vendere pretio summo, v. g. centum, & statim numeratò eas infimo redimere pretio, v. g. octoginta, etiamsi nullo alio animo eas creditò vendat, nisi ut mox viliùs numeratò redimat, modò hæc in pactum non deducantur. *Tamburinus l. 8. tr. 3. c. 7. §. 8. n. 9. & 10.*

629. Contractus *mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum pacto retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri. Saltem qui sic contrahit non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, etsi peccare possit contra charitatem, si miserum hominem, magno illius dispendio emere cogat merces quibus non indiget, cùm faciè posset ipsi mutuum dare. *Lessius l. 2 c. 21. dub. 16.*

630. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur ut debitum ex justitia. *Escobar tr. 3. exam. 5. n. 3. 4. 33. & 44.*

631. Licitum est sperare, optare & accipere lucrum ex mutuo, mediante benevolentia & gratitudine, non tantùm secundariò & minùs principaliter, sed etiam primariò & principaliter, *Longuetius* in dictatis supra memoratis, *disp. 3. de var. cauſ. uſur. excuſ. q. 1. reſp. 3. Buſenbaum tr. 7. c. 3. dub. 7.* cum Molina & de Lugo.

632. Potest quis mutuum dare alteri, eâ conditione & lege, ut ex ejus officina emat, ejus molendino molat, aut aliquid obsequii præstet, si id exigat benevolentiæ & amicitiæ jure. *Idem ibidem q. 4. reſp. 1. favetque Layman l. 3. ſect. 5. tr. 4. cap. 16. n. 3.*

633. Usura non est, si mutuem eâ lege, ut mihi, vel meo cuipiam officium aliquod temporarium referas ex pacto amicitiæ. *Ibidem q 5. resp. 15.*

634. Compensatio mutui, quæ fit officio aliquo temporario pretio æstimabili, non est usura, nisi per commutationem detur ad satisfaciendum justitiæ commutanti. *Ibidem object. & resp.* Nego majorem.

635. Licitum est Mercatori, si mutuum petitum dare nolit, numeratâ pecuniâ emere censum, ad unum vel duos annos, super aliqua re frugifera, obligareque venditorem ad censum illum post illud tempus redimendum pecuniâ redditâ, solutâque insuper pensione. *Apologia Casuistarum pag.* 108.

636. Licitus quoque est modus auctarium supra sortem exigendi per contractum trium. *Ibidem pag.* 109.

637. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nemo sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor eo titulo aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & ab usura excusari. Principia hujus propositionis deducit nec reprobat Guimenius, *tr. de usur. propos. 2. & 3.* sequiturque ex duabus propositionibus sequentibus.

638. Chirographum seu debitum liquidum 100. flor. v. g. cessante omni interesse, periculoque & difficultate solutionis, potest minoris emi, si debitum sit immaturum seu solvendum in futurum. *Emmanuel Sa verbo,* Debitum. *n.* 20. Atque ita Bellarminum Lovanii & Petrum Parra Romæ docuisse refert Lessius *l. 2. c. 21. dub. 8. n. 65.*

639. Probabiliter non est usurarium hodie solvere nongentos florenos pro mille debitis post annum, etiam absente omni difficultate solutionis, absente etiam omni damno, lucro cessante, &c. Eò quòd jus distans minùs valeat quàm solutio præsens. *Burghaber. Centur. 1. casu 45.*

640. Qui fecit contractum usurarium, bonâ fide credens justum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisiisset alioquin per contractum justum. *Sa verbo,* Usura *n.* 8. favetque Sanctarellus *in resolut. p. 1. q. 46. n. 11.*

641

641. Licitum est tabernariis vinum aquâ miscere, & agricolis triticum fecali, ac deinde communi pretio vendere, dummodò indè deteriora non reddantur iis quæ communiter venduntur. *Lessius ubi suprà dub.* 11. *n.* 83.

642. Contra justitiam non peccat, qui in publica subhastatione, officiorumque & vectigalium venditione, rogat amicos ne plus offerant, ut rem illam pretio infimo emat, secundùm illum modum vendendi. *Reginaldus in prax. to.* 2. *l.* 25. *c.* 22. *n.* 379.

643. Qui lusit, vel certavit, certò præsciens se victorem fore, non tenetur ad restitutionem. *Toletus & Sa apud Busenbaum. dub.* 14. *n.* 8

644. Quamvis scripserim Germanos non esse communiter pronuntiandos reos usuræ, quando dicunt se huic aut illi dare centum v. g. aureos, cum conditione ut post annum illam summam, & præterea quinos aureos pro censu restituant; non ausim tamen hoc dicere de aliis nationibus, nominatim Gallis. *Gobat to.* 1. *tr.* 7. *n.* 570.

De octavo præcepto, Non loqueris contra proximum falsum testimonium.

645. AN suspicio deliberata, in re gravi, & sine sufficientibus indiciis; atque adeò temeraria, sit culpa lethalis? Sub nomine autem suspicionis includimus sive dubium, sive suspicionem propriè dictam, sive opinionem. Nonnulli dicunt esse mortalem; non esse alii contendunt. Porrò prævides mihi hanc benigniorem placituram; fateor te rectè prævidisse. *Tamburinus l.* 9. *c.* 1. *n.* 11.

646. Sunt qui asserunt, peccare mortaliter, qui de persona valdè honesta & proba temerè aliquid enorme suspicatur, verùm ab hac sententia semper discessi, ut discessit Layman. Si enim est suspicio, semper erit ex genere suo levis. *Idem ibidem n.* 16.

647. Rarò mortaliter peccatur per temerarium judicium. *Ibidem n.* 19.

648. Judicium temerarium non est peccatum priusquam advertas vel dubites, te ex signis insufficientibus judicare. *Lessius l. 2. c. 29. dub. 2. n 9.*

649. Ad tormenta, damnaque gravia vitanda, potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors indè sit secutura. *Tamburinus suprà c. 3. §. 6. n. 6.*

650. Semper supponimus abesse perjurium, cui infamator sui providere non difficulter poterit per æquivocationem. *Ibidem.*

651. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam tibi noxiam, falso crimine elidere? *Gaspar Hurtado & Dicastillus apud Caramuelem Th. fundam. pag. 550. Apologia Casuistarum p. 127. 128. 129. Jesuitæ Lovanienses in Thesibus anni 1645.*

652. Si alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, nisi falsa crimina ipsi objiciendo, probabile mihi est si id facias, non peccare contra justitiam, undè nec obligari ad restitutionem. *Tamburinus l. 9. c. 2. §. 2. n. 4.*

653. Incertum mihi est an id possit fieri licitè sine ulla culpa. *Ibid.* Alibi docens agendi libertatem, in ejusmodi incertitudine, esse in possessione. Si enim *(ait l. 1. c. 3. §. 7.)* adhibitâ diligentiâ dubites, an sit aliqua lex prohibens, vel an ad casum istum extendatur, non teneris ad illam. Quia tunc possidet libertas, quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incerta.

654. Possunt absque mendacio verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec sensum verum reddant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus; sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito, mente proferentis retento. Quodcumque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, vel propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, juret se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Sanchez l. 3. in Decal. c. 6. n. 15.*

655. Causa utendi his amphibologiis, est quoties id neces-

necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. *Sanchez ibidem, casus sequentes inde deducens.*

656. Quòd mercator probabilem habens opinionem de injusta taxatione pretii mercis alicujus, falso eam pondere vendere possit, ad istam injustitiam sibi compensandam, & à Judice de eo postea interrogatus, sub restrictione mentali jurare, quòd nec supra taxam vendiderit, nec falso usus fuerit pondere. *Sanchez n.* 29. & post ipsum Escobar *tr.* 1. *exam.* 3. *n.* 34.

657. Quòd testis non juridicè interrogatus super crimine commisso in oculis ipsius, respondere possit, & jurare se nescire, subintelligendo, ut tibi dicam. *Sanchez n.* 24 idem asserens de teste juridicè interrogato, si ex confessa veritate prævideat sibi damnum.

658. Quòd testis vel reus bona fide Judici testatus vel confessus de crimine, si animadvertat quòd absque ista confessione vel testificatione crimen non esset sufficienter probatum, tam iste, quàm ille sub mentali restrictione jurare possit, crimen ab ipso non esse commissum, seque mentitum fuisse illud testificando vel confitendo. *Sanchez num.* 29.

659. Quòd reus juridicè interrogatus de homicidio quod commisit, jurare possit se non commisisse (subintelligendo *criminosè*) si crimen istud per circumstantiam aliquam excusare possit, v. g. per ignorantiam facti, per sui defensionem &c. *n.* 29.

660. Quòd juridicè interrogatus super veris indiciis homicidii, v. g. an non tali horâ transierit per locum ubi commissum fuit, id negare possit, si homicidium ipse non commiserit. *n.* 30.

661. Quòd ille qui cessit foro, partemque bonorum suorum subduxit, ut habeat undè non mendicatò vivat, à Judice interrogatus, jurare possit, se nihil subduxisse, idemque facere possint testes, in creditorum damnum, dummodò sciant ipsum solùm subduxisse necessaria ad non mendicatò vivendum. *num.* 31.

662. Quòd mutuatarius, à quo mutuum ante tempus repetitur, vel qui non est restituendo, sub mentali restrictione jurare possit, se mutuum non accepisse. *n.* 32.

663. Quòd qui spopondit se ducturum puellam, si probabiliter credat se ad id non teneri, coram Judice jurare possit, se non spopondisse. *n.* 33.

664. Quòd clericus, vel alius, qui probabiliter putat se non debere gabellam, vel non debere tantam, jurare possit se non habere mercem illi gabellæ obnoxiam, tametsi revera habeat. *Ibidem.*

665. Quòd suffragium habentes nominandi ad officium quodpiam, quibus per statuta vetitum est colloquium vel accessus ad aspirantium aliquem, jurare possint se ab accessu & colloquio abstinuisse, licèt non abstinuerint, dummodò non accesserint, &c. animo permittendi se subornari. *n.* 34.

666. Quòd creditor, cui persoluta est pars magna summæ in Chirographo specificatæ, interrogatus, an tota summa ipsi debita sit, nihilque ex ea acceperit, jurare possit totam illam summam sibi debitam esse, nihilque de ea se recepisse, si quantum recepit, tantumdem ab eodem ipsi absque Chirographo debitum sit, dummodò nemini per hoc auferatur præferentia hypothecæ. *n.* 36.

667. Quòd dum per vim jurare quispiam compellitur, se daturum pecuniæ summam, quam non debet, uti possit mentali restrictione & æquivocatione, ut non teneatur, vel usurpare verba purè materialiter, nullam ipsis dando significationem atque hoc pacto eximere se ab obligatione, tametsi præsentes inde scandalizari contingat. Quia ipsum credere debent ab obligatione exemptum restrictionis mentalis beneficio. *n.* 37. & 38.

668. Quòd qui cogitur jurare, se desponsaturum puellam ad quam desponsandam se non credit obligatum, id jurare possit, subintelligendo, *si tenear*, vel, *si mihi placitura sit in futurum. n.* 39.

669. Quòd mulier à marito separata ob adulterium ipsius sibi notum, jurare possit se ad ipsum redituram

(ad

(ad absolutionem in articulo mortis obtinendam) etiamsi intentionem non habeat redeundi, subintelligendo, *si ad id teneat. n.* 46.

670. Quòd is à quo pecuniarium mutuum petitur, ad quod præstandum non tenetur, jurare possit, se pecuniam non habere (quamvis habeat) subintelligendo, *ad mutuandum.*

671. Quòd justa de causa æquivocatione utens, mentalive restrictione, jurare possit, (etiam in judicio) se loqui absque ulla æquivocatione &c. *Sanchez, ibidem cap.* 7.

672. Quòd si rudes nesciant in particulari amphibologiam concipere, satis est si habeant intentionem affirmandi vel negandi in sensu qui veritatem reipsa contineat. Ad quod necesse est quòd saltem in genere sciant, negare se posse in aliquo vero sensu, quem revelare non tenentur. *Suarez l.* 3. *de juram. c.* 10. *Sanchez loco cit. c.* 6. *n.* 46. *Filiutius tr.* 25. *c.* 11. *n.* 328.

673. Diana scribit ex autoribus classicis, quòd jurans cum æquivocatione seu amphibologia, absque causâ legitima, probabiliùs peccat mortaliter; quamvis & contrarium sit probabile, quando nullum inde cuiquam damnum emergit. Ita Diana: at fuit non modò ab omni alienum labe, sed omni dignum laude hoc à solerti humilitate dictatum. *Gobat to.* 2. *tr.* 11. *n.* 633. & 654.

674. Si reus & testis dubitent an legitimè interrogentur à Judice, non obligantur ad ejus mentem respondere, etiamsi Judex sub pœna excommunicationis præcipiat. Quia reus & testis sunt in possessione suæ libertatis valendi æquivocare ex causa. Ergò ab hac non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causa autem hìc semper intervenit, quia semper si possunt velle custodire jus suum, quo possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debent. *Tamburinus l.* 1. *c.* 3. §. 5. 7. *verbo*, reus & testis.

675. Scio quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à reo vel teste magnum malum, non

verò

verò, ſi exiguum, quale eſſet modicam pecuniam amittere; ſed hos ſequi non poſſum. Quia prædicta poſſeſſio libertatis (æquivocandi) in reo & teſte æquè prævalet, ſive grave, ſive leve damnum timeatur. *Idem ibidem.*

676. Si legitimus eſt Judex, legitiméque per ſemiplenam probationem interrogat, reus minimè tenetur ad fatendum crimen ſuum, unde ſibi imminet periculum vitæ. Quia in re tam ardua Judex ſuperior non eſt, nec poteſtas ipſius extenditur ad præcipiendum rem tam difficilem. Quòd ſi reum ſoleat cogere, ideò eſt quia ſequitur contrariam ſententiam probabilem. *Tamburinus l. 3. c. 4. §. 3.*

677. Doctrinam hanc limitant Doctores, modò eluceat ſpes per æquivocationem effugiendi mortem. . . Ego verò cenſeo etiam nullâ elucente ſpe, ſaltem à mortali excuſandum ejuſmodi reum negantem ſub æquivocatione crimen quod admiſit. *Ibidem n. 7.*

678. Denique quod dictum eſt de periculo vitæ, extenditur ad quodcumque malum grave, v. g. gravem infamiam. *Ibidem n. 9.*

679. Quid de malo levi? Præcipiat mihi ſuperior ut fatear. . . . furtum grave, ex cujus confeſſione certus ſum ſolùm malum leve me incurſurum; ſi negem cum æquivocatione, quodnam peccatum incurrem? Reſpondeo, à mortali fortaſſè excuſandus eſſet, quamvis contrarius ſit de Lugo. Ratio eſſe poteſt, vel quia de jure naturæ videtur eſſe, ut ne leve quidem vulnus mihi infligam, vel quia ſi agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve & non rigoroſum ſuperioris præceptum, vel quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reipublicæ, ſi ſolùm levis pœna eſt imponenda. *Ibidem n. 10.*

680. In Deo locum habent Amphibologia & mentalis reſtrictio. *Blondellus in Theſi Anglo-Leodienſi anni 1686. concluſ. 30. Sanderus eodem anno concl. 27.*

681. Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti & ſancti amphibologiis & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt: *Jeſuita Lugdunenſes & Angla-*

gio-Leodienſes in Theſibus ſuis; ac noviſſimè P. Daniel in noviſſima reſponſione ſua ad Litteras Provinciales *tr. de æquivocis reſtrictionibuſque mentalibus.* Illam tamen propoſitionem Clerus Gallicanus in generali Conventu anni 1700. damnavit hiſce verbis: *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria, myſticè, propheticè, parabolicè, ſive œconomicè ad inſinuandam altiùs veritatem dicta, vel tacita cum vulgaribus geſtis confundit, SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam Angelis injurioſa, erga Chriſtum contumelioſa & impia.*

682. Falſare non eſt, nec peccatum mortale, amiſſæ ſcripturæ de hæreditate aut nobilitate, aliam ſimilem efficere. *Emmanuel Sa, verbo,* Falſarius *n.* 2. *edit.* 1.

683. Falſificans aliquam privatam ſcripturam aut ſyngraphum aut apocham, fidem facientem ſe ſatisfeciſſe debito pecuniæ mutuo acceptæ, dum aliam legitimam à Creditore acceptam amiſit, alio modo non valens probare ſolutionem, non eſt damnandus peccati mortalis. *Sa apud Guimenium p.* 112. *n.* 2.

684. Si ſit neceſſe publicas ſcripturas ementiri ad innocentiam meam contra teſtem injuſtum defendendam, poſſet-ne Notarius publicus ad hoc induci, ſi Notario conſtaret mea innocentia? Reſpondebis, quidni; id enim non eſt infidelem eſſe Reipublicæ, ſed maximè fidelem; dum ejuſdem Reipublicæ innocentes ſic defenduntur. Verùm ſi aperiatur hujuſmodi oſtium, quomodò ſtabunt publica judicia? Inveniantur, reſpondebis, teſtes veri, ut ſancta requirunt Tribunalia; dum enim falſi teſtes quacumque arte repelluntur, publica judicia firmantur, non infirmantur. Tamburinus *l.* 9. *in Decal. c.* 2. § 2. in aliud quidem tempus id evolvendum reſervans, & incertum relinquens, an id licitum non ſit. Quaſi verò hæreſis non ſit dubitare, an illicitum ſit, quod octavo Decalogi præcepto certò eſt prohibitum, uti Curiones Pariſienſes in ſcripto ſuo nono ſapienter obſervant? Enimverò ſi certò non ſit prohibitum, ſecundùm principia Probabiliſtarum, eo ipſo eſt probabiliter licitum. Ut enim Caramuel ait Theol. fundam. edit. Lugdun. n. 275. *Nihil habendum illicitum niſi*

nisi quod impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter. Quia nimirum *Lex non obligat*, (ut Terellus ait in fundam. Th. Mor. q. 23. n. 16.) *nisi sit sufficienter promulgata; talis autem non est, nisi sit manifestè & evidenter cognita.* Unde n. 27. concludit, *Si post omnem conatum adhibitum, jus* (prohibens) *maneat incertum, posse nos prudenter formare judicium, quòd nulla hujusmodi Lex urgeat.* Similiter Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 7. lit. B. sub titulo, *Leges & præcepta* n. 1. *Si adhibitâ diligentiâ dubites an sit aliqua Lex. . . vel an ad aliquem casum se extendat. . . non teneris ad illam. Ratio est quia tunc possidet libertas, quæ cùm sit certa, non potest ligari lege incerta.*

685. Æqualis rarò, inferior rarissimè tenetur corrigere detractorem. *Busembaum tr. 7. c. 1. dub. 11.*

686. Sententia probabilis est, non esse mortale crimen occultum proximi revelare uni alicui viro prudenti & taciturno. *Tamerus 2. 2. q. 8. disput. 7. dub. 4. Escobar exam. 9.*

De Præcepto nono & decimo.

687. SI rusticus à viro existimato docto & pio audiisset fornicationem & furtum externa esse peccata; at licere fornicandi & furandi desiderium: quibusdam Neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minimè excusare. . . . At quamvis hoc probabile sit, probabilius tamen credo, illum actum internum excusari omninò à malitia ratione illius ignorantiæ invincibilis. *Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 16. & 17.*

688. Si quis actu voluntatis delectetur de actu ex se mortali, non præcisè, sed propter finem seu effectum bonum, v. g. de homicidio inimici propter utilitatem propriam indè secutam, de interfectione consanguinei propter hæreditatem quæ indè illi obvenit, de fornicatione vel pollutione absque culpa contingente, propter sanitatem vel liberationem à tentatione indè consequentem, delectatio ista non est mala. *Vasquez, Lessius, Layman, Palao, Bresserus, Fagundez, Arriaga apud Bossiam de consc. script. p. 3. tit. 1. n. 2182.*

689

689. Licitum est ob corporis sanitatem aut mitigationem libidinis & tentationis simplici affectu, sine ulla procuratione, aut procurandi proposito optare, & in vigilia desiderare, ut pollutio naturaliter, præsertim in somno eveniat. *Toletus, Vasquez, Sanchez, Lessius, Layman, Filiutius, Fagundez ibidem relati n.* 2251.

690. Licitum est viduæ morosè delectari de cogitata copula habita tempore matrimonii; sicut & sponsæ de habenda cum sponso futuro, dum juncti fuerint. *Sa, verbo*, Luxuria *n.* 13. *Salas tr.* 13. *disp.* 6. *sect.* 30. *n.* 201.

691. Licèt existiment aliqui etiam conjugatam mortaliter peccare, si voluntariè delectetur in motione venerea orta ex conjugis absentis apprehensione, eo quòd talis commotio ordinari non possit ad actum conjugalem, sed potiùs ordinetur ad pollutionem: opposita tamen sententia probabilitate non caret, modò absit periculum pollutionis. *Layman l.* 1. *tr.* 3 *c.* 6. *n.* 14.

De Sacramentis in genere.

692. EXcusare administrationem indignis faciendam potest. . . metus mortis, damni, aut infamiæ gravissimæ. *Ludovicus de Scildere in Synopsi Theologiæ Lovanii defensa anno* 1646. §. 12.

693. Urgens metus est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi, v. g. proferendi verba consecrationis sine intentione consecrandi, hostiam non consecratam pro consecrata porrigendi. Id probabiliter licitum censet Escobar *Th. Mor. to* 1. *l.* 1. *sect.* 2. *c.* 7. *probl.* 26. Ex metu mortis Scildere *loco cit.* licitum putat absque intentione absolutionis formam proferre super pœnitente indisposito.

694. Qui in articulo mortis conatur facere quod in se est, & nihil aliud occurrit, quàm actus quo dicit: *Domine miserere mei*, cum animo placandi Deum, sic justificabitur, supplente Deo Sacramenti necessitatem. *Lessius apud Bauinum in summâ tr. ac conf. c.* 42. *pag.* 687.

695

695. Ex ratione Augustini pro baptismo allata, colligitur quòd ad omnem effectum reviviscant etiam Sacramenta cetera informia. *Ludovicus de Scildere ubi supra* §. 11.

696. Reviviscentia hæc fit ad omnem gratiam deperditam, etiam sacramentalem. *Ibidem* §. 50.

697. Ab eo qui matrimonium ex gravi metu contrahere compellitur, moneo verba proferenda materialiliter, sicut aliquando sine intentione consecrandi verba consecrationis proferimus, vel verba proferenda cum æquivocatione (quamvis addito juramento) vel restrictione mentali, videlicet, *Accipio te in uxorem*, interiùs intelligendo, Si teneor. Accepi ex Sanchez de matrim. l. 4. disp. 16. *Escobar ubi suprà sect.* 11. *c.* 7. *probl.* 23.

698. Sacramentum exhiberi potest publicè peccatori publico, mortem, infamiam vel grave fortunarum damnum alioquin minitanti, dummodò non petat ex contemptu Sacramenti vel Religionis. *Escobar ibidem problem.* 93.

699. Licitum est cuique petere & accipere Sacramentum à Sacerdote existente in mortali peccato, etiam non parocho, nec parato alias ipsum conferre, si petenti ea receptio futura sit commodior vel utilior. *Dicastillo tr.* 4. *de Euch. disp.* 9. *dub.* 9. *n.* 155.

700. Fortè accipere per procuratorem Sacramentum matrimonii in mortali, non est mortale. *Sa, verbo*, Sacramentum *n.* 1. *edit.* 4.

CENTURIA OCTAVA.

701. NUllum est præceptum naturale, nec positivum, sive divinum, sive ecclesiasticum, exigens statum gratiæ in eo qui Sacramenta administrat, etiam ex officio. *Guimenius tr.* 4. *Miscellaneo de Sacram. novæ legis* §. 2. *&* 3. ubi refellere conatur quæcumque in contrarium afferuntur ex Scriptura, ex Nicolao Papa atque ex Augustino. Et §. quidem 5. addit ista à se dicta disputationis gratia, contrariamque opinionem

nionem esse tenendam; sed eam solùm fundat in auctoritate (se solâ non certa) Inquisitionis Hispanicæ & S. Thomæ.

702. Sacerdos sive parochus, sive non parochus, potest in mortali peccato celebrare, ut alii festo die Missam audiant, quamvis non obligetur celebrare in tali casu, quia potest tenere contrariam opinionem quòd non possit. *Tamburinus l. 3. methodi c. 5. § 3. n. 15.*

703. In Sacramentis mortuorum sufficit attritio, etiam ob pœnas peccati à Deo infligendas. *Ludovicus de Scildere, Synops. §. 9.*

704. Ad Sacramenti validitatem non sufficit intentio Ministri, qua intendat solam actionem externam, quæ fit in Sacramento, sed requiritur ut intendat aliquo modò ipsum effectum sacramentalem. *Thesis Jesuit. Lugdun. de 26. Augusti 1697.* Traditioni contraria est, eo quem præ se fert sensu, quòd ad sacramenti valorem non sufficiat interna intentio faciendi ritum sacramentalem, quem facit Ecclesia, sed insuper necessaria sit intentio effectus sacramenti.

De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Extremæunctionis.

705. Attritio sufficiens ad recipiendam gratiam Baptismi, debet & non debet esse supernaturalis. *Escobar tr. 2. l. 11. probl. 80.*

706. Ad effectum Baptismi sufficit & non sufficit attritio existimata. *Idem.*

707. Attritio ex solo gehennæ metu, sine Dei propter se dilectione, cum baptismo sanguinis seu martyrio, vel martyrium cum ea sola, aliquando sufficit ad conferendam gratiam & gloriam. *Gobat de Sacram. tr. 2. n. 617.* cum Dicastillo.

708. Probabilius est ex Sanchez. . . . in Baptismo nullum fieri votum aut promissionem de obedientia fidei. *Tamburinus in Meth. Confess. l. 2. c. 2.*

709. Judæus, qui habet attritionem de peccatis, quatenus iis meremur pœnas inferni. . . . licitè baptizatur

tizatur, in extremo agone, destitutus sensibus. . . . Licèt protestatus fuerit priùs, se potiùs vitam posituram, quàm fore Christianum. *Gobat tr. 1. de sacram. n. 236. & 238.*

710. Infantes Christianorum, non baptizatos, in periculo mortis constitutos, non tenetur quis cum periculo vitæ baptizare. *Emmanuel Sa, verbo*, Charitas *n. 4.*

711. Mortua matre è partus doloribus, pater, vivens de labore manuum, non tenetur chirurgum conducere pretio octo ducatorum (dum minori non potest) qui matrem secet, ad baptizandum infantem, nondum extractum ex utero, solùm probabiliter adhuc viventem, cum probabili proinde periculo frustranei effectus. *Gobat tr. 2. n. 259.*

712. Quid si illegitima proles concepta sit ex concubitu adulterino, sacrilego, incestuoso, immineatque tam matri, quàm patri, non laboranti ulla infamia, periculum gravis mulctæ. . . An licebit æquivocatione, aut restrictione mentali utendo, nominare alium patrem? An etiam pretio conducere, qui profiteatur se patrem? Respondeo, non ausim obligare matrem ad abstinendum amphibologia, aut etiam restrictione mentali. . . Nec obest quod magistratus exigat juramentum, cùm non possit exigere cum tanto damno. *Gobat ibidem n. 163.*

713. Utrùm sit expers peccati, qui pretio conductus, vel aliunde contentus, quòd à puerpera ita deferatur, coram magistratu legitimo, sequens depositionem puerperæ, jurat cum æquivocatione, aut restrictione mentali se esse patrem prolis, de qua interrogatur? Gobat ibidem negativè respondet, exhibet tamen resolutionem cujusdam *Theoria* (inquit) *& usu perquam periti in* contrarium, nec refellit, sed Lectori *ingeniosum discursum* ipsius relinquit examinandum.

714. Nulla est obligatio suscipiendi Sacramentum Confirmationis. *Palao tr. 20. dub. 8. Escobar l. 12. problem. 31. Gobat n. 771.* referens Henriquez, Suarez, Coninck.

715. Solùm venialiter peccat, qui negligit. *Quintanaduenas tr. 2. singul. 4. n. 2.*

716

716. Pontifices & Concilia, quæ contra duas præcedentes propositiones allegantur, loquuntur de necessitate utilitatis, non præcepti. *Escobar tr. 7. exam. 3. n. 22.*

717. Omittere Sacramentum Confirmationis, vel ad Ordines suscipiendos non præmittere, nullum est nec veniale peccatum. *Guimenius loco cit. q. 11.*

718. Defectum Sacramenti Baptismi (ob defectum materiæ vel intentionis baptisandi in ministro) respectu infantium sine Baptismo morientium, quoad effectum gratiæ & gloriæ supplet aliquando misericordia Dei. *Mascareñas tr. 1. de Sacram. in gen. n. 112.*

719. Nullum est præceptum suscipiendi Extremam Unctionem, quamvis adsit opportunitas aut commoditas illius suscipiendæ. *Gobat tr. 8. n. 816.* cum Hurtado & Palao.

720. Per se loquendo ne venialiter quidem peccat, qui Extremam Unctionem volens & prudens omittit. *Gobat ibidem.*

721. Per se nullum est peccatum, oleum infirmorum concedere alicui, seu viro, seu mulieri, volenti illud adhibere ad unguendos ægros, pro recuperanda sanitate. *Quintanaduennas tr. 5. singul. 11.*

De Sacramento Eucharistiæ.

722. DOcent aliqui nullum dari præceptum divinum Communionis, sed tantùm Ecclesiasticum, quo secluso non peccaturum, qui totâ vitâ non communicaret. *Guimenius tr. de Euch. propos. 4. p. 236.*

723. Divinum Communionis præceptum solùm obligat in articulo mortis, non extra illum. *Vasquez disp. 214.*

724. Si quis in Paschate, transgressus præceptum, non communicavit, non peccat iterum mortaliter, si postea non communicet. *Sa, verbo, Eucharistia, n. 7.* Toletus & Valentia apud Dianam *p. 3. tr. 4. resol. 41.*

725. Qui

725. Qui in statu peccati mortalis & non jejunus sumit Eucharistiam, non peccat duplici peccato in confessione explicando. *Gaspar Hurtadus de Sacram. disp. 9. diffic. 1.*

726. Qui non jejunus, simul & excommunicatus accessit ad communionem, satisfacit confitendo præcisè, *Communicavi semel sacrilegè. Card. de Lugo. disp. 14.*

727. Frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. *Thesis apud FF. Minores defensa Leodii 1676. conclus. 3.* & à Pollenterio Jesuita cum glossa sequenti approbata.

728. Hanc propositionem, *Frequens confessio, & communio, cultus B. Virginis, in iis etiam qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis*, copulatim si acceperis... si abstergas invidiam vocis *gentiliter*. . . . haud equidem scio, an dici possit continere *propositionem damnatam. Pollenter ad propos. 56. inter Innocentianas.* Favet eidem propositioni Franciscus de Mendoza suprà.

729. Probabile est, verbis Tridentini sess. 13. c. 7. *Si sacerdos, necessitate urgente, absque confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*, tradi consilium, non præceptum. *Escobar Th. Mor. l. 2. problem. 58.* Damnata per Alexandrum VII.

730. Probabile quoque, eorumdem verborum hunc esse sensum, cum suo tempore confitebitur. *Ibidem.* Damnata per eundem.

731. Practicè probabile est, præceptum illud, de confitendo *quamprimum*, solùm obligare sub veniali; imò non esse rigorosum præceptum, sed habere hunc sensum, *Suademus ut confiteatur quamprimum.* Fatetur Gobat *n.* 445. quartæ edit. se ita tradidisse in 3. edit. in qua & dixerat, *Tamburinum insigniter probare utramque hanc expositionem.*

732. Præcepto Tridentini, & S. Congregationis, de confitendo *quamprimum*, probabiliter non tenentur illi sacerdotes, qui habentes copiam confessarii, ea usi non sunt, vel ex malitia sacrilega, vel ex inadvertentia sui mali status. *Gobat n.* 440. Quia Concilium solùm

lùm loquitur de eo qui ex neceſſitate ſine confeſſione celebrat. *Dicaſtillo ſupra n. 155. Suarez diſp. 66. ſect. 7.*

733. Sacerdos non habens copiam confeſſarii, abſque confeſſione celebrare poteſt, quando accepit ſtipendium pro miſſis dicendis, vel accepto ſtipendio rogatur ut celebret. *Henriquez apud Gobat n. 239.*

734. Qui copiam quidem habet idonei confeſſarii, ſed brevi expectat confeſſarium ſuum ordinarium, cui devotiùs ſolet confiteri, probabiliter poteſt, cum ſola contritione, ſine prævia confeſſione communicare vel celebrare. *Filiutius apud Leandrum à SS. Sacram. de Euch. diſp. 7. q. 28.*

735. Quando Regularis, habens caſum reſervatum, per pium Confeſſarium petit à Superiore facultatem ut ab eo poſſit abſolvi, ſi eam ſuperior neget, Regularis ille abſque Confeſſione poteſt celebrare. *Præpoſitus & Tamburinus apud Gobat n. 240.*

736. Cenſetur deeſſe copia Confeſſarii, quando es Religioſus, & non habes niſi ſæcularem ſacerdotem. Nec enim teneris ei confiteri. Cederet quippe in infamiam Ordinis tui, ſi ei panderes grave peccatum. *Roſella apud Nugnum 3. p. q. 80. a. 4.* quem nonnulli hodie ſequuntur in praxi. Verùm id communiter improbabile meritò dicit Nugnus.

737. Excuſantur, qui negligunt ante celebrationem ſacro ſe ſiſtere arbitro, quod non certò, ſed ſolùm probabiliter exiſtiment ſe contraxiſſe noxam lethalem. *Gobat n. 434.*

738. Tenendum quoque eſſe probabiliter tutum in conſcientia, qui pro ſumenda Euchariſtia præmiſit confeſſionem dubii peccati mortalis; at priuſquam reipſa ſumat Corpus Domini, deprehendit illud eſſe peccatum certum, abſque confeſſione tamen illius ut certi accedit ad ſacram menſam. *Gobat n. 214.* cum Pellizario & Tamburino.

739. Si quis poſt debitum examen legitimè confeſſus omnia mortalia, quorum habuit memoriam, poſtea ante Communionem recordetur alicujus mortalis in

confessione obliti, non tenetur pro illo, ante Communionem, redire ad Confessarium, licèt commodè possit. *Præpositus* 3 *p. q.* 80. *a.* 5. *dub.* 3. *n.* 15. *Ferrantinus de scandalo disp.* 1. *q.* 80 *n.* 2. *Tamburinus opusc.* 2. *c.* 1. §. 8. *n* 63. Et probabile censent Arriaga de Euch. *disp.* 46. *sect.* 3. *Sa & Henriquez apud Hieron. Garciam in summa Th. Mor. tr.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 1. *punct.* 5. *n.* 50.

740. Ut non tenearis reverti ad Confessarium, sufficit metus admirationis in populo. *Granadus apud Dianam p.* 9. *tr.* 3. *resol.* 20.

741. Præceptum Tridentini, ut sacerdos, qui in necessitate, absque prævia Confessione celebravit, confiteatur quamprimùm.... non extenditur ad communicantem. *Ludovicus de Scildere.* §. 60.

742. Si, præter reservata, pœnitens habeat sola venialia, & contritionem perfectam se elicuisse certus sit, sine Confessione præmissa communicare poterit. *Idem ibidem.*

743. Si de contritione perfecta dubitet, cum attritione confiteatur venialia (silendo mortalia reservata) ut indirectè à mortalibus absolvatur. *Ibidem.*

744. Extra culpam est, quisquis Eucharistiam sumit, sibi non conscius peccati mortalis. *Sesmaisons in q. An melius sit frequentius quàm rarius communicare?* Contra quem scriptus est liber *De frequenti Communione.*

745. Etiam illi qui sui amore tument, sæculoque prodigiosum in modum addicti sunt, quamlibet implicati mortalibus delictis, priùs confessi, non præmissis aliis operibus, laudabiliter communicant octavo quolibet die. *Idem ibidem.*

746. Præmissa Confessione Sacerdos celebrare, & Laicus communicare licitè potest, post habitam eo die copulam carnalem, vel pollutionem voluntariam, sive secum, sive cum complice, sive per fornicationem, sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, sive quocumque alio modo. *Mascareñas de Sacram. tr.* 4. *disp.* 5. *n.* 284. referens Coninck, Hurtadum, Azorium,

zorium, Suarez, Layman, Henriquez, Fagundez.

747. Conſulendum non eſt dictis peccatoribus, ut iſto ſaltem die abſtineant; imò conſulendum, ut ipſo die ad ſacram menſam accedant, modò doleant, & confiteantur. *Idem ibidem.*

748. Communio multò magis conſulenda eſt conjugatis, ipſo die copulæ habitæ cauſâ voluptatis. Sequitur ex præcedenti, docetque *Sanchez in ſelect. diſput.* 23. Cujus opinio non diſplicet Maſcarenæ ſuprà.

749. Satis probabile eſt, ne venialiter quidem, per ſe loquendo, de inqui ab eo, qui conſcius plurium peccatorum venialium, ſine ullo de illis dolore communicat, dummodò in iis actu non complaceat. *Gobat tr.* 4. *n.* 217 cum Tannero, Rhodes, Valentia, Sa, Vaſquez, Suarez.

750. Qui cum actuali peccato veniali, vel affectu ad illud, Euchariſtiam ſumit, non peccat venialiter. *Vaſquez diſp.* 207. *c.* 2.

751. Copiam Confeſſarii ad Confeſſionem Communioni præmittendam habere non cenſetur bonus pedes, qui iter unius leucæ conficere deberet ad ipſum inveniendum. Ideóque ob unius leucæ diſtantiam excuſatur. *Henriquez l.* 1. *de pœnit. c.* 4.

752. Quando Sacerdos, incepto jam Sacro, recordatur ſe non eſſe jejunum, pergere communiter poteſt in ſuo Sacro. *Gobat tr.* 3. *n.* 424.

753. Non eſt arcendus à ſacra menſa, qui ſaccharum in os miſit ante duodecimam noctis, & paulatim liquefactum trajicit poſt duodecimam. *Amicus apud Dianam p.* 7. *tr.* 12 *reſol* 8

754. Qui evigilans hauſit frigidam, ignorans planè qua hora, ſi de duodecima dubitet, poterit ſine ſcrupulo ſacris operari. *Gobat n.* 280.

755. Qui mediâ nocte audivit duodecimam in uno horologio, & poſtea comedit donec aliud horologium ſonuerit, ſequenti die poteſt communicare. *Sanchez & Fagundez apud Dianam p.* 3. *tr* 4. *reſol.* 36.

756 Ubi unicum eſt horologium, qui comedit à primo ictu duodecimæ uſque ad ultimum excluſivè, ſimi-

liter ipse sequenti die communicare potest. *Dicastillus apud Leandrum q. 7.*

757. Qui multoties sacrilegè cum conscientia peccati mortalis communicavit, postea conversus subitò recipit totam gratiam quam recepisset, si toties dignè & fructuosè communicasset. *Mascareñas tr. 1. de Sacram. in gen. disp. 4. c. 5.* cum Suarez.

758. Dices cum P. Lugo.... Ex hac doctrina sequeretur quòd homo fieret repentè sanctissimus, si valdè multiplicasset sacrilegas ejusmodi Communiones. Et eò sanctior quò magis multiplicasset, & multò sanctior si singulis diebus contra leges Ecclesiæ decies vel centies celebrasset. Quod ex se incredibile apparet. Respondeo concedendo quòd fieret repentè sanctissimus, non propter plura sacrilegia commissa, sed propter plures Communiones, & si fieret eò sanctior quò plura fuissent sacrilegia, hoc non sequi per se, sed per accidens. Per se enim tale augmentum gratiæ & sanctitatis proveniret ex plurimis Communionibus, & per accidens est quòd tales Communiones fuissent sacrilegæ. *Mascareñas ibidem.*

759. Si hæreticus petat clavem ad tabernaculum, ut indè eximat particulas consecratas, protriturus eas pedibus, foret quidem generosus Christi athleta, qui in tam gloriosa causa vellet potiùs occumbere, quàm claves tradere: non video tamen malitiam inseparabilem ab illa traditione; quandoquidem ex se est actio merè indifferens. *Gobat tr. 1. de Sacram. n. 277.*

760. Probabiliter non foret reus ullius peccati adversus Concilia admissi, qui sive secundæ sive primæ ablutionis partem ministraret laico, licèt in prima remaneant aliquæ guttæ sanguinis. *Gobat tr. 4. n. 22. & 23.*

761. Licitum est ex sola devotione sacrificare in parva formula, deficiente hostia grandiore. Quia nullum est præceptum, nec consuetudo, obligans ad consecrandam hostiam majorem vel minorem. *Tamburinus de sacrif. miss. l. 2. c. 8. §. 8. n. 16.*

762. Sacerdos in ultima missa oblitus consecrare hostiam

ſtiam publicè in Remonſtrantia ſeu ſole exponendam poſt prandium, pro oratione quadraginta horarum, poteſt licitè ad hoc reſervare hoſtiam majorem, à ſe conſecratam, & loco illius ſumere minorem, ab alio Sacerdote pro communione fidelium conſecratam. *Fagundez de prac. eccleſ. præcepto* 1. *l.* 3. *c.* 4. *ex Henriquez.*

763. Neomyſta, non jejunus, primitias licitè celebrare poteſt, concurrentibus hiſce circumſtantiis, 1. quòd ſit familiæ perhoneſtæ. 2. quòd illuc advenere cognati complures. 3. quòd paratum lautum convivium. 4. quòd populus è ſuggeſtu invitatus ad officium ſolemne. 5. quòd jejunii defectus ſit occultus. *Gobat tr.* 3. *n.* 411.

764. Sacerdos qui pro pluribus Miſſis plura accepit ſtipendia, ſed incongrua, ſi aliud expreſſè non promiſerit abſque ulla coactione, poteſt illas Miſſas ad rationem juſti ſtipendii reducere, ut ſe indemnem ſervet. *Suarez & Tamburinus apud Vidal. de juſt. Inquiſ.* 2. Et probabile cenſet Palao *tr.* 22. *p.* 14. *n.* 6.

765. Si quis tibi non dederit niſi incongruum ſtipendium, non eſt opus ut pro illo totum ſacrum offeras Deo. Et licèt hoc promiſeris, non peccas contra juſtitiam, ſed contra fidelitatem dumtaxat, ſi ſecùs feceris. *Gobat tr.* 3. *n.* 567.

766. Declaratio, quâ S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum declaravit, quibus diebus Sacerdos ratione beneficii, Capellæ &c. Miſſas dicere debet, non poſſe pro iis eleemoſynam manualem accipere, intelligenda eſt de iis ſolis Sacerdotibus qui tenentur iis diebus pro fundatore, ſive ad intentionem ipſius ſacrificare. *Dicaſtillo tr.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 23.

767. Sacerdos, de quo proximè, ad intentionem fundatoris ſacrificare non tenetur, ſi fundatio ſit cum determinatione loci vel temporis, niſi de oppoſito aliundè conſtet. *Tamburinus tr. de Sacrif. rit. perag. l.* 3. *c.* 1. §. 3.

768. Parochus abſolutè numquam tenetur applicare fructum Sacrificii Parochianis ſuis. Et ideò licèt ex vi

beneficii sui teneatur ter singulis hebdomadibus in Parochia celebrare, potest pro iis stipendium accipere. *Burghaber Cent.* 1. *Casu* 27.

769. Sacerdos ex fundatione obligatus quotidie in tali templo vel altari celebrare, non peccat mortaliter, si uno alterove die singulis mensibus alibi celebret, nisi celebrare teneatur in altari privilegiato. *Tamburinus de exped. Sacrif. l.* 3. *c.* 2.

770. Contra hoc onus missarum, certum earum numerum Sacerdos præscribere potest annis triginta cum titulo, possessione & bona fide. *Ibidem.*

771. Qui non implent conditiones fundationis clarè præscriptas, per se loquendo possunt quandoque in conscientia excusari ob titulum præscriptionis. *Tamburinus c.* 7. §. 7. *Pellizarius tr.* 5. *c.* 9. *n.* 92.

772. Qui ratione beneficii tenetur quotidiè celebrare pro fundatore, potest quavis hebdomada unam missam omittere ex devotione, & reverentiæ causa. *Idem c.* 3. Nisi de contraria (inquit) fundatoris intentione constet

773. Qui per unum alterumve Mensem non potest satisfacere fundationi, propter morbum, non tenetur substituere alterum. *Card. de Lugo R. Mor. l.* 5. *d.* 9. *n.* 49.

774. Potest accipi stipendium ordinarium pro fructu sacrificii ex opere operato; & aliud minus pro fructu ex opere operantis. *Coninck q.* 83. *n.* 1. *dub.* 10. *n.* 195.

775. Si Parochus omnibus computatis 350. florenos Germanicos (id est circiter 500. florenos Belgicos) & Capellanus, quotidie celebrans, 200. florenos Germanicos annuos accipientes, per duos menses negligant breviarium, probabiliter ad nullam vel modicam tenentur restitutionem. *Layman l.* 4. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 2.

776. Parochus tempore pestis non tenetur Parochianis suis, cum vitæ suæ periculo, Eucharistiam ministrare. *Dicastillo disp.* 11. *dub.* 7.

777. Sacerdos aliis ministrans Eucharistiam in peccato mortali, non peccat mortaliter. *Vasquez to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 138. *c.* 3 *n.* 3.

778

778. Gravis culpæ reus non eſt, qui cum voluntariis diſtractionibus recitat notabilem partem Canonis. *Bardi in ſelect. l. 8. q. 6. num. 8.*

De Sacramento pœnitentiæ.

779. PRobabile eſt dolorem neceſſarium ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento pœnitentiæ non debere eſſe verum & realem, ſed exiſtimatum ſufficere. *Filiutius tr. 7. de Confeſſ. c. 6. n. 150.*

780. Saltem probabile eſt ad valorem Sacramenti ſufficere dolorem naturalem, modò accedens ad Sacramentum bonâ fide putet ſe ſufficienter diſpoſitum. *Paulus Roſmer è Soc. Doctor Gracenſis in Concluſ. Theolog. de act. hum. p 329.*

781. Si quis doleat de peccato propterea quòd Deus in pœnam illius temporale malum immiſit, ſufficit. *Eſcobar tr. 7. exam. 4. n. 91.*

782. Sufficit attritio naturalis modò honeſta. *Theſes in Collegio Claromontano anno 1643. & 1644. Pariſiis defenſæ.*

783. Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ ſufficit triſtitia, quâ doles à te offenſum Deum, tamquam ſolitum peccata punire per morbos, bella &c. *Henriquez & Filiutius apud Gobat tr. 6. n. 11.*

784. Attritio ex ſolo timore gehennæ, ſine Dei propter ſe dilectione, certò ſufficit ad valorem & effectum Sacramenti pœnitentiæ. *Pinterellus in l. de ſuffic. attrit.* Ac frequenter Jeſuitæ Lovanienſes, Anglo-Leodienſes. Lugdunenſes in Theſibus.

785. Vix ulla doctrina clariùs eſt in Tridentino expreſſa. *Ibidem.*

786. Doctrina illa adeò ſecura eſt, ut amplius de ea prudenter dubitari non poſſit. *Arſdekinus damnatæ Theolog. tripart. p. 2. c. 3. q. 21. §. 3.*

787. Qui in ſervitio peſtiferorum ex humana fragilitate lapſus in mortale peccatum, cum ſola attritione ex timore gehennæ moreretur, vi morbi ex illo ſervi-

tio contracti, mors illa ipsum faceret de attrito contritum, sicut faceret sacerdotalis absolutio. Non desunt viri docti, ait Gobat n. 117. qui censent Theophilum Raynaudum esse istius opinionis, licèt eam Gobat primus assertivè tradere non audeat.

788. Probabile est, nullum extare præceptum de contritione seu pœnitentia per se loquendo elicienda ante articulum mortis. *Gobat n.* 139. cum Suarez & Dicastillo.

789. At quamdiu licebit differre contritionem de mortalibus commissis sine novo peccato mortali? Secundùm Layman, non ultra annum. Juxta Coninck & Lessium non ad tres vel quatuor annos. *Apud Gobat n.* 140.

790. Præceptum naturale pœnitendi non obligat statim post peccatum commissum. Obligat per se in articulo mortis, & singulis saltem quinquenniis. *Blondellus in Thesi Anglo-Leodiensi anni* 1689. *concluf.* 43.

791. Divinum præceptum pœnitentiæ, secluso periculo mortis, vel lapsus in aliud peccatum, practicè non obligat sub gravi, ad pœnitendum citius, quàm obliget præceptum Ecclesiasticum. *Slaughter in dictatis Anglo-Leodiensibus de pœnit. p.* 1. *disp.* 2. *sect.* 3. *concluf.* 4.

792. Præceptum Ecclesiasticum pœnitentiæ non obligat, dum Confessio annua fieri non potest. *Idem concluf.* 3.

793. Non est absurdum dicere quòd veniale numquam directè & per se tollatur vi Sacramenti Pœnitentiæ. *Dicastillo disp.* 2. *de pœnit. dub.* 17.

794. Nulla est, per se loquendo, vi præcepti divini, obligatio Confessionis, nisi quando instat periculum mortis, vel non habendi postea per totam vitam copiam Confessarii. *Slaughter ibidem p.* 2. *disp.* 5. *sect.* 1.

795. Tametsi Confessionem differendo usque ad articulum mortis, vel Paschæ, certus sis te, ob hanc dilationem, esse obliturum multa crimina lethalia, haud tamen inde oritur tibi obligatio confitendi citiùs. *Gobat n.* 261. cum Henriquez & Lugone.

796. Practicè

796. Practicè probabile est, reum peccati mortalis, qui prævidet se toto sequenti anno carituram copiâ Confessarii, non teneri anticipare confessionem. *Gobat n.* 278.

797. Si confessus fueris 1. Januarii anni 1701. licitè differs confessionem usque ad ultimam Decembris 1702. ita ut duo anni integri unâ die exceptâ, licitè transeant sine confessione, nisi aliunde occurrat necessitas. v. g. ratione communionis vel articuli mortis. *Card. de Lugo disp. 15. n.* 117.

798. Adhuc post prohibitionem hujus propositionis, qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ, probabilis est opinio dicentium, quòd qui non est confessus integrè, ex negligentia mortaliter culpabili, confessio ista, licèt sacrilega, sufficiens est ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto. *Gobat n.* 280.

799. Potest pœnitens, præcisè ratione infamiæ, quam apud Confessarium incurret complex ex revelatione peccati talis speciei, excusari à confessione materialiter integra. *Valentia apud Dianam p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 49. *Sanderus in Thesi Anglo-Leod. anni* 1688

800. Integrè confitetur qui reticet peccatum aliquod, ne cogatur aperire crimen complicis. *Mansfeldius in Thesi Anglo-Leodiensi a.* 1689.

CENTURIA NONA.

801. Sufficit confiteri voluntatem efficacem peccati, non confesso effectu reipsa secuto, quando secutus est tempore quo voluntas jam amplius non potest illum impedire. Unde si cui propinasti venenum, quo ipse enecatus fuit, satisfacis in confessione dicendo, te propinasse venenum animo ipsum enecandi. Et quando vino te inebriasti, satisfacis dicendo, bibi ex voluptate vinum prævisо periculo ebrietatis. *Gobat a n.* 349. *ad.* 353.

802. Furatus mille aureos, sufficienter confitetur dicendo, *commisi furtum mortale. Gobat n.* 378.

803 Qui proposuit peccare cum decem mulieribus solutis, satisfacit dicendo, *habui voluntatem fornicandi. Idem n.* 385.

804. Qui commisit incestum cum matre, vel filia, sufficienter confitetur, dicendo, *commisi incestum.* Ista satis probabilia putat Gobat, tam numero illo 378. & 385. quàm n. 387.

805. Qui uno ictu occidit octo homines, satisfacit dicendo, *uno ictu occidi aliquos. Gobat n.* 381. cum Card. de Lugo.

806. Qui in loco sacro exercuit tactus impudicos citra periculum pollutionis, in Confessione potest circumstantiam loci omittere. *Sanchez, Conmck, Vasquez, Valentia, Henriquez, Fagundez, apud Dianam p. 1. tr. 7. resol. 26. & p. 2 tr. 3. miscell. resol. 23.*

807. Imo etiamsi cum pollutione, modò occulta, non publica. *Vasquez apud eundem. Tamburinus & Burghaber apud Stephanum à S. Paulo tr. 1. disp. 5. num. 58.*

808. Etiamsi confitentem furtum grave Confessarius interroget, ad quam quantitatem pervenerit illud furtum, confitens non tenetur aperire. *Hurtadus de pœnit. disp. 9 diffic. 4. Dicastillo disp. 9. dub. 3. n. 194. & disp. 6. dub. 21. n. ult.*

809. Publica meretrix, parata & exposita ad peccandum cum Clericis, Religiosis, & laicis, conjugatis & solutis, satisfacit in Confessione exprimendo, se tanto tempore sic expositam fuisse, non declarato numero peccatorum suorum. *Valentia to. 4. disp. 6. q. 11. p. 1.*

810. Qui ligatus voto castitatis alios non ligatos induxit ad peccandum contra castitatem, probabiliter non tenetur explicare circumstantiam sui voti. *Sanchez & Tamburinus apud Stephanum à S. Paulo tr. 1. disp. 5. n. 58.*

811. Qui peccavit, alias non peccaturus, ex confidentia obtinendi Jubilæum, non tenetur hanc circumstantiam aperire *Fagundez precept. 2. l. 4. c. 5. n. 8.*

812. Nec tenetur pœnitens confiteri consuetudinem peccandi, de ea à Confessario interrogatus. *Vasquez, Henriquez, Reginaldus apud Dianam tr. 7. resol. 55.*

813. Confessarius qui carnaliter peccavit cum filia sua con-

confeſſionis, non tenetur circumſtantiam iſtam confiteri. *Vaſquez & Azorius apud eumdem, ibidem reſol.* 2.

814. Qui domi habet concubinam, ſufficienter confitetur, dicendo duntaxat, quanto tempore illam habeat. *Gobat n.* 400. cum Valentia.

815. Etiamſi illi qui diſtinctè confeſſi non ſunt numerum & ſpecies peccatorum ſuorum, ſed confuſo aliquo modo, poſtea magis diſtinctè recordentur numeri & ſpecierum, non tenentur confiteri poſtea diſtinctiùs. *Gobat n* 402. cum Lugone & Valentia.

816 Qui uno actu voluntatis ſtatuit non jejunare tota quadrageſima, nunquam toto anno recitare breviarium, vel audire ſacrum, rectè confitebitur, dicens: *Habui propoſitum non jejunandi, non recitandi breviarium, non audiendi ſacrum. Gobat n.* 410. cum Filiutio.

817. Qui confeſſus ſe fornicatum fuiſſe decies *plus minus*, certè poſtea recordatur ſe duodecies fornicatum, non tenetur poſtea certò exprimere numerum illum, ſub dubio per particulas illas *plus minus* expoſitum. *Gobat n.* 419. cum Vaſquez & Suarez.

818. Confeſſus ſe vicies *circiter* pejeraſſe, ſi poſtea liquidò deprehendat id à ſe factum trigeſies, non tenetur quidquam dicere de illis decem perjuriis ſupra viginti. *Tamerus q.* 7. *dub.* 3. *n.* 45.

819. Confeſſus mortale ut dubium, certus poſtea ſe illud commiſiſſe, non debet illud ut certum confiteri. *Tamburinus Exped. Confeſſ. c.* 1 §. 4. *Pellizarius Man. Regul tr.* 5. *c.* 3. *n* 56.

820 Non eſt obligatio confitendi mortalia ſive poſitivè, ſive negativè dubia, ſive dubium ſit de illis commiſſis. ſive an cum plena advertentia & deliberatione. *Henriquez, Prapoſitus, Coninck apud Gobat tr.* 3. *n.* 214. id velut probabile admittentem cum Leſſio in auctario verbo, *confeſſio, caſu* 7 *n.* 10.

821 Licèt exiſtimes fore ut plura tibi occurrant mortalia, ſi plus temporis impendas in conſcientia examinanda, non ſequitur te teneri plus impendere. *Gobat tr.* 6. *n.* 496.

822. Qui certò scit se multa mortalia in confessione oblitum iri, nisi post examen ea describat in charta, ad hoc non tenetur. *Gobat n. 515.*

823. Non teneris, sub gravi præcepto, statim confiteri mortale commissum, etiamsi fortè differendo sis obliturus illius. *Gobat n. 554.*

824. Si confessarius non potuit intelligere omnia peccata blesi, naso truncati, vel utentis dialecto sibi ignotâ &c. licitè nihilominus absolvit ipsum, cum onere se sistendi pro ceteris peccatis alteri meliùs percepturo, etiamsi tales (extra tempus præcepti) ex sola devotione illa confiteantur peccata quæ possunt. *Tannerus to. 4 disp. 6. q. 7. n. 76.*

825. Idipsum ego admitterem in magnis Jubilæis. *Gobat n. 459.*

826. Negat P. Coninck esse probabilem opinionem arbitrantium, quando adest tanta multitudo confiteri volentium pro aliquo celebri festo, ut sacerdos nequeat omnibus satisfacere, audiendo eos integrè; posse singulis dicere, ut aperiant solùm graviora è mortalibus, reliqua differant in aliud tempus. Censeo ego . . . . eam opinionem posse probabiliter sustineri, casu quò multi è longinquo advenissent, gratia obtinendæ grandis indulgentiæ, confessionem & communionem requirentis. *Gobat n. 479.*

827. Quando per oblivionem in una confessione omisisti circumstantiam mutantem speciem, etiamsi oblivio provenerit ex culpabili negligentia in discutienda conscientia, non est opus ut in proxima confessione, una cum circumstantia ista, exprimas actum principalem, v. g. fornicationem, quam commisisti contra votum castitatis, sed satis est quòd dicas, sum transgressus semel votum in materia gravi. *Gobat n. 574.*

828. Non est peccatum, in una confessione seorsim explicare actum principalem, & seorsim circumstantiam, necessariò confitendam, ut si in exemplo allato dicas, *Semel commisi fornicationem: bis inebriavi me: semel transgressus sum votum in materia gravi. Gobat n. 575.*

829

829. Si probabiliter judices te non patraſſe illud crimen, vel non cum perfecta advertentia, vel illud te fuiſſe confeſſum, eſto contrarium tibi probabiliùs videatur, non teneris confiteri. *Gobat tr. 8. n. 211.*

830. Monet ſapienter Lugo, minus exactè quærendum eſſe numerum & ſpeciem, ex illo qui multa peccata confitetur, quàm qui pauca. Alioqui foret ipſi nimis moleſta confeſſio. *Gobat n. 337.*

831. Nequeo negare veram probabilitatem ſententiæ dicenti, certum ſe commiſiſſe tale peccatum mortale, ſed rationabiliter dubitantem, an plenè deliberatè; non teneri illud confiteri. *Gobat n. 214.*

832. Non ſunt obligandi fideles ad iterandas confeſſiones, ubi non conſtat evidenter de obligatione. *Filiutius tr. 7. n. 151. & 154.* Nimis profectò laxè. Tum quia aliàs nunquam obligandi forent in caſibus controverſis. Tum quia obligandi ſunt, ubi obligatio eſt valde probabilis, licèt non omninò certa.

833. Probabile eſt, non eſſe repetendam confeſſionem, in qua omiſſum eſt ex mortaliter culpabili negligentia, vel ignorantia, aliquod peccatum mortale. *Gobat tr. 6. n. 568.*

834. Non eſt facilè quiſquam obligandus ad eam repetitionem, ob culpam negligentiæ admiſſam in conſcientiæ examine. *Ibidem.*

835. Quando tuus ordinarius pœnitens omiſit ſacrilegè per plures annos confeſſionem alicujus peccati mortalis, nequaquam opus eſt ut repetat omnes confeſſiones factas tempore quo duravit ſacrilegum ſilentium. *Gobat n. 571. & 572.*

836. In caſu proximè dicto ſolùm repetendæ ſunt ſpecies omnes & numeri peccatorum, quæ alteri fortè confeſſario ille pœnitens interea aperuit. Deinde eorum quæ aperuit cum formali ſacrilegio, id eſt advertendo à ſe omitti non omittenda; ſecus eorum quæ interea omiſit immemor præteriti ſacrilegii, explicando tamen numerum confeſſionum communionumque ſacrilegarum. *Ibidem.*

837. Qui generaliter confitetur, poteſt ſine alia ex-

plicatione admiscere ab ultima confessione commissa, nova cum antiquis, etiamsi id de rubore, vel de industria faciat ad tegendum tempus quo peccatum commisit, ne confessario innotescat. *Tamburinus supra l. 2. c. 1. § 1. n. 2. Escobar tr. . . . exam. 2. n. 75.*

838. Si simplex rusticus, (qui tota vita tantùm confessus est generaliter, nihil in specie, ob defectum instructionis) ad confitendum veniat quando ingens est copia pœnitentium; ita ut tunc disponi nequeat ad omnia repetenda, potest absolvi, auditis peccatis ab ultima confessione commissis cum obligatione ut melius postea confiteatur. *Layman cit. c. 9. n. 4. Baunius in sum. c. 40. n. 650.*

839. Pœnitens non est jubendus præteritas repetere confessiones, quando solùm probabile est eas fuisse illegitimas. *Gobat tr 8 n. 275.*

840 Si pœnitens (qui confitetur se in prioribus confessionibus tacuisse aliquod mortale) interrogatus, an sciverit vel dubitaverit se peccasse mortaliter illud tacendo; respondeat de eo se dubitasse. Rursus interroga, an putarit delinqui mortaliter, petendo absolutionem cum isto dubio? Si neget, ne jubeas priores repetere confessiones. Verè enim plurimi ignorant esse mortale peccatum, operari cum conscientia dubia. *Gobat n. 77.*

841 Non contrahitur, adeóque confitenda non est malitia circumstantiæ mutantis speciem, nisi pœnitens, quando peccatum committebat, saltem dubitarit, an non contraheret propter illam peculiare peccatum. *Gobat n. 324.*

842. Quando pœnitens debitè se examinavit, confessarius tamen probabiliter credit ipsum ex oblivione unum vel plura mortalia omittere, probabiliter non tenetur sub mortali ipsum examinare, saltem quando multitudo pœnitentium urget celerem expeditionem confessionis *Gobat n 332*

843 Si constet Confessario pœnitentem oblivisci alicujus peccati, per se loquendo tenetur interrogare.

Quòd

Quòd ſi interrogatus neget, regulariter tenetur ipſi credere. Quòd ſi evidens ſit pœnitentem mentiri, ſi id Confeſſarius ſcit tantùm viâ ſecretâ, poſt prudentem interrogationem tenetur judicare ſecundùm allegata & probata in illo foro. *Filiutius to.* 1. *tr.* 7 *c.* 12. *n.* 160.

844 Commiſit quis peccatum non longè à confeſſionis hodiernæ tempore, à quo abſolutus non eſt. Dum confitetur, ut minuat pudoris inſtantiam, dicit, peccatum iſtud quondam fuiſſe à ſe commiſſum, & non confeſſum. Hæc ſimulatio confeſſionis integritati obeſt, & non obeſt. Non obeſſe ſine ſcrupulo admitterem, ſi pœnitens ſolùm temporis ſimulationem gereret, fatus, multis abhinc annis hæc aut illa peccata commiſi, quæ quidem ex oblivione inculpabili faſſus non ſum. *Eſcobar Th. mor. l.* 4. *ſect.* 2.

845 Qui confitetur deſideria, cogitationes & affectiones turpes, certo ſpatio, v. g. per menſem habitas, non tenetur numerum explicare; ſed ſufficit dicere, toto menſe amavi Bertam v.g. etiamſi poſſit numerus exprimi. *Baunius in ſum. c.* 40. *n.* 667.

846. Qui delectatus eſt de peccatis præteritis, aliàs confeſſis, id ſolùm oportet confiteatur, non autem exprimere, quæ fuerint peccata, de quibus eſt delectatus. *Sa*, correctus à Magiſtro S. Palatii, *verbo* Confeſſio. *n* 16.

847. Si Sacerdos portans S. Euchariſtiam furaretur, non teneretur hanc circumſtantiam declarare Quia in ea gravem irreverentiam non facit. *Tamburinus ſupra c.* 7. §. 5 *n.* 42.

848. Qui læſit alterum in fama graviter injuſtè, dicendo ſcienter falſam infamationem, videri poteſt non teneri circumſtantiam mendacii explicare, ſed ſufficere ſi dicat ſe graviter injuſtè diffamaſſe alterum. *Dicaſtillo tr.* 8 *de pœnit. diſp.* 9. *dub* 3. *n.* 172.

849 Licitum eſt ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ Feſtivitatis aut indulgentiæ. Sic à pluribus Religioſis Societatis in examine ad confeſſiones anno 1652. fuiſſe reſpon-

ſponſum, & à pluribus ejuſdem Societatis practicatum teſtatur Illuſtriſſimus D. Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinienſis in epiſt. ad S. Congregationem Cardinalium de die 17. Julii 1654. Et adhuc hodie Leodii à nonnullis ejuſdem Societatis practicari, teſtantur plures pœnitentes, ipſis confeſſi, ſed & hac ipſa de cauſa conſcientiæ pacem non conſecuti, quòd permiſſi non fuiſſent integrè confiteri.

850. Magiſtratus vel quicumque ex officio conſtitutus ad procurandam conſervandamque ſecuritatem publicam, tenetur ex officio impedire mala aliorum contra illam ſecuritatem, v. g. furta; non verò ſua. Nec proindè confiteri tenetur circumſtantiam officii ſui, ſi ipſemet furatus fuerit. *Dicaſtillo de pœnit. diſp. 9. dub. 6. n. 381.*

851. Mortaliter non delinquis (confiteri proinde non teneris) licèt planè deliberatè negligas ſupprimere motus ſenſualitatis, modò abſit periculum poſitivi conſenſus. *Gobat tr. 7. n. 329.*

852. Lethalis non eſt damnandus ille, qui per actiones ex ſe. . . tantùm leviter turpes, dat occaſionem his motibus, nec ſtatim ceſſat, dummodo non ſit periculum conſenſus *Gobat ibidem n. 330.* cum Leſſio.

853. In confeſſione moroſarum delectationum ſufficit ut pœnitens dicat, toties moroſè delectatus ſum, ſine explicatione, an illa delectatio fuerit circa conjugatam, monialem &c. *Vaſquez 1. 2. diſp. 112. c. 2. Reginaldus to. 2. l. 12. c. 2. n. 17.* Et probabile cenſent Tannerus, Salas, Azorius & Sa apud Dianam *p. 3. tr. 4. reſol. 67.*

854. Rectè agit Confeſſarius, qui non habens poteſtatem abſolvendi ream infanticidii ſibi confeſſi, nolentem à confeſſionali recedere ſine abſolutione, nec expectare donec abſolvendi poteſtatem obtinuiſſet, abſolvit cum onere redeundi ad ſe deſignato tempore. *Gobat tr. 7. n. 397.*

855. Surdus, qui (neſciens utrùm alta, an ſubmiſſa voce loquatur) confiteri nequit, niſi ſic ut ab aliis audiatur, tametſi ſciat ſcribere, non eſt adigendus ad ſcri-

ſcribendum peccata ; ut det legenda Confeſſario , uti nec mutus. *Gobat n.* 475. & 476.

856. Confeſſarius unius tantùm idiomatis peritus, à ſuis Superioribus expoſitus ad excipiendas Confeſſiones, in loco ubi pœnitentes alio utuntur idiomate, difficillimè à ſe intelligibili, licitè eorum confeſſiones excipit, eoſque abſolvit , etiam in communibus per annum feſtis , etiamſi nulla ratione extorquere poſſit explicationem ſufficientem nonnullorum peccatorum quæ confitentur. *Gobat n.* 486.

857. Confeſſarius excipere poteſt confeſſionem ejus cum qua peccavit, ſi ſit ipſi ſanguine juncta , & præ pudore non audeat inceſtum ſuum alteri manifeſtare. *Gobat n* 582.

858. Mortalis culpæ non eſt condemnandus vir nobilis , ſine juſta cauſa moram faciens ſolvendi debita, nec ipſi, ſæpius moram illam confeſſo, & in morâ perſiſtenti , neganda eſt abſolutio , modò habeat animum ſolvendi, & debitor ex mora illâ aliud non patiatur damnum , etiamſi petierit ſolutionem. *Molina de juſt. to.* 3. *tr.* 2. *diſp.* 753. *n.* 1. non improbante Gobat *n.* 563.

859. Dum pœnitens in confeſſione dicit : Commiſi furtum mortale ſemel : bis locutus ſum de rebus venereis: Confeſſarius ex probabili ſententia non tenetur quærere , quanta fuerit ſumma ; quot fuerint perſonæ inde ſcandalizatæ. *Gobat n.* 542.

860. Pœnitens non tenetur obedire confeſſario , injungenti hanc vel illam reſtitutionem , offenſæ condonationem , vel fugam occaſionis , quando obligatio illius eſt controverſa , & aliqui probabiliter eam negant. Cùm Confeſſarius contrà teneatur accommodare ſe opinioni probabili pœnitentis. *Gobat n.* 556.

861. Confeſſarius negare nequit abſolutionem pœnitenti , nolenti practicè recedere ab opinione quam confeſſarius judicat improbabilem , modò ſciat ab aliquibus viris doctis cenſeri probabilem. *Gobat tr.* 7. *n.* 179.

862. Pœnitens non tenetur reſtituere, quando intu-

lit quidem damnum injustum, sed sine malitia mortali. *Gobat n.* 221.

863. Confessarius rationabiliter dubitans, an pœnitens sit bene dispositus, quoad dolorem, propositum, integritatem, si adhibita sua diligentia nequeat deponere dubium, absolvat ipsum sub conditione. *Gobat n.* 268.

864. Secundùm aliquos, licèt cognoscat quis se peccare mortaliter, accedendo scienter sine dolore sufficienti, confessionem equidem validam facit, & non repetendam, dum de tali defectu doloris cum aliis peccatis se accusat. *Amadeus Guimenius tr. de matrim. propos.* 14. *n.* 17. *&* 18

865. Quandocumque ob rationem, vel Doctorum authoritatem, verè probabile est, quòd alicui sacerdoti competat potestas absolvendi, validè absolvit, licèt opinio illa sit falsa à parte rei, modò non versetur circa jus divinum. *Gobat n.* 112.

866. At est-ne generalis illa doctrina vera, etiam in casu quo opinio illa habeatur pro probabili, non communiter à doctis, sed tantùm ab aliquo privato? Respondet affirmativè Tamburinus *loco citato* § 8. *n.* 9.

867. Verane est etiam tunc, quando probabilitas versatur circa solum factum, ut quando est probabile, Episcopum dedisse mihi facultatem absolvendi à reservatis, cùm tamen ne cogitarit quidem? Respondet iterum Tamburinus affirmativè. Ego verò nequeo negare probabilitatem illis duobus responsis, inquit *Gobat n.* 118.

868. Confessarius videns suum pœnitentem laborare ignorantia culpabili causativa plurium peccatorum, ut si cogitet inire matrimonium illegitimum, ob impedimentum culpabiliter ignoratum, non tenetur dedocere errorem, si prævideat quòd nihilominus perrecturus sit in proposito. *Gobat n* 314.

869. Si videat pœnitentem ex invincibili (ut ipse vocat, cùm revera vincibilis sit) ignorantia obnoxium mollitiei, si consideratis omnibus judicet nihil profuturam monitionem, dissimulare debet de istius criminis gra-

gravitate, etiamsi ea cognita quandoque, rarissimè tamen sit abstenturus. *Gobat n.* 316.

870. In praxi existimo, nunquam, aut rarissimè denegandam absolutionem, ob doctrinæ Christianæ ignorantiam. *Sanchez op. mor. l.* 2. *c.* 3. *n.* 21.

871. Absolutionis capax est, qui per ignorantiam, etiam culpabilem, nescit mysteria fidei, nequidem SS. Trinitatis & Incarnationis, dummodo præteritæ negligentiæ eum pœniteat, firmiterque proponat fore ut discat. Nec ipsi deneganda est absolutio, quamvis, semel & iterum monitus, discere potuerit & neglexerit. *Sanchez ibidem* ex Azorio, absque exceptione ullius mysterii.

872. Licèt, ego Confessarius multis tentatis erga pœnitentem identidem relabentem remediis nihil profecissem, nollem erga ipsum uti dilatæ absolutionis remedio, nisi in casu perraro. *Gobat tr.* 7. *n.* 320.

873. In confirmationem præcedentis propositionis multi è modernis Casuistis multa dixere de facilitate conversionis peccatorum, etiam grandium, etiam consuetudinariorum, etiam inveteratorum, ut quòd facillima sit & ut plurimum vix tempore egeat conversio ipsorum. Quos inter Imago primi sæculi Societatis *l.* 3. *c.* 2. alacriùs (inquit) nunc purgantur peccata, quàm committuntur, plurimique vix citiùs maculas contrahunt, quàm eluunt.

874. Contritio, etiam perfecta, facilè elici potest. *Matthæus Stoz è Soc. in praxi Confess. n.* 26.

875. Remississimus dolor, si nihil aliud desit quàm intensio, sufficit ad contritionem perfectam. *Gobat tr.* 6. *n.* 111.

876. Experimur eos, qui audiunt Concionatorem, etsi plerumque non accedant ad concionem ut reconcilientur cum Deo, & absolvantur à suis peccatis, sed aut ex curiositate, aut ut piè se occupent, facilè tamen concuti, & concipere efficacem dolorem, & propositum, cùm concionator aptè proponit, quæ ad pœnitentiam pertinent. *Baltassar Francolinus*, Jesuita Romanus libro cui titulus, *Clericus Romanus* &c. *disp.* 5. *n.* 43.

877.

877. A fortiori illi, qui sponte accedunt ad confessionem, eo fine ut reconcilientur cum Deo, facilè concutientur, & concipient efficacem dolorem & propositum, si eadem ipsis proponantur à confessariis. *Francolinus ibidem.* Quasi brevis exhortatio confessarii sufficiat magnis peccatoribus ad concipiendum efficacem dolorem ac propositum: quod profectò sacris Litteris, sensui Ecclesiæ, SS. Patribus, experientiæ & rationi adversatur.

878. Qui sponte accedunt ad confessionem, eo fine ut reconcilientur cum Deo, si non appareant satis dispositi, possunt facilè ab ipso Confessario statim disponi. *Francolinus ibidem.*

879 Is qui antea habebatur ut indispositus, vel propter vitam nihil emendatam post ultimam confessionem, vel ex alio capite, jam monitus & increpitus à Confessario, ac se dolere significans, est habendus pro dispositò. *Ibidem n.* 45.

880. Confessarius cùm deprehendit pœnitentem accessisse indispositum, vel imparatum, & animo *indiscusso*, vel perseverantem in occasione proxima, vel nihil emendatum, nihilque conatum ut se corrigeret, debet plerumque, saltem ex charitate, ipsum disponere: cùm id ex dictis possit facilè fieri. *Ibidem n.* 46. & 47. Quasi donum miraculorum Confessarius passim habeat. Miraculum est enim facilis & tam subita talis peccatoris conversio, opusque inter opera Dei maximum, majusque creatione cœli ac terræ: cujus vim humanæ Rhetoricæ, brevique exhortatiunculæ Confessarii cujuscumque Deus non legitur alligasse.

881. Facillimè quilibet peccator intelligit, an verè detestetur peccata commissa, & velit ea non ampliùs committere. *Ibidem n.* 38. Manifestè contra Scripturam, uti demonstrat Clericus Belga *cap* 3. §. 3.

882. In hoc proinde foro reus semper meretur fidem, dum seriò dicit se dolere, emendationemque proponere, id est dum ita dicit, ut sibi non contradicat. *Francolinus l.* 2. *disp.* 10. *n.* 8. Quasi frequenter non contradicat operibus, etsi non verbis.

883.

883. Id verum eſt, etiam dum pœnitens habet pravum peccandi habitum, aut eſt relapſus. *Ibidem.*

884. Quamvis fortè non mereatur fidem, in eo quod dicit ſe non peccaturum ampliùs. . . . meretur fidem in eo quod dicit, ſe habere veram & abſolutam voluntatem non peccandi ampliùs. *Ibidem n.* 9.

885. Cùm conſuetudinarius, vel relapſus, ſciat veram & abſolutam amplius non peccandi voluntatem requiri ut reconcilietur cum Deo, & veniat ad hunc finem, credi debet quòd eum habeat, dum ſeriò dicit ſe eam habere. *Ibidem.* Quæ ratio probat poſt fruſtrata millies promiſſa credendum citò & facilè millies & millies relapſo. Talemque facilè convelli ad brevem Confeſſarii exhortationem. Iſtas namque propoſitiones, ac ſequentes Francolinus ſuperſtruit octingenteſimæ ſeptuageſimæ tertiæ.

886. Confeſſor, quando non habet ſufficientia ſigna doloris, debet interrogare pœnitentem, an ex animo deteſtetur peccatum, cui affirmanti tenetur credere. Quia non debet præſumi dicere falſum. Et in hoc foro reus ſemper meretur fidem. *Ibidem n.* 38. 39. *& ſeqq.* Quæ tam indiſtinctè pronuntiata probant omni peccatori, quamlibet frequenter relapſo, conſuetudinem habenti peccandi contra legem Dei, naturæ & Eccleſiæ, & in occaſione proxima verſanti, credendum, dum ore profert ſe ex animo deteſtari peccata. Videri poteſt Clericus Belga *ubi ſupra* §. 4. Limitanda proinde eſt indiſtincta propoſitio, ut non procedat, dum juſta eſt cauſa credendi, vel ſuſpicandi quòd peccator fallatur, aut fallat.

887. Dolor & propoſitum, quod pœnitens, excitatus brevibus, ſed penetrantibus verbis confeſſarii monentis, increpantis & abſolutionis dilationem minantis, concipere ſe oſtendit, habendus eſt tanquam ſufficiens ad ſacramentum, ſi ſe commotum oſtendat, nec frigidè dicat ſe velle novam vitam inſtituere. Hæc enim ſigna ſunt, ex quibus prudenter judicatur verè dolere, emendationemque proponere. *Francolinus l.* 1. *diſp.* 5. *n.* 44.

888.

888. Igitur is, qui antea habebatur ut indispositus .... jam monitus & increpitus à Confessario, ac se dolere significans, est habendus pro disposito. *Ibidem.* Sufficientis dispositionis signa omnia hisce propositionibus ad sola pœnitentis verba contra scripturam & traditionem redigens.

889 Pœnitentes relapsi, ad confessionem sponte venientes, plerumque saltem conati sunt non relabi. Sunt igitur censendi plerumque bene dispositi. *Ibid. n.* 47. Quasi conatus qualiscumque ad non relabendum sufficiens esset plenæ conversionis signum.

890. Ad absolvendum pœnitentem, ex institutione Christi sufficit probabile de ipsius dispositione judicium. *Ibidem n.* 47. An etiam stante probabiliore judicio in contrarium? Ergone licitum est in sacramentis conferendis sequi opinionem minus probabilem de valore sacramenti, relicta probabiliore ac tutiore? Atqui hoc Innocentius XI. ad minus scandalosum pernicioſumque declaravit.

891. Confessarius sufficienter habet tale judicium probabile, dum pœnitens, aut exercitè ipso modo confitendi, aut signatè dicit se habere talem dolorem ac propositum, nisi sit præsumptio contra ipsum. *Ibidem n.* 38 Solane ergo cujusque pœnitentis authoritas, vel dictum, sufficit ad probabile judicium, dum præsumptio non est contra ipsum? Quæ præsumptio non est, juxta Franeolinum, dum seriò & sincerè loquitur, seque satis dispositum seriò ac sincerè dicit.

892. Dum confessarius deprehendit pœnitentem indispositum, quia v. g. perseverantem in occasione proxima, debet plerumque, ut facilè potest, disponere, moxque absolvere: cùm dilatio absolutionis sit plerumque pœnitenti adeo damnosa. *Ibidem n.* 46.

893 Dum Apostolus dicit, *Oportet semper orare*, canonem non facit, nec dicit *oportet*, quasi omnino necesse sit, sed quia valde expediens est. *Ibidem l.* 2. *disp.* 7. *n.* 2.

894. Dum Responsa Pontificum profert Morinus, in quibus plurium annorum pœnitentiam ab eis aliquando im-

impoſitam conſtat: hujuſmodi Reſponſa eorum Pontificum non ſunt, quos præ ceteris, aut ex antiquitate, aut ex ſanctitate, aut ex doctrina celebramus. *Francolinus l. 2. diſp. 12. n. 6.* Quaſi SS. Pontificum authoritas petenda ſolummodo ſit ex illorum antiquitate, ſanctitate, aut doctrina, & non etiam ex Prærogativa Sedis Apoſtolicæ.

895. Dum nobis objicis SS. Thomam Villanovanum, Borromæum, Xaverium, Salelium, Innocentium XI. unum quæro à te, num hi quatuor aut quinque viri ſancti, ſanctiores, doctioreſque fuerint illis omnibus doctiſſimis & ſanctiſſimis viris, qui vixere ſæculo decimo tertio? *Ibid. diſp. 8. n. 4.* Quaſi hac in re, non meræ diſciplinæ, ſed quæ tota eſt doctrinæ ac morum, eorum, etiam Innocentii XI. habenda non ſit ratio, ſed Doctorum potiùs ſæculi XIII. quos falſò putat iis contraria tradidiſſe.

896. Patres ſemper obtrudere, & ſolos Patres: de Patribus ſemper, & præſertim Auguſtino gloriari, tamquam ſuo indubitabili Duce. . . . ſapit hæreticam gloriationem. *Ibid. diſp. 7. n. 14.* Hæreticamne ergo gloriationem ſapit cum Romanis Pontificibus dicere, quòd Auguſtinum *nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit de libero arbitrio, & gratia Dei: quid Romana . . . . ſequatur Eccleſia, in variis libris B. Auguſtin. . . . poteſt cognoſci.* Utpote *cujus doctrinam Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.* Cujus & INCONCUSSA TUTISSIMAQUE DOGMATA Alexander VII. declaravit?

897. Durior illa quorundam praxis, qua ſæpe nimis pœnitentibus negatur abſolutio, donec peccandi conſuetudinem exuerint, facit magis ad exaſperanda, quàm ſananda vulnera animarum. *Slaughterus in Theſi Anglo-Leodienſi anni 1696. concluſ. 51.* Verum (uti cum triginta aliis Epiſcopis præclarè Illuſtriſſ. Atrebatenſis in ſua Inſtructione ait. „ Si præjudicia quibus illi (Anglo-„ Leodienſes) occupati ſunt, pauliſper ſuſpendere voluc-„ rint, eaque conferre cum regulis Eccleſiæ, cum prin-„ cipiis certis & indubitatis quæ conſtituimus, cum le-

„ gibus

„ gibus quæ in Conciliis, & ſpeciatim in ultimo con-
„ ditæ ſunt; breviter cum SS. Patrum de pœnitentia
„ ſenſu; ac deinde ex his omnibus judicium ſuum for-
„ mare; plane perſuaſum habemus, hanc ipſam diſ-
„ ciplinam ſuaviſſimam ipſis & æquiſſimam viſum
„ iri.

898. Peccandi occaſionibus, praviſque habitibus irretiti, atque exindè in eadem ſæpè flagitia labentes & relabentes, ſi non obſtantibus omnibus quæ Confeſſario dixerunt & promiſerunt, in eadem ſeſe delicta licentioſiùs & flagitioſiùs projecerint, admittendine ſunt ad Sacramentum, & an poſſint abſolvi? Sunt qui tenent abſolutionem ipſis ad tempus differendam. At non ea eſt opinio mea. *Baunus in ſum. c. 46. p. 717. & 718.*

899. Iiſdem conſuetudinariis, ſe de præteritis dolere, & abſtinendi impoſterùm ſibi propoſitum ineſſe affirmantibus, credere debet Sacerdos, dignoſque proindè eſſe abſolutione toties quoties, quantumcunque nulla notetur emendatio, quamvis etiam conjicere ſeu ſupponere liceat, ejuſmodi dicta & promiſſa labiorum potiùs eſſe quàm cordis. *Baunius ibidem.*

900. Adoleſcenti, qui gravia ad confeſſionem peccata affert, maximè verò pollutiones crebras, tactus &c. impartienda eſt abſolutio toties quoties, ſi eum ſincerè præteritæ vitæ pœnitet, ſtatuitque libidini frænos injicere, ac amodò non peccare. (Id eſt ſi hoc ad Confeſſarii pedes affirmet, uti apparebit ex propoſitione ſequenti.) *Baunius Th. Mor. p. 1. tr. de pœnit. q. 15. p. 96.*

CENTURIA DECIMA.

901. ET quidem ſi aliquid operæ ſtudiique ad correctionem præteritæ vitæ attulit, abſolvendum illicò, nec remittendum ad tempus futurum puto. Quid ſi ſæpè admonitus, nihilominùs non ſapit? Quid ſi de emendanda vita promiſſa non fecit? Quid ſi in expurgando animo, tollendaque peccandi conſuetudine non laboravit? Indignum eum eſſe cui ad gratiam aditus

per

per abſolutionem pateat, dixere Ledeſma & Lopez. Vera ſententia, eaque tenenda, habet, ne tunc quidem abſolutionem ei negandam, dummodò dolore neceſſario ſit inſtructus, & ad confeſſionem vitæ melioris conſilium adferat, de quo Sacerdoti, quantum fas eſt homini, ex ſignis, aut ejus ore voceque conſtet. *Baunius ibidem cum Sanchez to.* 1. *Mor. l.* 2. *c.* 32. *n.* 45. Debet enim, inquit, pœnitentibus id de ſe affirmantibus credere. *In ſum. c.* 40. *p.* 717.

902. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat, nec neganda, nec differenda eſt abſolutio, ſi verè eum admiſſorum pœnitet, & emendandi ſeſe propoſitum habeat. *Baunius ibidem tr.* 4. *q.* 22. *pag.* 100.

903. Adhuc poſt nullius emendationis experimentum . . . . abſque voluntate tollendi occaſionem.... poteſt quis abſolvi. *Dicaſtillo tr.* 8. *de pœnit. diſp.* 6. *dub.* 19. *n.* 354.

904. Quoties recidivus dicit ſe verè dolere quòd rurſum offenderit divinam majeſtatem, & proinde ſe promittere ſeriam emendationem, toties abſolvi poteſt, modò Confeſſarius credat illum ſeriò loqui. *Gobat tr.* 7. *n.* 522. cum Leſſio.

905. Non eſt neceſſe quòd Confeſſarius probabiliter judicet futurum, ut pœnitens ſe à peccatis abſtineat. *Filiutius to.* 1. *tr.* 7. *c.* 12.

906. Imò debet ipſum abſolvere, non obſtante peccandi conſuetudine, tametſi certò ſciret ipſum relapſurum. *Dicaſtillo diſp.* 21. *n.* 362.

907. Si concubinarius, ter aut quater confeſſus, in promiſſione ejiciendæ concubinæ defeciſſet, & aliqua, licèt modica, emendatio eſſet inchoata, ut ſi antea qualibet nocte eumdem lectum occuparent, poſt confeſſionem verò tertia tantùm nocte, poſſet abſolvi necdum ejectâ concubinâ. *Paulus Roſmer tr. de Sacram. pœnit. diſp.* 3. *a.* 18. referens Layman.

908. Theologorum doctrina, de abſolutione non deneganda, magis etiam locum habet in iis, qui repetitis

sæpè juramentis, ebrietate, spurcitia, validum horum vitiorum habitum & consuetudinem contraxerunt. Quamvis enim illa consuetudo voluntate contracta, proximæ habeat occasionis locum, quâ ad supradicta peccata propelluntur, sæpè tamen hæc consuetudo voluntaria dici non potest; cùm eam oderint ac deponere optent. *Apologia Casuist. pag.* 49.

909. Jansenistarum sententia, negans absolvendum pœnitentem, quem non credit nec probabiliter judicat executurum mutandæ in melius vitæ propositum, certa est ad desperandum via. Debet ergo pœnitentem Sacerdos absolvere, etiamsi illum in crimina relapsurum sentiat; imò etiamsi de se pœnitens judicet fore, ut in eadem peccata recidat imposterum. *Ibidem p.* 162.

910. A Sacramento pœnitentiæ fideles arcere conatur, qui docet consuetudinarium non absolvendum, quamdiu verisimile est ad eadem peccata rediturum. *Sabranus* in libro cui titulus, *Artes Bajanæ.* pag. 6.

911. Idem de eo dicendum, qui negat ipsum absolvendum quamdiu retinet affectum habitualem ad peccatum secundùm se consideratum. *Idem ibidem.*

912. Fas est, per se loquendo, committere se probabili periculo peccandi mortaliter, etiam sine causâ urgenti. Unde Confessarius negare non debet absolutionem nolenti deserere occasionem, in qua probabile est ipsum peccaturum, probabile etiam non peccaturum, v. g. nolenti deserere frequentationem domus, in qua tentatus aliquoties victus fuit, aliquoties etiam & sæpiùs victor extitit. *Gobat tr. 7. n. 526.*

913. Peccata in confessione inculpabiliter oblita, vel ob justum vitæ periculum omissa, non tenemur in sequenti confessione exprimere. Ita à suo in Theologia magistro edoctum se fuisse fatetur Paulus Rosmer Jesuita, doctor Græcensis, *tr. de Sacram. pœnit. disp.* 3. *n.* 10.

914. Juxta capacitatem personarum, & lapsum temporis, nisi Confessarius adjuturus sit, examen à pœnitente confessioni præmitti debet, quale in negotio gravi à viro prudenti adhiberi solet; non extraordinarium, qua-

quale sit in re gravi, divitias & honorem concernente. *Ludovicus de Scildere in Synopsi de qua suprà* §. 60.

915. Caret proposito sufficienti, qui deserere non vult occasionem, in qua ferè semper peccat, in eo periculo peccatum diligens, nisi.... valde grave malum incurrendum sit. *Ibid.* §. 55.

916. Religiosus, qui in itinere in casum incidit reservatum, licèt à Superiore suo non habeat facultatem confitendi alteri, si tamen confiteatur Religioso alterius Ordinis casum reservatum, & cum eo veniale aliquid, ab isto Religioso validè absolvitur directè à veniali, indirectè à reservato. Quia quivis Sacerdos potest quemvis absolvere à venialibus. *Gobat n.* 359.

917. Si reus peccati reservati non habeat copiam Confessarii habentis potestatem in reservata, potest confiteri aliquod veniale alteri Sacerdoti approbato, ab eoque indirectè absolvi à reservato; non solùm in casu necessitatis confitendi aut communicandi, sed etiam in casu quo alioquin oporteret diu carere confessione & communione. *Gobat n.* 381. & 382. cum Palao & aliis.

918. Probabile est quòd quando sine magno probro nequit omitti communio, nec convenire superior, casus aliàs reservatus, esse desinit reservatus. *Dicastillo disp.* 11. *dub.* 16. *n.* 306. & *seqq.*

919. Tunc proinde inferior ab eo directè absolvere potest, absque onere sistendi se superiori ad casum illum rursum confitendum. *Ibidem.*

920. Si Confessarius dubitet, an casus ipsi expositus sit reservatus, ne dubitet ab eo pœnitentem absolvere. *Gobat n.* 386.

921. Ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi sit vincibilis, excusat à reservatione. *Quintanaduennas tr.* 3. *singul.* 11.

922. Si Confessarius, expositus in loco peregrinationibus celebri, audiat pœnitentem exponentem sibi casum reservatum, in quem non habet potestatem, non dimittat equidem pœnitentem inabsolutum, dicendo se

carere potestate absolvendi, si prævideat pœnitentem non crediturum ex ignorantia invincibili, eò quòd sibi persuadere non poterit, sacerdotem expositum in loco, ad quem sit tantus affluxus ad exonerandas conscientias, carere potestate. *Gobat n.* 390.

923. Si quis simplex sacerdos, v.g. capellanus alicujus Colonelli, se in Castris gerat pro approbato, vel pro habente jurisdictionem ab Episcopo, cùm tamen neque validè, neque invalidè unquam fuerit approbatus, aut munitus potestate audiendi Confessiones; valebunt juxta Pontium ipsius absolutiones, quas militibus istius legionis impartietur, nec milites tenebuntur repetere Confessiones ipsi factas, modò in ea legione vulgò credatur legitimus Confessarius. *Gobat n.* 109.

924. Religiosus confitens uni ex domesticis, quem falsò putat præditum potestate absolvendi, valide ab ipso absolvitur, si alii plures exemplum ipsius per similem errorem sequantur. *Gobat n.* 627.

925. Probabiliter validæ sunt absolutiones datæ à simplici sacerdote, quem error communis existimat Parochum, seu aliàs approbatum, sed nequidem habet titulum coloratum. *Tamburinus de pœnit. l. 5. c. 4. §. 7. n.* 17.

926. Ut Confessarius Regularis secularium confessiones excipere queat, sufficit ipsi approbatio legitimè data à quocumque Episcopo; quæ si ab uno solo data fuerit absque limitatione loci & personarum, sufficit ad excipiendas validè confessiones in toto mundo, quamdiu expressè non repugnant Ordinarii locorum. *Henriquez l. 6. c. 6. & l. 7. c.* 12, *n.* 4. *Baunius & Ditastillus apud Gobat tr. 7. n.* 58.

927. Per Decretum Alexandri VII. non videtur improbatus usus, variis in Diœcesibus receptus & permanens, ut nimirum Religiosi Mendicantes, approbati ab uno Episcopo, censeantur tacitè approbati ab aliis, ad quorum Diœceses mittuntur, quamdiu hi non repugnant. *Gobat ibidem.*

928. Regulares possunt & non possunt in foro conscientiæ, uti suis privilegiis, quæ sunt expressè per Tri-

Tridentinum revocata. *Escobar Th. Mor. l. 6. probl. 16.*

929. Sufficit & non sufficit petere approbationem, ut Regularis, si injustè ei denegetur, censeatur jure approbatus. *Idem l. 7. probl. 30.*

930. Quamdiu Episcopus non prohibet suis Parochis aut superioribus Religiosorum ne Sacerdotes alibi approbatos, ad audiendas in sua Diœcesi confessiones exponant, hi validè ad id assumuntur: eò quòd habeant omnes conditiones à Tridentino requisitas. *Gobat n.* 59. referens Coninck, à nemine, inquit, quantum memini, improbatum.

931. Confessarius approbatus ab Episcopo Atrebatensi, potest in alia Diœcesi, v. g. Mechlinienſi, Atrebatenses audire absque approbatione Episcopi loci ubi confessiones audit. *Sanchez & Henriquez apud Dianam p. 2. tr. 4. resol. 144. Suarez disp. 28. sect. 7. n. 3. Dicastillo disp. 10.*

932. Approbatio debet necessariò esse ab Episcopo Confessarii, non autem ab Episcopo ipsius Diœcesis in qua fit confessio. *Sanderus Anglo-Leodiensis in Thesi anni 1688. conclus. 49.* Idem in Collegio Ambianensi tradiderat P. Timbrieux propos. 5. inter undecim quas docuerat de *approbatione & jurisdictione.* Sed urgente Episcopo P. L. Labbe, Collegii Rector, omnes propositiones illas rejecit, easdemque P. Timbrieux revocavit die 6. Augusti 1696 Cumque haud multò post editum esset folium, quo undecim propositiones illæ propugnabantur, dicebaturque Professor ille non revocasse nisi coactus; folium istud Illustrissimus Ambianensis die 9. Aprilis 1697. cum propositionibus in eo contentis, solemniter condemnavit.

933. Mendicantes petitâ & non obtentâ licentiâ, sunt idonei ministri Sacramenti pœnitentiæ. *P. Poignant disp. 4. de Sacram. pœnit. art.... de ejus ministro.*

934. Sacerdos ad absolvendum utens jurisdictione minus probabili, non peccat. *Sanchez l. 1. in Decal. c. 9.*

935. Actus satisfactionis sacramentalis, ex fine mortaliter pravo elicitus, valet ad implendum Confessarii præceptum de satisfactione, dummodò ponatur substantia actus præcepti. *Amicus to.* 8. *disp.* 16. *dub.* 14. *n.* 37.

936. Pœnitentia sacramentalis, si levis sit, licèt pro peccatis gravibus, non obligat ex probabili opinione. *Tamburinus l.* 3. *in Decal. c.* 7. § 5. *n.* 1.

937. Si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, paratus in purgatorio satisfacere, non ex hoc præcisè censendus esset indispositus, nec sine absolutione dimittendus. Quia opinio quæ docet pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, etiam post Tridentinum, videtur probabilis. Quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem, quam doctissimi viri sequebantur, citati à P. Sanctarel. *Tamburinus exped. confess. l.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 7.

938. An possit per alium impleri pœnitentia? Posse asserit Suarius, modò adsit justa causa. *Escobar tr.* 7. *exam.* 4. *n.* 182.

939. Peccator potest, sine violatione justitiæ, imò & sine violatione charitatis, satisfactionem differre in alteram vitam. *Filiutius to.* 1. *tr.* 6. *c.* 9.

940. Non peccat Confessarius nullam imponendo pœnitentiam, dum pœnitens mox lucraturus est indulgentiam plenariam. *Gobat tr.* 7. *n.* 744.

941. Tempore Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariæ, pœnitens non tenetur admittere nisi leviorem pœnitentiam, quæ se habeat per modum medicinæ. *Layman l.* 5. *tr.* 6. *c.* 15.

942. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam pœnitentiam imponat; excusari tamen eum posse putat Baunius apud Dianam *p.* 6. *tr.* 7. *ref.* 5. *& p.* 9. *tr.* 9. *ref.* 54. Si addat illud, *Quidquid boni feceris &c.*

943. Pœnitentia sacramentalis differri potest per annum, hæc est quamdiu pœnitens accedere non tenetur ad novum Sacramentum pœnitentiæ. *Amicus apud Dianam p.* 9. *tr.* 7. *ref.* 17.

944

944. Quanta pœnitentia videtur proportionata pro uno mortali ordinario? Reſpondeo juſtam ſatis pœnitentiam eſſe v. g. Coronam quinque Decadum. *Arſdekin Th. trip. p. 2. tr. 3. c. 8.*

945. Confeſſarius ex ſola confeſſione ſacramentali ſubditi peccata cognoſcens, poteſt ex vi iſtius cognitionis amovere ipſum ab officio ad nutum amovibili. *Vaſquez in 3. p. q. 93. a. 4. d. 8. n. 5.*

946. Poteſt etiam ex ſola ſacramentali notitia negare illi ſuffragium. *Guimenius pag. 210* Et probabile eſſe dicit Buſenbaum *lib. 6. tr. 4. c. 3. dub. 1. n. 4.* poſt Vaſquez, Henriquez &c.

947. Si pœnitens abſque neceſſitate manifeſtavit complicem in confeſſione, non tenetur Confeſſor ſub ſigillo confeſſionis peccatum complicis occultare, & ſic pro bono communi eſt manifeſtandum. *Idem pag. 212.*

De Sacramentis Ordinis & Matrimonii.

948. QUi ſuſcipit clericalem Tonſuram tantùm ideo, ut declinet tribunal ſæculare, ne venialiter quidem delinquit. *Gobat tr. 8. n. 27.*

949. Idem eſt de eo qui minores ordines ſuſcipit cum ſolâ intentione fruendi aliquamdiu privilegiis Clericorum, atque adeo ſine animo Clericandi. *Gobat eodem n. 27. & 28.* cum Sanchez, Coninck, Layman, Palao. Contra quos præclarè Illuſtriſſimus, nunc Eminentiſſimus Ludovicus de Noailles, Archipræſul Pariſienſis, & S. R. E. Cardinalis in ſua Conſtitutione de 1. Octob. 1696. *Quid*, inquit, *Deo injurioſius, quàm ut profiteantur Deum hæreditatem ſuam, qui bona duntaxat temporalia quærunt?*

950. Probabilis eſt opinio dicens, mane ordinari poſſe Diaconum, qui ſolùm veſperi completurus eſt annum ætatis vigeſimum tertium. *Gobat n. 521. & 523.* aiens quòd opinionem illam Eſcobar *Th. mor. l. 23. problem. 56.* expreſſè amplectitur. Tum quia parum

quod deest pro nihilo reputatur. Tum quia vespera illius diei ad mane retrotrahitur.

951. Nicephorus natus annos viginti tres, & dies viginti novem potuit promoveri ad Presbyteratum. Quia ipsi supererant quatuor dies bissextiles, qui additi illis viginti novem, non solùm complebant annum vigesimum quartum, sed faciebant ut ordinandus præterea attingeret vigesimum quintum per duos dies. *Pellizarius in Manuali Regul. tr.* 8. *c.* 2. *n.* 170. Sed in contrarium est communis Ecclesiæ sensus & usus, secundùm quem nihil unquam auditum fuit de ea supputatione dierum bissextilium.

952. Non est omninò certum, ætatem necessariam ad sacros Ordines suscipiendos computandam à die nativitatis, unde à Censuris abstinendum adversus opinionem Auctorum, qui eam computandam docent à die conceptionis. *Guimenius tr. de Sacram. quæst.* 12.

953. A suspensione proinde per Pium II. imposita eximuntur illi qui eam opinionem secuti, ante præscriptos annos (à die nativitatis computatos) sacris Ordinibus initiati fuerint. *Ibidem.*

954 Cùm sit quidem probabilissimum, non tamen certum, omnes in Sacris existentes castitate esse obstrictos ex voto, sitque probabile solùm obstrictos esse ex Ecclesiæ mandato, quæ probabilissimè nequit directè præcipere, nec vetare actus purè internos, qualis est delectatio morosa venerea. Hinc Sacerdos (idem est de Diacono & Subdiacono) istis delectatus, sufficienter confitebitur; dicens: *Toties habui delectationes morosas venereas*, esto non explicet se esse in Sacris. *Gobat tr.* 9. *n.* 272. *&* 273.

955. P. Alcazar in Sacerdotem ordinatus ab Episcopo, formam ordinationis pronuntiante post materiam correctam, non tenetur, spectatis omnibus principiis, petere aliam ordinationem Poterat tamen bona conscientia, ob authoritatem Cajetani, Paludani, Navarri, & Sylvestri, asserentium necessariam in ordinatione presbyteri coexistentiam materiæ & formæ, ad certum illius va-

lo-

lorem. *Gobat tr.* 8. *n.* 209. 210. Qui tamen *n.* 211. fatetur reiterationem esse non posse probabiliter licitam, nisi probabilis sit nullitas prioris ordinationis. Quæ si fuerit probabiliter nulla, certò est iteranda.

956. Licèt necessariò supplendus sit, per se loquendo, in Sacerdotio & Episcopatu defectus substantialis probabiliter commissus; necessariò tamen supplendus non est defectus, quem aliqua sententia probabiliter negat esse necessariò supplendum; esto alia fortè probabilior pronuntiet sub mortali esse emendandum. *Gobat ibidem n.* 197.

957. Irregularitas statuta in abscindentes vel sibi abscindi facientes membrum aliquod, non infligitur nisi iis qui id faciunt, vel ex indignatione, vel ex zelo indiscreto castitatis. Eam proinde non incurrit, qui se castrari permisit ad conservandam vocis suavitatem. *Gobat n.* 690.

958. Censuram non incurrit, ignorans eam annexam peccato suo. *Gobat tr.* 8. *n.* 704.

959. Qui cum voto absoluto castitatis matrimonium contraxit, ubi semel consummavit; potest deinceps petere debitum, voto non obstante. *Sa verbo*, debitum conjugale *edit.* 1.

960. Mulier quæ nupsit, edito voto abstinendi primo triduo à copula conjugali ad honorem Dei, & feliciorem successum matrimonii, si absolutè resolvit in matrimonio permanere, non habet justam causam prima nocte negandi debitum. Illud proinde absque ulla culpa reddere potest. *Gobat tr.* 10. *n.* 629.

961. Dicta mulier nonnisi probabiliter obligata fuit negare debitum illo primo triduo voti sui. *Idem n.* 688.

962. Practicè judicandum est pro valore matrimonii bona fide initi, in dubio de valore, licèt probabilissimum sit non valere; ideóque relinquendum est in suo esse, seu possunt debentque perinde institui omnes actiones pendentes à valore, ac si liquidò sciretur esse validum *Gobat tr.* 10. *n.* 742.

963. Similiter in suo esse relinquendum est matrimo-

nium, initum cum impedimento, quod probabilis opinio doctorum dicebat non subesse, etiam postquam Pontifex declaravit subesse, & Doctores illos erraſſe. *Gobat n.* 744.

964. Dubitans an laboret aliquo impedimento dirimente, ſi poſt diligentem inquiſitionem veritatis nequeat hanc reperire, licitè ſibi junget uxorem. Ipſi quippe favet poſſeſſio. *Gobat tr. 9. n. 62.* cum utroque Sanchez, Tamburino & Caramuele.

965. Exploratum eſt multas eſſe provincias hæreticas, quarum maxima pars ignorant proximè inculpabiliter pleraque impedimenta matrimonii. Partim quia nihil de iis auditione perceperunt. Partim quia aliquid quidem audiunt, aut legunt, ſed per inculpabilem errorem judicant eſſe ridenda potius quàm attendenda..... ut proinde non ambigam, quin permultæ urbes, parochiæ, provinciæ celebrent nuptias cum uno quidem ex illis impedimentis; at cum nullo peccato..... Sicut etiam nos Germani perſpectum habemus, multò maximam partem Lutheranorum eſſe tantùm materialiter hæreticam. *Gobat n.* 37.

966. Non peccant mortaliter, qui in urbibus aut pagis mixtæ Religionis matrimonium contrahunt cum hæreticis. *Azor. p. 1. l. 8. c. 11. Sanchez l. 7. diſp. 72.*

967. Votum perpetuæ caſtitatis factum à Cordulâ, ſi precibus Deiparæ compos fieret certæ gratiæ, poſtquam iſtius gratiæ compos facta eſt, non eſt votum reſervatum, ſed diſpenſabile ab Epiſcopo, commutabileque à Religioſo privilegiato. *Gobat n. 96. & 100.*

968. Decretum Tridentini contra raptores, non ſe extendit ad feminam: loquitur enim de raptore, non de raptrice. *Dicaſtillo tr. 10. de matrim. diſp. 7. dub. 58. n. 660.*

969. Si conjux putet probabiliùs priorem virum adhuc vivere, probabiliter verò mortuum eſſe, poteſt petere & reddere debitum ſecundo viro. *Idem diſp. 8. dub. 14. n. 174.*

970. Imò probabile eſt tunc poſſe debitum & petere & negare, petere accommodando ſe opinioni de valore;

re; negare ſequendo opinionem de nullitate poſterioris matrimonii. *Ibidem n.* 175.

971. Præceptum de denuntiationibus non obligat quando ex illius obſervatione probabilis eſt ſuſpicio notabilis damni ſecututi. Quo proindè caſu nulla requiritur diſpenſatio, etiamſi Ordinarius commodè adiri poſſit, & paratus ſit diſpenſare. *Idem diſp.* 3. *dub.* 27. *n.* 282.

972. Ludoviſia Catholica, quæ nupſit Iſaaco Calviniano, ab ipſo ob adulterium repudiata, ſi, poſtquam Iſaacus alteram ipſi ſuperinduxit, ipſa ad alteras nuptias cum Catholico (vivente Iſaaco) tranſierit, licèt probabiliùs invalidè tranſierit, non eſt tamen ipſi propterea neceſſariò movendus ſcrupulus. Quia certum non eſt, quòd invalidæ ſint ſecundæ iſtæ nuptiæ. *Gobat n.* 241. & 242.

973. Ut mulier licitè tranſeat ad ſecunda vota, non eſt neceſſaria certitudo moralis, ſed ſufficit veriſimilis præſumptio de morte prioris Conjugis. *Gobat n.* 242. cum Layman & Sanchez.

974. Cajus in longinquum profectus; Stichus prælium ingreſſus; Titius jam ſenex, non amplius comparent. Et fama eſt obiiſſe. Habetur ſufficiens notitia de morte ipſorum, in ordine ad ſecundum matrimonium. *Tamerus diſp.* 8. *q.* 4. *dub.* 6. *n.* 108. cum Valentia.

975. Titius, in amentiam & furorem actus, aliquoties ſibi necem inferre tentavit. Propterea vinculis conſtrictus, effugit. Diligenter quæſitus, poſt octo vel duodecim annos nulla ratione ſciri potuit quo devenerit. Valde probabile eſt quòd uxor ipſius, in tali caſu, nihil peccaret, ſi, nemine ſe opponente, ad ſecundas nuptias tranſiret. *Layman l.* 5. *tr* 10. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 2. Cujus opinionem licitè practicabilem cenſet Gobat *n.* 269.

976. Ante quidem reſpondi, Titium, ſine diſpenſatione, ducere poſſe ſororem minorem Cajæ, cum qua priùs ſponſalia contraxerat, mutuo poſtmodum conſenſu diſſoluta. Jam tamen nequaquam ità reſponderem,

post visam in contrarium Papæ, & S. Congregationis Declarationem. Nonne ergo jam moveri potest prudens scrupulus de valore sui matrimonii, iis qui, secuti judicium magnorum Virorum, nuptias celebrarunt cum sorore prioris Sponsæ? Respondeo, minimè gentium *Gobat n.* 376. & 377.

977. Legitimum est matrimonium, sine Parocho & testibus contractum in loco, ubi Tridentinum non est promulgatum, à duobus domicilium habentibus in loco, ubi promulgatum est, qui ad alium illum locum, domicilio non mutato, sese contulerunt solo animo ibi matrimonium sine Parocho & testibus contrahendi. *Sanchez l.* 3. *disp.* 28.

978 Cum Susanna hæretica matrimonium contraxisset cum Tobia pariter hæretico, illudque consummasset; & hic, patrato aliquo delicto; metu pœnæ confugisset ad vicinum locum Catholicum, ibique Catholicam amplexus esset religionem: Susanna à Consistorio Prædicantium impetravit jus divortii, transitûsque ad secundas nuptias. Hoc audito Tobias ad secundas etiam nuptias cum Catholica transivit, permittente loci Parocho, qui consuluerat viros Doctos. De quo accusatus à vicinis, eo quòd prima uxor adhuc viveret: ego rogatus sententiam, judicavi ipsum posse à judice relinqui in secundo matrimonio; tametsi nullum allegatum, nec probatum legatur impedimentum, ob quod prius matrimonium nullum fuerit. *Gobat tr.* 10. *n.* 695. *& seqq.*

979. Non incurrit pœnam privationis juris petendi debitum, qui commisit incestum cum cognata suæ conjugis in primo vel secundo gradu, si ignoravit id ab Ecclesia vetitum sub pœna istius privationis. *Gobat ibidem n.* 603. cum Sanchez, Palao, & Quintanaduennas.

980. Probabilis & tuta in praxi est opinio dicens, pœnam illam non incurri tamdiu, quamdiu incestus ille est occultus, & incognitus conjugi. *Gobat ibidem.*

981. Eunuchi, qui tales evaserunt post contractum matrimonium, petere possunt debitum, si possint pe-

ne-

netrare vas, licèt immittere non possint semen prolificum. *Gobat n.* 606. cum Sanchez.

982. Poligonus ob multitudinem prolium, & periculum ex frequenti partu uxoris, in conjugale actu semen suum retinere laborans, ad impediendam generationem, probabiliter non delinquit. *Gobat n.* 597.

983. Postquam vir à copula conjugali se retraxit, uxor, quæ in ipso actu non seminavit, tactibus se excitare potest ad seminandum. *Sanchez l.* 9. *de matrim. disp.* 17. *n.* 12.

984. Petere debitum ab uxore menstruata non est mortale, quamvis conjuges credant inde monstrum generandum. *Gobat n.* 595. cum Sanchez, *viro*, inquit, *planè virgineo*.

985. Uxor statim post copulam se invertens, ut semen emittat, ne concipiat, peccatum mortale non admittit, si aliqua causa rationabilis excuset, v. g. labor magnus in partu, vel magnum detrimentum in semine retinendo *Fagundez in Decal. to.* 2. *l.* 6. *c.* 3 *n.* 50.

986. Culpanda non est pudicissima virgo, per vim oppressa, si semen ejiciat immediatè ut est receptum, ne gravida efficiatur. *Sanchez l.* 7. *de matrim. disp.* 22. *n.* 17. *Gobat n.* 46. Hoc ipsi fas non est paulo post. Ergo &c.

987. Radegundis maritata, juvenis, jovialis ingenii & calidi, maritum habet septuagenarium, qui, videns eam stimulis agitari, & jam non potens aliter, rem agit tactibus. Sed inde Radegundis polluitur semel, bis, ter. Non ideo tamen conjuges isti peccant mortaliter illis tactibus, si fiant ad testandum mutuum amorem. *Gobat n.* 668. *&* 669.

988. A mortali excusantur in conjuge libidinosi tactus proprii corporis, absente conjuge, absente periculo pollutionis. *Palao p.* 2. *disp.* 2. *tr.* 2. *puncto* 10. §. 2. cum Sanchez & Perez.

Propoſitiones Miſcellaneæ.

989. INnocentius XI. propoſitiones vigeſimam ſextam & vigeſimam ſeptimam damnavit, intellectas de reſtrictione purè mentali non de reſtrictione non purè mentali. *Joannes Bapt. Taverne Theol. p. 1. tr. 5. c. 11. q. 6. & Jacobus Gordonus in dictatis traditis Duaci in Collegio Aquicinctino.*

990. Innocentius XI. propoſitionem vigeſimam ſeptimam non damnavit intellectam de reſtrictionibus mentalibus neceſſariis ad defenſionem vitæ, honoris, bonorum, vel neceſſariis ad exercitium alicujus virtutis, ſed intellectam de reſtrictionibus mentalibus non neceſſariis, ſed ſolùm utilibus. *Gordonus ibidem*, Illuſtriſſimo, D. Epiſcopo Atrebatenſi propterea denuntiatus.

991. Si delinquens non eſt in periculo relapſus, ſed tantùm diutiùs remanſurus in ſuo peccato mortali habituali, ſi non corrigam, ex hoc non teneor ad correctionem, ſicut nec ipſe tenetur hìc & nunc ſe corrigere, cùm tamen poſſit. *Joan. Bapt. Taverne tr. 6. c. 5. q. 1.*

992. Nec refert quòd proximus in tali caſu ſit in gravi miſeria, nempe in peccato mortali habituali. Quia non ideò eſt in gravi indigentia ſpirituali, cùm nec ipſe velit, nec teneatur ab ea ſe miſeria liberare. *Idem ibidem.*

993. Non poteſt pater compellere filium, ut ſibi miniſtret, nec ut ſecum habitet. *Simon de Leſſau de 4. præcep. Decal. a. 3.*

994. Beneficiarius omittens Officium, non tenetur ad reſtitutionem ex lege juſtitiæ. Quia jus fundatorum cumulatiſſimè compenſatur vel unicâ recitatione orationis Dominicæ. Cùm ejuſmodi recitatio nullo pretio compenſari poſſit. *Idem de præc. Decal. ſect. 5. a 12.*

995. Quia receptiſſima opinio fert Confeſſarium teneri accommodare ſe opinioni probabili pœnitentis, idcirco Confeſſarius non tantùm licitè poteſt, ſed etiam te-

tenetur omittere injunctionem pœnitentiæ vindicativæ, quando pœnitens id petit ob indulgentiam à se paulò ante probabiliter obtentam, vel probabiliter mox obtinendam. *Gobat to.* 3. *tr.* 4. *c.* 39. *n.* 719.

996. Probabile est pœnitentem non teneri tempore indulgentiæ plenariæ, quam lucrari decrevit, ullam etiam medicinalem pœnitentiam (nisi illam quam fortè ipsum jus naturæ citra omne Confessarii præceptum præscribit) admittere. . . . . ea ratione quòd Confessarius non possit imponere pœnitentiam, nisi ut pœnam ad satisfaciendum pro peccato. Ergo sublato debito pœnæ, non potest ne medicinalem quidem imperare, sed tantùm vel suadere, vel obligationem naturalem, si quæ est, declarare. *Gobat. ibidem tr.* 3. *c.* 25. *n.* 74.

997. Si pœnitenti supersint ex alia priore confessione graves pœnitentiæ, potest Confessarius, etiam extra confessionem, & non auditis prioribus peccatis, propter indulgentiam plenariam mox obtinendam remittere; quandò quidem ipsemet pœnitens posset propria authoritate, post obtentam illam indulgentiam, omittere totam pœnitentiam.

998. Præceptum correctionis fraternæ (secundùm ordinem à Christo præscriptum) inutile est, fomentum malorum, justitiæ exequendæ impedimentum, pessimorumque hominum ad peccandum velamen ac prætextus. *Salmeron to.* 4. *in Evangelic. hist. p.* 3. *tr.* 10. *edit. Colon. anni* 1602. *pag.* 473.

999. In quæstionibus ad mores pertinentibus non tam ex Patribus, quàm ex lumine naturæ & ratione respondemus. *Francolinus in Clerico Romano l.* 2. *disp.* 7. *n.* 25.

1000. Cyprianus fuit inter Rigoristas, quibus visa fuit pœnitentia sera, pœnitentia nulla. *Idem l.* 1. *in præfat. ad Cleric. Rom. pag.* 3. *& ibidem disp.* 3.

1001. Sententiis spiritu vehementiori prolatis abundant Patres, præsertim Augustinus. *Idem l.* 2. *disp.* 7. *n.* 21.

1002. D. Augustinus, in bello quod Pelagianis intulit,

lit, in extrema periculosa declinavit. *P. Adam Jesuita in lib. cui titulus :* Calvinus suismet & D. Augustini armis profligatus *c.* 7. In explicanda gratia & prædestinatione excessit modum. *Ibid. c.* 8. Dum aliquos errores oppugnat, aliqua dicit extremo opposito in speciem faventia. *Robertus Stephani in iis quæ dictavit in Seminario Leodiensi disp. 2. sect. 2. subsect. 7.* Qui & *sect. 10. subsect. 6.* imitatus eundem P. Adam (absque pudore dicentem non solùm Augustinum, sed & *S. Paulum in epistolis suis naturali ingenii fervore abreptum. . . arma subministrasse Calvino ad hæresis suæ defensionem*) ipse etiam dictitare ausus fuit, quòd *Si S. Augustinus clariùs locutus fuisset, tam perniciosis erroribus occasionem non præbuisset. Imo. . . . dici potest Scripturam* (adeóque Spiritum Sanctum) *potuisse veritates Catholicas clariùs exprimendo, plurimorum perniciem impedire.* Quasi ipse Spiritum Sanctum edocere potuisset veritates catholicas clariùs exprimere, ad impediendam plurimorum perniciem.

1003. Cùm Confessarius audit confessionem hominis in extremo positi. . . non curet de proposito non peccandi in posterum, sed solùm ut doleat de ante actis peccatis. Difficile est enim ab hujusmodi hominibus in peccatis enutritis, verum de cetero non peccandi propositum capere... Sicut enim periculosum est hominibus rebus humanis affectis, & honori deditis, petere propositum non vindicandi illatam ipsis injuriam : ita propositum non peccandi, si vita duraret, ab his qui ad peccandum proclives fuerunt . . . qui quidem, si scirent duraturam vitam, nec confiterentur, nec mores mutarent. *Petrus Michael de Sauroman, Expedit. Spirit. Soc. Jesu l. 3. c. 7. p. 78.*

1004. Certum est fideles non debere confiteri *scienter* se peccasse, *nisi ex scrupulo valde* culpabili. *Baunius tr. 4. de pœnit. q. 15.*

1005. Dum à Papa indicitur eleemosyna ad indulgentiæ lucrationem, sufficit quælibet, *sufficit obolus. Escobar tr. 7. exam. 5. §. 8.*

1006. Eorum qui aiunt peccatores nonnullos ita deseri à Deo, ut ab interiore illius luce penitùs secludantur, & priventur omni motu, non una est opinio. Alii enim

enim errant, dum asserunt, peccatori planè obcæcato & indurato peccata nihilominùs imputari. Alii tolerabiliùs sentiunt, dum negant. *Germanus Bechefer in Thesi propugnata in Collegio Parisiensi Soc. Jesu die* 14. *Decembris* 1699 *positione* 8.

Quæ tantam offensionem susciţavit, ut ab Illustrissimo D. Archiepiscopo Parisiensi anno 1700. jussus fuerit seu retractare, seu rigorosum quem præ se ferebat sensum in meliorem emollire, prout fecit 3. aprilis ejusdem anni.

1007. Error est dicere, Christianis omnibus esse præceptum, omnes actus suos referre in Deum propter se dilectum. *Apologia Casuistarum pag.* 165. *Arsdekin Th. trip, p.* 2. *c.* 3. §. 2.

1008. Condemnatus est Bajus, qui docuit quòd amor Dei propter se super omnia possit esse sine remissione peccatorum. *Sabranus; Art. Bajan p.* 15.

1009. Item damnatus fuit, quia tenuit, quòd peccet omnis homo, quando non refert in Deum actionem aliquam ex nullo alio respectu peccantem, licèt ad Deum naturâ suâ sit referibilis. *Ibid.*

1010. Item damnatus fuit in eo quod dixit, ex cupiditate fieri, quidquid non fit ex charitate, sumpta pro dilectione Dei propter se. *Ibidem.*

1011. Christiana Sacramenta reducit ad vacuam & egenam conditionem Judaicorum, qui dicit, quòd Sacramentum mortuorum justificare non valeat sine fide per charitatem actualem, seu Dei propter se dilectionem operante. *Sabranus ibid.*

1012. Propositionem quæ asserit, esse veniale peccatum, si Deus non est finis ultimus certæ actionis, dum est finis ultimus agentis, sive hominis, falsissimam judicamus. *Idem ibidem pag.* 21.

1013. Improbamus. . . . quòd sub gravi obligatione deleat Deus esse finis ultimus agentis de jure & de facto, ut ad eum saltem pleraque referantur, quique amore sic prædominante ametur. *Sabranus in Thesi defensa* 20 *Aprilis* 1682.

Quasi verò Deus sub gravi obligatione esse non debeat

beat finis ultimus vitæ & cordis, cui præ cæteris vivitur, quique amore ceteris amoribus fortiore diligitur, in quem præcipuè vita & cor hominis tendit &c.

1014. Facilius est Sanctum efficere, quàm pauperi satisfacere, Deo obedire quàm medico; Christianissimi implere officia, quàm naturæ debita. *Pater le Moine in libro de facili devotione pag.* 244.

1015. Observantia divini amoris, efficientis Sanctos, naturalis est, soloque ad eum opus est instinctu. *Ibidem pag.* 246.

1016. Æque naturalis ac facilis est cultus exhibitus cœlorum elementorumque Creatori, quàm honor exhibitus Principibus & Magistratibus &c. *Ibidem pag.* 247. *&* 248.

1017. Nihil difficile exigit vera devotio, nullumque imponit onus nisi ex obligationibus communibus & naturalibus derivatum. *Ibidem pag.* 33.

1018. Noluit Deus vitam bonam majori nobis pretio constare, quàm vitam; nec gratiam minus indulgentem esse, quàm naturam. *Ibidem pag.* 241.

1019. Luxus, delicias ac voluptates non turpes devotio compatitur, sæculi ornatum juventuti natura permittit, lex nulla prohibet; necesse non est persequi carnem suam. *Ibidem pag.* 113. 119. 124. 139. 161. 194. 264. 265. 283.

1020. Constitutiones Pontificiæ adversus quinque propositiones, sunt generalis approbatio doctrinæ Casuistarum. *Apologia Casuistarum pagina plusquam una.*

Hisce accedunt sequentes quatuor propositiones, quas Jesuitæ apud Sinas dicto scriptoque evulgarunt, *falsoque, temerè & scandalosè* dictas, scriptasve, D. Maigrot, Vicarius Apostolicus Fokiensis, nunc Episcopus Cononensis, declaravit, atque ut tales prohibuit.

1021. Philosophia, quam Sinæ profitentur, si benè intelligatur, nihil habet legi Christianæ contrarium.

1022. Nomine *Tay Kie* Sapientissimi Prisci Deum causam primam rerum omnium definire voluerunt.

1023. Cultus, quem Confucius Spiritibus adhibuit, civilis potiùs quàm religiosus fuit.

1024

1024. Liber quem Sinæ *Ie King* appellant, ſumma eſt optimæ doctrinæ, phyſicæ & moralis.

Accedunt & ſequentes aliæ, à S. Romana Inquiſitione, S. D. N. Clemente XI. approbante & confirmante prohibitæ.

1025. Licèt affirmare Sinas nominibus *Tien*, & *Xang-Ti* intelligere Deum, quem Chriſtiani colunt.

1026. Permitti poteſt appendi in Eccleſiis Chriſtianorum Tabellam inſcriptam *King Tien*, Cœlum colito.

1027. Superſtitione imbuta non ſunt ſolemnia quæ ſemel & iterum ſingulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri ſolent ſacrificia, ſeu Oblationes, Chriſtianiſque permitti poteſt iis præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe.

1028. Chriſtianis permitti poteſt, Tabellas Progenitorum, juxta Sinenſium morem in privatis domibus retinere, cum inſcriptione *Xin Chũ*, *Xin Goei*, *King Goei*, id eſt: Thronus, ſeu Sedes Spiritus, ſeu Animæ N. Defuncti, adeóque qua Spiritum defuncti ibidem aliquando ſiſti, vel reſidere ſignificetur.

§. SEPTIMUS.

Superiorum Propoſitionum Denuntiatio.

OMnes propoſitiones illas Sanctitati tuæ denuntiamus, Beatiſſime Pater, ut decernat & judicet, ſitne ſalutaris doctrina quam contineant? Sitne Chriſtiana, ſive ad formandos hominis Chriſtiani mores idonea? Sitne Prophetica, Evangelica, Apoſtolica? Sitne denique ſecura ſalutis via, ita ut qui eam ſecuti fuerint, *rectà tendant ad Superos*, prout Eſcobarius dicit in procemio Theologiæ ſuæ moralis? Hoc utique ſcire tanti eſt momenti, ut inde innumerabilium ſalus dependeat animarum, cùm doctrinam illam Jeſuitæ ſpargant per orbem univerſum, dum ſuos ſpargunt Sanchezios, Baunios, Palaos, Dicaſtillos, Eſcobarios, Tamburinos, Gobatios, Caſuiſtarum Apologiſtas, alioſque

liosque paris laxitatis Jesuiticos scriptores, quos ipsi quaquaversum præconizant, velut Auctores optimos, graviſſimos, eruditiſſimos, Moralis Theologiæ lumina, &c.

Decernet, inquam, Sanctitas tua, an non propoſitiones illæ ab omni æquitatis pietatiſque ſenſu adeò ſint abhorrentes, ut earum Auctoribus unus videatur ſcopus fuiſſe, facto videlicet ſuo comprobare, in quantam cæcitatem humana devenire mens poſſit, dum relicto fidei & traditionis tramite ſuis ſe permiſerit cogitationibus abripi.

Decernet, an non jure altùm ingemiſcant pii fideles, dum ab iis qui haberi volunt velut ſcientiæ oracula, velutque chriſtiani Orbis magiſtri, *tantâ doctrinæ ac ſapientiæ laude præſtantes* (ut loquuntur in Imagine primi ſæculi Societatis ſuæ) *ut pariter omnes divina regat ſapientia, quippe qui Aquilæ ſunt ingenio. Turbam Phenicum*; imò quod amplius eſt, *Societatem Angelorum* verè dixeris. Ab iis, inquam, qui ſemetipſos ita magnificant, ea tradi dogmata, quibus non pars moralis chriſtianæ laceſſitur, ſed tota funditùs evertitur, dum chriſtiani hominis officia omnia, interiora exterioraque, ſicut & omnia fidei, ſpei, charitatis, religionis, pietatis, orationis, juſtitiæ, veracitatis, ſinceritatis, fidelitatis præcepta profligantur, ne excepto quidem mandatorum omnium primo maximoque, nec ſecundo ſimili huic, in quibus univerſa Lex pendet & Prophetæ.

Nec per ea civili melius conſuli videtur juſtitiæ, quin omnia potiùs humanæ ſocietatis vincula diſrupta videntur, familiarumque ſecuritas & tranquillitas ſubverſa per homicidia, furta, uſuras, calumnias, mendacia, perjuria ſub diverſis prætextibus, adulteriniſque nominibus palliata & honeſtata.

Nec depravatis hominum moribus ſalutaria remedia per ejuſmodi dogmata quæruntur, ſed blandimenta potiùs atque operimenta ſuggeruntur. Denique divinorum Sacramentorum uſus, qui ſacer omninò eſſe debet, in pernicioſum, piiſque omnibus deplorandum con-

converti videtur abusum, uti non semel apud Prædecessores tuos complures questi sunt sapientissimi sanctissimique Episcopi Galliarum.

Quorum zelo suum adjungentes innumeri Parochi præcipuarum Galliæ Civitatum, adversus tantam corruptionem quasi tuba exaltaverunt vocem suam, à suisque respectivè Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, doctrinæ pestilentis condemnationem postularunt. Quos inter Regiæ urbis Parisiensis Curati, doctrinâ & pietate insignes, atque ex iis plerique Sorbonæ Doctores, collectam putidorum dogmatum illorum seriem, unà cum libello supplici, 10. Octobris 1659. Vicariis generalibus Metropolitanæ Ecclesiæ Parisiensis porrexe„ runt, quiritantes hujusmodi Ethicen, à Jesuitis tan„ to studio sparsam per totum orbem, minimè chri„ stianam esse: utpotè per quam christiani hominis bo„ na mens spiritusque extinguitur; nec Judaicam Pha„ risaicamque, cùm procul abjiciat, quam Judæi & „ Pharisæi summè colebant, legis litteram, externique „ hominis probitatem; nec philosophicam & huma„ nam, cùm infensa sit æquitati naturali, fidei huma„ næ, sensuique communi, quibus humana Philoso„ phia velut certis adhæret regulis; denique nec civi„ lem politicamque censeri posse, cùm humanæ socie„ tatis adeò convellat fundamenta, ut quæ eam admis„ sura sunt Regna, Respublicæ & Imperia, mutuis ci„ vium dolis, fraudibus, deceptionibus, cædibus ac „ furtis citò sint interitura, nec aliud futura, nisi Res„ publicæ sine fide, sine lege, sine ordine. Quare nul„ lum superesse quo vocitetur nomen nisi quod Jaco„ bus exprimit: *Non est ista sapientia desursum descen„ dens, sed terrena, animalis, diabolica.*" Quæ an vera sint, tuum est, Beatissime Pater, judicare.

Decernet denique Beatitudo tua, sintne legitimæ & christianæ artes ac strophæ quibus suprà descriptas novitates laxitatesque (abjectâ inconcussâ tutissimâque D. Thomæ doctrinâ sibi à sanctissimo Fundatore suo præscriptâ) sustinent, nec umquam retractant Jesuitæ. Eas idcircò paragraphis sequentibus Beatitudini tuæ exponimus & denuntiamus. §. OCTA-

§. OCTAVUS.

Primum Artificium Jesuiticum.

Jungere Societatis vires ad sustinendas Sociorum Novitates Laxitatesque.

MAnifestè id apparuit, dum tota Societas Molinæ novitates defendendas suscepit. Nec minus manifestè, dum Parisienses Rothomagensesque Pastores Censurâ notandam detulerunt Casuistarum Apologiam.

Cùm enim publicam adversus librum illum indignationem R. P. de Lingendes Jesuitarum Provinciali objiceret amplissimus D. Joannes Baptista de Contes Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis Decanus, Eminentissimique D. Cardinalis Retzii Vicarius generalis, reposuit ipsi Provincialis, *Permolestum sibi esse causatum ex illo libro rumorem, ideò tamen à suis non posse non sustineri, quòd editus esset in defensionem Casuistarum suorum.*

Idipsum uberius demonstrant Curiones Rhotomagenses in Epistolâ ad Illustrissimum Archiepiscopum suum, cujus ecce fragmentum latinè redditum: „Nullus jam relinquitur ambigendi locus, quin Jesuitæ „ hoc opus tenebrarum pro suo agnoscant & tueantur. „ Modò enim sub eorum nomine adversus *Factum* Curionum Parisiensium typis editæ sunt tumultuariæ „ plures chartæ, quibus suscipiunt patrocinium opinionum Apologiâ contentarum. Nisi hæc intueremur „ adduci minimè possemus ad credendum. Quis enim „ arbitraretur Societatem, quæ pietatem, virtutem, „ doctrinam, prudentiam profitetur, eo fervore eâque „ pertinaciâ patrocinaturam Operi, typis mandato absque Auctoris nomine, absque Approbatione, quod „ nemo propugnare potest, nisi palam bellum indicere „ velit pietati, charitati, veritati, bonæ fidei, morum „ candori, ac singulis virtutibus christianis, quarum „ Sanctissimæ leges hâc Apologiâ funditùs everturtur? „ Expostulent quantum libuerit Jesuitæ de injuriâ,

„ quam

„ quam ſibi illatam aiunt per Epiſtolas ad Provincialem:
„ certum eſt nil unquam in eos ſcriptum editumve
„ fuiſſe, quod ipſorum famam graviùs labefactarit,
„ nil quod hominibus partium ſtudio liberis adeò ſini-
„ ſtram de illorum ingenio, agendique ratione opinio-
„ nem ingeſſerit, ac ingeſſit editio & defenſio iſtius li-
„ bri. Quod ſi inter graviores hoſtes hos numerant,
„ qui hominum de Societate exiſtimationem magis at-
„ terant, dicendum profectò acerbiores non eſſe illis
„ hoſtes, quàm ſint ipſi ſibi; cùm ipſorum in hoc cœ-
„ pto pertinacia tantam eorum famæ labem inuſſerit,
„ quantam nulla adverſus illos ſcriptio.

„ Abſit tamen ut totum Ordinem inſimulemus. . . .
„ Jeſuitas à Jeſuitis ipſis diſtinguere novimus. Exiſti-
„ mamus enim alios veros eſſe Jeſuitas, qui verum ſui
„ inſtituti ſpiritum habent; alios falſos, qui ſolam ve-
„ ſtem gerunt, ea ceteroquin indigni.

„ Veri Jeſuitæ ſunt, qui ſectatores ac ſinceros Jeſu
„ Chriſti diſcipulos ſeſe præbent, ejuſque vitam & do-
„ ctrinam ſedulò imitantur. . . . Qui non ſtudent pla-
„ cere hominibus, qui profanorum conſortia quantum
„ poſſunt declinant, qui fugiunt Aulam, velut Cha-
„ rybdim proborum Religioſorum valdè infeſtam, qui
„ Regum ac Principum favorem & gratiam minimè
„ aucupantur, ſed omnem ſpem & auxilium in Deo
„ collocant, qui nec divitum amicitiam captant, nec
„ iis dirigendis ſeſe intrudunt, qui callidarum mundi
„ artium expertes, eas deteſtantur, qui prudentiæ ſæ-
„ culi renuntiant, qui toti in hoc ſunt, ut Deum ado-
„ rent, eique ſerviant in ſimplicitate cordis. . . . . In
„ quibus nec fraus, nec dolus eſt, ac minùs adhuc
„ mendacium & detractio, ſive verbo, ſive ſcripto:
„ Qui non injuriam injuriæ, non convitium convitio
„ reponunt, ſed benedicunt maledicentibus, laudant
„ hos, à quibus vituperantur . . . . . & qui falſa cri-
„ mina non imponunt, veras in ipſis culpas reprehen-
„ dentibus, quin potiùs æquè ſollicitè occultant hujuſ-
„ modi Accuſatorum defectus, ac ſincerè & candidè
„ proprios agnoſcunt fatenturque errores.

„ Ve-

„ Veri Jesuitæ sunt, qui in regendis eruendisque
„ Fidelibus nil nisi majorem Dei Gloriam, Proximique
„ perfectionem secundùm suarum Constitutionum ver-
„ ba quærunt: ita ut dum agitur de aliquo articulo de-
„ finiendo, suas opiniones non plumbeæ proprii cere-
„ bri regulæ, sed inflexibili Regulæ Evangelicæ ac-
„ commodent. Hi sunt qui Casuistarum suorum li-
„ bros ex animo purgatos cupiunt omni squalore ac
„ fœce, quâ illos aspersit spiritus obsequentiæ munda-
„ næ, disciplinæ ignoratio, depravatio sæculi, pru-
„ dentiaque & politica humana. Hi sunt, quibus a-
„ mici Sanchez, Molina, Escobarius & Tamburinus,
„ sed magis amica Veritas: Qui christianæ Ethices in-
„ tegritatem præferunt omnibus Societatis emolumen-
„ tis: Qui verum honorem collocant non in sustinen-
„ dis mordicùs opinamentis, quæ bonos omnes offen-
„ dunt, & ab ipsismet impiis damnantur; non in ex-
„ cusanda semper effræni suorum audacia, quasi in
„ moribus impeccabiles, in doctrina verò infallibiles
„ forent. . . . . Sed qui hominum verè religiosorum
„ verum honorem in eo statuunt, ut culpam sincerè
„ fateantur sicubi cæspitaverint; errorem revocent, si
„ à veritatis semita deflexerint. . . .

„ Veri denique Jesuitæ sunt, qui Confratrum suo-
„ rum deplorant cæcitatem, lugentque quod in Socie-
„ tate ardentium violentorumque hominum factio in-
„ valuerit, à quibus regimen occupatur, authoritas in ce-
„ teros usurpatur, susceptoque temerè profligatissimarum
„ solutioris ethices opinionum patrocinio, in contradi-
„ centium ruinam conspiratur, atque hoc pacto Societas
„ in discrimen adducitur ipsismet suorum armis cor-
„ ruendis, dùm interim è melius affectis remedium af-
„ ferri non potest, quia potentiores, plerumque certè
„ non sanctiores, sic in ceteros dominatum exercent,
„ tam cæcamque ab ipsis obedientiam exigunt ut (se-
„ cundùm ipsos) *quasi peccatum ariolandi sit*, vel levi-
„ ter *repugnare*, *& quasi scelus idololatriæ nolle acquies-
„ cere* iis, quæ hujusmodi superiores inconsiderati aut
„ mali præcipere vel cœco impetu præsumunt.

„ Post-

„ Poſtquam de veris Jeſuitis diximus..... dicen-
„ dum quid per falſos intelligamus. . . . Hos ergo
„ Pſeudo-Jeſuitas exiſtimamus, qui formam & ſpeciem
„ tantùm veræ pietatis præ ſe ferunt, ejus vim & vir-
„ tutem abnegantes. Qui ſeipſos maximi faciunt, ce-
„ teros aſpernantur. Qui ferre nequeunt ut quiſquam
„ virtute, ſcientia vel famâ ipſos antecellat. Qui om-
„ nibus dominari volunt, quemadmodum Diſcipulis in
„ Scholâ imperitantes. Qui in Regum Principumque
„ palatia irreptant, eorum benevolentiam, favorem &
„ gratiam vel paraſiticis obſequiis expiſcaturi. Qui pro-
„ ceribus & divitibus hujus ſæculi ſerviliter famulantur
„ percommodâ dirigendi methodo, ut eorum poſtea
„ poteſtatem Societatis commodis ſervire faciant: mol-
„ les & flexuoſi dum Dei & ſalutis cauſâ agitur, at du-
„ ri & rigidi in rebus ad propriam utilitatem pertinen-
„ tibus, auctoritate & opibus ipſorum ad commodum
„ ſuum abuti minimè dubitantes.

„ Falſi Jeſuitæ ii ſunt, quorum..... idolum eſt au-
„ ctoritas & fama Societatis, qui hûc ſtudium, labo-
„ res, artes omnes conferunt. Qui iſtius ſimulacri
„ bonum utilitatemque Eccleſiæ honori atque utilitati
„ præferunt. Qui in animum inducunt ſuum, quid-
„ quid in Eccleſia eſt eruditione ac virtute præcipuum,
„ in glorioſa & triumphante Societate eſſe incluſum.
„ Qui perſuaſum habent, nullum in præcipuis Eccleſiæ
„ difficultatibus præter ipſos Oraculum conſulendum.
„ Quos ſufficientiæ ſuæ alta exiſtimatio adeo inebria-
„ vit, ut neminem ferre queant reprehenſorem vel
„ contradictorem. Qui velut impios & hæreticos ma-
„ leque erga Societatem affectos habent, quotquot
„ plectenda eorum facinora carpunt. Qui mordicùs
„ tuentur depravatas ſuorum, etſi imperitiſſimorum &
„ contemptiſſimorum ſententias. Qui ab uno & am-
„ pliùs ſæculo libros ſcriptitantes, è tot pernicioſis opi-
„ nionibus ex ipſorum Auctoribus decerptis, ne unam
„ quidem ſincere & ex animo ejurarunt ac refutarunt,
„ quamvis nullus liber cenſuram ipſorum evadat, &
„ non ſola SS. Patrum ſcripta, ſed ipſammet ſcripturam

„ sacram sugillare audeant; non veriti S. Paulum insi-
„ mulare quasi in Epistolis fervore naturali se abripi
„ passum, quique in Epistolâ ad Romanos arma sub-
„ ministrarit Calvino ad fulciendam hæresim suam.
„ Quâ de re videri potest Pater Adam in *Calvino pro-*
„ *fligato*, pag. 623.

„ Falsi Jesuitæ sunt, quos non puduit in se suscipere
„ patrocinium corruptelarum omnium, quæ à sæculo,
„ vel à centum viginti annis in libris Scholasticorum
„ seu Casuistarum minùs accuratorum irrepserunt. Qui
„ vulnera sanæ doctrinæ per authores illos inflicta non
„ solùm incurata reliquerunt, quin potius auxerunt,
„ novaque & longè graviora addiderunt, cum pertina-
„ cia sustinendo Ethicem, Evangelicis Oraculis, San-
„ ctorumque Patrum, & sacrorum Canonum docu-
„ mentis, divinisque atque ecclesiasticis præceptis ad-
„ versantem. Hi sunt, qui usque adeo alieni sunt à
„ spiritu & mansuetudine Christi, gladii usum Petro
„ vetantis æquissima in causa (in qua scilicet agebatur
„ de vita Hominis-Dei adversus violentos furibundos-
„ que invasores contutanda) ut ipsismet Presbyteris
„ Religiosisque pugionum usum permittant, quibus
„ calumniatores suos, calumniarique minitantes inte-
„ rimant; idque ipsis præceptum esse doceant lege
„ charitatis, quam Ordini suo debent. Terribilis pro-
„ fectò & portentosa est charitas illa, quæ homicidium
„ præcipit, quo nullum gravius adversus charitatem
„ proximi crimen committi potest.

„ Falsi Jesuitæ sunt, qui contra Evangelicum Chri-
„ sti monitum christianis omnibus datum, ut percu-
„ tienti in dexteram maxillam præbeant sinistram, vo-
„ lentique tunicam tollere dimittant & pallium, Deum-
„ que orent pro calumniantibus & persequentibus se,
„ non solùm sustinent licitam esse occisionem pro ala-
„ pâ, pro pomo, ad præveniendum calumniam, sed
„ & ferociter insultant iis, qui pro Christo ejusque E-
„ vangelio stant adversus auctores tam crudelium dog-
„ matum. Nam scriptor Apologiæ pag. 85. accusat
„ eos, qui tam cruentæ doctrinæ refragantur, velut

„ pa-

„ patronos furum, latronum & calumniatorum, eos-
„ que comparat Hieronymo Pragensi & Galero hæreti-
„ cis, qui impietatis pœnas flammis luerunt; quasi
„ non metuendum sit ne in Christum recidat jaculum
„ quo adversarios petit. Etenim si furibus, latroni-
„ bus, calumniatoribusque patrocinatur, qui negat li-
„ citum esse occidere pro alapâ, levi furto, vel detra-
„ ctione; quo tandem loco Apologista ponet Filium
„ Dei, qui Discipulos & Fideles omnes docet has con-
„ tumelias & injurias pati, & non resistere inferenti-
„ bus, tantùm abest ut permittat eos occidere. *Ego*
„ *autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te per-*
„ *cusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram;*
„ *& ei qui vult tollere tunicam tuam, dimitte ei & pal-*
„ *lium. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*
„ *&c.* ..... Hæc sunt, Illustrissime Domine, dis-
„ crimina, quæ præ ceteris recensenda putavimus in-
„ ter eos qui componunt Societatem Jesuitarum, ne
„ justitiam & leges charitatis læderemus, si totum Or-
„ dinem condemnaremus, innocentes indiscriminatim
„ confundendo cum reis. Verum quidem est nos po-
„ tiori nunc, ut apparet, quàm olim jure accusare posse
„ totam Societatem de suscepto patrocinio depravatæ
„ morum doctrinæ; cùm hi patres evolutis tandem si-
„ mulationis integumentis, nunc audacter sustineant,
„ quod aliàs non sine execratione respuere & diffiteri
„ videbantur. Nam in libello supplici, quem anno
„ 1644. obtulerunt Senatui Burdigalensi contra Librum,
„ cui titulus: *Theologia Moralis Jesuitarum*, agnoscunt
„ propositiones, quæ in eo libro ipsis adscribuntur,
„ esse *impias, periculosas, scandalosas, execrandas, exi-*
„ *tiosas bonis moribus & societati civili*. . . . Verùm
„ ab eo tempore stylum & orationem mirum quantum
„ mutarunt! Nunc palam profitentur se vindices ac
„ protectores Apologiæ, quæ plenasque sustinet cor-
„ ruptelas ejusdem *Theologiæ Moralis*. Neque ullus ha-
„ ctenus è Societate Religiosus prodiit, qui improbâ-
„ rit, abnegârit, aut etiam impugnârit, ut oportet,
„ doctrinam libri tam pernicioſi & tanto omnium ap-

„ plausu rejecti..... Absit tamen ut totum Ordinem „ damnemus. "

Hactenus egregii illi Curiones germanam Jesuitici genii effigiem efformantes, efformandoque manifestum universo Orbi facientes, quanta sit reformationis necessitas in Societate. An non enim reformandi sint tot & tantorum excessuum Authores, decernet Sanctissimus.

ARTIFICIUM SECUNDUM.

Moralis Evangelicæ defensoribus Bajanismi & Jansenismi larvam objicere, ut ab iis audiendis populum avertant.

TRitum & de trivio totum est artificium istud Jesuiticum, tantò injustius, quantò verius Facultas Lovanienſis in epist. ad Alexandrum VIII. anno 1690. conscripta cum Politico Romano dixit, *Jansenismum nunc crimen esse omnium nullum crimen habentium.* Istud nihilominus sine crimine crimen innoxiis objicere, Jesuitis adeò est familiare, ut nullus Jesuiticis novitatibus laxioribusque opinationibus contradicens, tutus sit ab ejusmodi criminatione, ne ipsi quidem sanctissimi Episcopi sapientissimique Cardinales & Religiosi Ordines.

Nam uti calumniosissimè dixerunt in quodam Memoriali Madriti Catholico Regi præsentato, *Multæ sunt Religiones quæ à Jansenismo se intactas conservant. Utinam idem de Præmonstratensibus S. Norberti affirmare liceat! Nota est omnibus infectio majoris partis monasteriorum hujus Instituti. . . . Bonum ingens Religionibus SS. Augustini & Dominici in dicta patria apprecatur, qui eas omni spe promotionis ad strictam Facultatem destitutas exoptat, quia*, ut paulò antè dixerant, *in istis duabus sacris familiis vix datur grandioris notæ Theologus, qui ad strictam illam Facultatem vota non dirigat. . . . . Hinc provenit vix aliquem alicujus notæ virum in universo Belgio reperiri, qui se anti-Jansenistam ausit profiteri. . . .*

Capu-

Capucinorum Belgicorum Religio manifestè in duas factiones dividitur, unam Janseniſtarum, quam Juniores; aliam anti-Janseniſtarum, quam Seniores conſtituunt.

Nec ab hoc contagio Ordo Carmelitarum diſcalceatorum in Belgio purus exiſtit. Contagioſa hæc peſtis maximè in Clero ſeculari graſſatur. . . . nec ullibi magis quàm inter Clericos Oratorii.

Sed quid de Benedictinis? Ne religioſiſſimis quidem Benedictinis Congregationis S. Mauri pepercerunt, ſed & ipſos ob noviſſimam editionem Tomi X. operum S. Auguſtini, ab omnibus tanta cum laude approbatam, Janſenianæ hæreſeos variis epiſtolis accuſaverunt, quas eruditiſſimi Religioſi illi tam validè contriverunt, ut eas omnes Romana Inquiſitio librorum prohibitorum Catalogo inſeruerit.

In infami quoque Memoriali nomine & Juſſu R. P. Thirſi Gonzales Præpoſiti Generalis Societatis, Catholicæ Majeſtati anno 1696. præſentato, eminentioris dignitatis perſonæ, tam Eccleſiaſticæ quàm civiles, de Janſeniſmo inſimulatæ fuerunt, iſtaque de cauſa Memoriale iſtud, velut libellum famoſum, tam Romana, quàm Hiſpanica Inquiſitio proſcripſit.

Similiter Eminentiſſimi D. Cardinalis Noaillii, Archiepiſcopi Pariſienſis, Inſtructionem Paſtoralem de 20. Auguſti 1696. Jeſuitæ Galli de hæreſi Janſeniana effronti audacia diffamaverunt, ſparſo ad id libello quem inſcripſerunt, PROBLEMA ECCLESIASTICUM. Verùm quia ad tam immanem calumniam Gallia tota exhorruit, libellum quoque iſtum Romana Inquiſitio prohibuit, & carnificina manu ſupremus Galliæ Senatus anno 1699. flammis addixit.

Denique in Libello cui titulus, *Parallelus Thomiſmi veri & falſi*, à quindecim circiter annis Romæ vulgato, & à ſapientiſſimo Doctore Hennebello, plaudente Roma, inſigniter confutato, Generalis Societatis qui ſuprà, celeberrimas adverſus Leſſium & Hamelium Cenſuras, Lovanienſem anni 1587. & Duacenſem anni 1588. unanimi Theologorum Epiſcoporumque Belgii calculo probatas, coram Paulo V. & graviſſimo ſelectorum

Cardinalium Consultorumque consessu à P. Gregorio Nuñio Coronel Ord. S. Aug. Congregationum de Auxiliis Secretario cum honore recitatas, magnoque semper in pretio apud Thomam de Lemos, Didacum Alvarez, Joannem à S. Thoma, & alios quoscumque praestantissimos schole Thomisticæ Magistros semper habitas (in quibus post trimestre sub Innocentio XI. examen nulla est inventa iniquitas) velut Jansenianæ hæreseos labe conspurcatas, traduxit.

Uno verbo nullas Jesuiticis Novitatibus Laxitatibusque contradicit, quin à Jesuitis illicò Jansenista audiat, tantò majori cum scandalo, animarumque exitio, quantò certius est quòd per ejusmodi criminationes innumerabilium animarum salus impeditur: dum enim ab ejusmodi criminationibus Jesuitas nulla summorum Pontificum, nulla Principum eas vetantium Edicta compescunt, nihilque solemnius ab ipsis sæculi amatores audiunt, quàm Jansenistas, ceu Ecclesiæ rebelles, fugiendos; proinde non audiendos esse, qui Jesuiticis laxitatibus contradicentes, arctam docent salutis viam, doctrinamque prædicant curandis peccatoribus necessariam. Inde ab ipsis isti non audiuntur, & ideò numquam curantur; quia per latam semper viam gradiuntur, quæ ducit ad mortem.

Vide ergo, Beatissime Pater, quomodò in pejus proficit hominum impietas, cùm sine limite timoris vel pudoris, contra veritatem & justitiam vagabunda fertur impunita Jesuitarum garrulitas. Ad Tribunal sanctissimorum Prædecessorum vestrorum steterunt per deputatos suos Theologi Lovanienses adversus ipsos, illi etiam qui de Jansenismo præ ceteris accusantur. Asseruerat in primo scripto suo quod adversus ipsos Innocentio XII. 25. Jan. 1693. Desirantius obtulit, *tam multos libros in Belgio prodisse, atque ab Archiepiscopo Mechlinienſi, ceteriſque Belgii Epiſcopis obſervatas eſſe tam multas circumſtantias, ut jam notorium eſſet, in Diœceſibus iſtis graſſari de hæreſi Janſeniana ſuſpectos.*

Circa initium Martii proximè sequentis respondit Hen-

Hennebellus Lovanienſium deputatus : *Noverunt qui P. Deſirant huc ablegarunt, quidquid de Janſeniſmo in Belgio graſſante jactabant, ab iis quos accuſabant omnino negari, imò ut fabulam & merum commentum rejici.*

Quis igitur ab iis ad Apoſtolicam Sedem per Legatum accedentibus non expectaret validas & authenticas probationes, quibus quod intendebant, confirmarent, & id quod contra dicebatur refelleret? Quis non ſperaret acta & inſtrumenta allatum iri, unde ſaltem de corpore delicti, ut aiunt, conſtaret? Certè nihil eis facilius erat eccleſiaſticâ & ſeculari poteſtate munitis, quàm Reos, ſi qui eſſent, indagare, invenire, & ſervato juris ordine convincere. Ad id ſatis erat, ex ipſe viris, quos modò ut ſuſpectos dumtaxat, modò ut errores ſuos palam docentes inducunt, aliquos ſaltem citare, eoſque juridicè de doctrina ſua, de fide, de quinque propoſitionibus interrogare, Teſtes iis coram objicere, denique ea peragere quibus Inquiſitiones legitimæ inſtrui & promoveri ſolent. Quis autem ſibi perſuadeat, in ampla Regione apud Belgas, homines ingenuos & minimè fucatos, ſectam aliquam, & eam quidem numeroſam, ita per annos 40. latuiſſe, ut ex tot ſuſpectis nullus, vel in diſſeminando errores deprehenſus, nullus ſtimulante ſceleris conſcientiâ ſponte confeſſus, nullus non modò convictus, ſed ne quidem legitimè accuſatus unquam fuerit? Nihil horum omnium profert P. Deſirant. Pro actis & probationibus, pro rationibus & argumentis verborum ambages ſubſtituit, multas circumſtantias commemorans, ab quas ait notorium eſſe in Belgio graſſari de Janſeniſmo ſuſpectos. Quid verò circumſtantiarum illarum nomine intelligat? In quibus, ubi & quando fuerint obſervatæ? Quinam illi ſuſpecti? An Clerici, an Seculares? Cujus Ordinis aut Inſtituti? Quodnam illis nomen? Nuſquam explicat. Et nihilominus etiam Romæ apud Apoſtolicam Sedem, & Pontificem optimum, ac juſtitiæ amantiſſimum, confidit ſe probare poſſe hanc accuſandi rationem; quam olim à Romanis adhuc Gentilibus, non accuſatimis, ſed maledicimis loco habitam legimus his

verbis: „Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat; „ hominem ut notet, argumento probet, teſte confir- „ met. Maledictio verò nihil habet propoſiti prater con- „ tumeliam.“

Hoc reſponſo velut fulmine percuſſus Deſirantius, ſibi conſcius nulla ſibi acta vel inſtrumenta ſuppetere, quibus accuſationem probet, certus verò cauſâ ſe caſurum niſi proferat: octodecim articulos comminiſcitur, de iiſque Hennebellum alioſque Belgas accuſat.

Verùm declaratione iſtis articulis directè oppoſita, atque à Theologis Belgis ſubſcripta, accuſationem uſque adeò oppreſſit Hennebellus, ut accuſator ad probandum ſæpiùs provocatus, deinceps obmutuerit, victaſque manus dederit. Quare Hennebellus circa finem Auguſti 1693. libellum iſtum S. Congregationi obtulit.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

EXponit humiliter Joannes Libertus Hennebel Academia Lovanienſis Deputatus, manifeſtum prorſus nunc eſſe. . . . . falſas eſſe omninò & infundatas accuſationes articulis octodecim comprehenſas. . . . . ſiquidem ex litteris noviſſimè è Belgio receptis, & acta hic junèta conſtat præcipuos ac ſelectos primarum Belgii urbium Theologos, poſt maturum examen, poſt diuturnam inquiſitionem ac mutuam collationem, ſingulos ſuo & aliorum cujuſque urbis Theologorum nomine declarare, quòd per omnia conſentiant declarationi Oratoris, ſeptemdecim articulis comprehenſæ, quam præfatis octodecim Patris Deſirant accuſationibus oppoſuit. Quam quidem Oratoris declarationem, Eminentiſſimi Patres, tam ſanam eſſe, tam evidenter accuſationibus ſuis oppoſitam faſſus eſt P. Deſirant, ut clariorem expetere non potuerit, neque negare, quin ab accuſationibus ejus foret abſolvendus quiſquis declarationi illi ſeſe conſentire profiteretur. Neque hic repeti debet quod EE. VV. notiſſimum eſt, Theologos illos Belgii ex alio

quoque

quoque capite à prædictis accusationibus absolvendos fuisse, quia nempe accusator ... ies tam solemniter provocatus, ut vel unum ex omnibus quos accusat, proferret, qui dictos errores sustineret, hactenus obmutuit.

Quibus omnibus maturè expensis, nemo diffiteri posse videtur, quin omni careant fundamento prædictæ P. Desirant accusationes, & quin falsi prorsus ac calumniosi fuerint rumores quaquaversum sparsi de Jansenismo in Provinciis Hispano-Belgicis grassante.

Quandoquidem verò his omnibus non obstantibus vehementissimè apud EE. VV. instare pergunt adversarii, ut nova & extraordinaria remedia ad comprimendum in Belgio Jansenismum adhibeantur, facile est jam videre, id ab eis tanto studio efflagitari, non ut extirpentur errores, quos ibi nequaquam reperiri jam manifestum est, sed ut accusationum suarum iniquitatem quoquo modo obumbrare, captamque adversus innoxios Theologos vexationem continuare valeant, ubique gloriaturi, se non immeritò nec sine causa multos in Belgio Jansenismi accusasse, contra quos Romano Pontifici opus fuerit novas leges publicare, & extraordinaria ad eos comprimendos remedia adhibere.

Quod an iis largiri æquum sit, an verò potiùs coerceri non debeant pœnis, quas contra iniquos accusatores & calumniatores decernunt Sacri Canones, judicabunt pro sua æquitate EE. VV. . . . . Circa finem verò Septembris ejusdem anni postquam Sanctissimo Domino idem exposuit quod supra, supplicavitque ut P. Desirant per EE. Card. Sancti Officii interrogaretur 1. *An in Oratoris scripto hic adjuncto, cui titulus, Articuli Theologorum Belgii &c. non rectè ac fideliter referantur accusationes ejus octodecim, quas instituit adversus Theologos Belgii quos Jansenismi insimulat?*

2. An in eodem scripto non contineatur sufficiens ac dilucida Oratoris declaratio septemdecim articulis comprehensa, & 18. ejus accusationibus contraria?

3. *An saltem unum in Belgio Theologum nominare pos-*

ſit, qui objectos ab eo in 18. articulis errores, aut ſaltem eorum aliquem ſuſtineat?

4. *An vel unum nominare poſſit, qui declarationi Oratoris, objectis illis 18. articulis prorſus oppoſita ſubſcribere recuſet?*

Poſt hæc, inquam, ſubjunxit: *Si vel unum talem nominet, cujus contrariam declarationem propria manu ſubſcriptam, Orator intra bimeſtre non produxerit, declarat idem Orator coram Sanctitate veſtra ſe dare victas manus, paratumque inſtare cum eodem P. Deſirant pro obtinendis remediis ad ejuſmodi errores è Belgio extirpandos neceſſariis. Sin verò, B. Pater, tamdiu provocatus, nemodò quidem unum talem nominare poſſit, hoc unum rogat Orator, ut idem P. Deſirant aliique ejus adhærentes, ab ejuſmodi accuſationibus deinceps ſaltem ſibi temperare cogantur auctoritate Sanctitatis V. quam Deus &c.*

Hiſce perſuaſus Innocentius XII. Prædeceſſor veſter, optimus Pontifex, accuſatos Belgii Theologos, deinceps non Janſeniſtas, ſed *pratenſos Janſeniſtas* ſemel & iterum vocavit in Brevi ad Epiſcopos Belgii de 24. Novemb. 1696. in Brevi autem ad eoſdem de 6. Februarii 1694. *Fraternitatibus*, inquit, *veſtris quantum in Domino poſſumus, præſentibus noſtris mandatis injungimus, ne nulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi priùs ſuſpectum eſſe* LEGITIME (id eſt, *ſervato juris ordine*, uti ſemel & iterum ibidem exprimit) *conſtiterit aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe, nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis beneficiis, gradibus ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione eccleſiaſtica permittatis, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.*

Decernat ergò Sanctitas tua, decernite & vos Principes qui judicatis terram, an fides ulla adhibenda ſit Jeſuitis poſt hæc omnia dictitare pergentibus, plenum eſſe Janſeniſtis Belgium, quando Epiſcoporum ab ipſis ſeductorum Deputatus coram Apoſtolica Sede toties provocatus, ut vel unum proferret, in hunc uſque

diem

diem proferre non potuit, nec accuſationem ſuam probare, ſed ſilentio ſuo ſe calumniatorem eſſe faſſus eſt.

ARTIFICIUM TERTIUM.

Eundem in finem ipſos velut Rigoriſtas apud Principes, Magiſtratus, & Populum diffamare.

THeologorum Lovanienſium de Rigoriſmo accuſatio haud minùs infundata eſt atque injuſta, quàm accuſatio de Janſeniſmo, imò tantò magis exitioſa, quòd in ea de ſcholaſtico aliquo non agatur Theoremate, ſed de morum regula, ſed de Sacramentorum uſu, ſed de mediis unde ſalus dependet æterna.

Nihil porrò aliud eſt, niſi recriminatio quædam, duplici de cauſa à Jeſuitis uſurpata. Primò ad tranquilliùs ſtabiliendas Moralis ſuæ laxioris Regulas. Secundò ad repellendam accuſationem partim à Lovanienſibus, partim ab aliis formatam, adverſus nimiam ipſorum de moribus opinandi licentiam.

Utra accuſatio æquior ſit, utriuſque ſucceſſus omninò diverſus ſatis manifeſtum facit.

De Lovanienſium Theologorum rigoriſmo accuſatio, ſolido hactenus fundamento probari non potuit, nec efficere Jeſuitæ potuerunt, ut pars aliqua iſtius rigoriſmi à Sede Apoſtolica proſcriberetur; Laxiſmum verò Jeſuitarum, aliorumque Caſuiſtarum, Lovanienſes tantâ probarunt ſoliditate, ut complures portentoſi iſtius laxiſmi propoſitiones Eccleſia univerſa proſcripſerit, Univerſitates utique per judicia doctrinalia, Epiſcopi per ſententias juridicè pronuntiatas, ſummi Pontifices per apoſtolica decreta.

Univerſitatum, Epiſcoporumque judiciis famoſam ſuam Caſuiſtarum Apologiam Jeſuitæ oppoſuerunt, ſed numquam librum alium Orbis excepit majori cum indignatione publica, nec Antiſtites ſtigmate notarunt majori cum ignominia, nec conſenſu magis unanimi Doctores, Epiſcopi, ſummi Pontifices proſcripſerunt, non genericè dumtaxat, ſed ſpecificè damnatis quam-

plurimis propositionibus, quas Eminentissimus Aguirius in præfatione maximæ suæ Collectionis Conciliorum Hispaniæ n. 22. *monstra* vocat *opinionum, quæ adversus moralem Christianam, & disciplinam ecclesiasticam ac canonicam eruperunt.*

Post tot nihilominùs Anathemata, Apologiæ patrocinium Jesuitæ non abjecerunt. Quin imò defensionem ipsius Honoratus Fabri anno 1659. sub fictitio suscepit Bernardi Stubrochii nomine, notis editis adversus Wendrochii notas ad Litteras provinciales. Verùm Stubrochii, non Wendrochii notas, utrasque licèt ad se delatas Roma proscripsit, sicut & ejusdem Honorati Apologeticum doctrinæ Moralis Societatis anno 1670. duobus in folio voluminibus editum, atque à novem Primariis ejusdem Societatis Theologis approbatum, ab ipsoque Generali Præposito commendatum.

Nec meliorem fortunam sortitus est Matthæus de Moya Jesuita Hispanus, Reginæ Hispaniarum Confessarius, qui pariter Apologiæ patrocinium suscepit sub larvato nomine Amadæi Guimenii.

Tantum quippe in se horrorem Guimenii liber concitavit, ut ipsum Alexander VII. anno 1666. ac deinde Clemens X. anno 1675. prorsus damnarint. Cúmque nihilominus adhuc distraheretur, Innocentius XI. anno 1680. sub gravioribus eum pœnis iteratò proscripsit, ac velut infamem librum Romæ flammis addixit.

Tandem Alexander VII. & Innocentius XI. centum & decem propositiones laxioris Ethices, velut ut minimùm scandalosas & pernicioſas solemni censurâ perstrixerunt, nullam verò ex rigidioribus, tametsi plures à Jesuitis accusatæ fuissent: nec Pontifices isti conquesti sunt de grassante in Ecclesia Rigorismo, quemadmodum de grassante Laxismo verbis gravissimis Alexander VII. conquestus est in decreto suo de 24. Septembris 1665. dicens: *Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes, partim*

tim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxurantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrinâ, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ chriſtianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem ſanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in ſemitam rectam evocaret, &c.

Si tanta foret Jeſuitarum ſubmiſſio ad Pontificia Decreta in materia morum, quanta in negotio Formularii, ſe convictos faterentur de injuſtitia accuſati à ſe Rigoriſmi. Cùm certum ſit id quod ſub odioſo iſto nomine accuſant, nihil aliud eſſe, niſi ſanctum & ſalutarem Evangelii rigorem, moderatamque obſervantiam regularum, quas ſancti Patres unanimi conſenſu ſemper tradiderunt velut neceſſarias ad ſalutem, peccatorumque converſionem, quas etiam Eccleſia ſemper retinuit, noviſſimiſque hiſce temporibus Sancti noviſſimi renovarunt, ſanctus utique Carolus Borromæus, S. Thomas Villanovanus, S. Franciſcus Saleſius, atque cum ipſis Concilium Tridentinum, Cardinales & Epiſcopi ſanctiſſimi, Theologique ſapientiſſimi, tam Seculares quàm Regulares ex omni Ordine, etiam Societatis Jeſu.

Hujuſmodi eſt praxis abſolutionem certis in caſibus differendi, qui utique caſus deſignantur in Rituali Romano, in Inſtructionibus S. Caroli, & S. Franciſci Saleſii, in decretis Cardinalis Grimaldi Archiepiſcopi Aquenſis, in ſtatutis Synodalibus Cardinalis Le Camus, Epiſcopi Gratianopolitani, in Inſtructionibus Paſtoralibus Cardinalis Denhoffii Epiſcopi Cæſenenſis, adoptatis ab Eminentiſſimo Cardinale Urſino Archiepiſcopo Beneventano, in Inſtructionibus denique Illuſtriſſimi D.

Guidonis de Seve Epiſcopi Atrebatenſis, quas triginta alii Epiſcopi approbarunt plurimumque commendarunt.

Iſtaque fuit praxis Sanctorum noviſſimorum, quos Deus Apoſtolico repletos Spiritu ad animarum ſpecialiter vocavit ſalutem, peccatorumque converſionem, ſcilicet S. Franciſci Xaverii, aliorumque proximè laudatorum. Nec dubium quin eam ſecutus fuerit Cardinalis Bellarminus (præclarum Societatis ornamentum) utpote qui eam magno cum fervore coram ſummis Pontificibus docuit in Concionibus ſuis, quarum particulas deſcribit Aguirius diſſert. VIII. in Can. XI. & XII. Concil. Tolet. III. Excurſu 1. & 5.

Eamdem praxim triginta alii Epiſcopi, vigintique Doctores Sorbonici magnis encomiis celebrarunt in approbatione libri *De frequenti Communione*. Atque ex iis Epiſcopis, ſexdecim librum iſtum per ſuum in Urbe Deputatum egregiè tuiti ſunt coram Tribunali Apoſtolico, ad quod licèt ipſum Jeſuitæ detulerint ſub Urbano VIII. Innocentio X. & Clemente IX. numquam efficere potuerunt ut proſcriberetur.

Denique praxim illam auctoritate ſua comprobat agmen ingens Theologorum, omni ex Natione, ipſam fundatam exiſtimantium in verbo Dei, duplicique poteſtate Sacerdotibus à Chriſto collata, non ſolùm remittendi, ſed & retinendi peccata; cujus poteſtatis parte ipſos ſpoliare contendunt, qui prætendunt, abſolutionem peccatoribus certis in caſibus ab ipſis negari vel differri non poſſe, ea cum moderatione quam charitas & prudentia iſtis in occaſionibus ipſis ſuggerere debent, cujus ſoli ipſi Judices ſunt; cùm totum negotium iſtud, inter ipſos ſolos pœnitenteſque, ſub arctiſſimo inviolabilique ſecreto tranſigatur.

Quod ergo de legibus & præceptis S. Thomas, hoc de praxi illa verifimè dicitur, utique illam non eſſe contra veram fidelium libertatem, utpote utilem, imò neceſſariam ad ipſos liberandos à ſervitute peccati, prout S. Doctor 1. 2. q. 147. a. 2. ad 3. docet *Præcepta non*

eſſe

esse contra libertatem populi fidelis, sed magis utilia ad impediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galat. 5. Vos enim, fratres, vocati estis in libertatem, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.

Nihil ergo aliud est rigor à Jesuitis adeò diffamatus, nisi sanctus & discretus ille rigor, quem Spiritus Sanctus in sacro Eloquio, quem sanctorum Rigoristarum (si sic eloqui fas est) Princeps Salvator in Evangelio necessarium esse docet, quando dicit Matth. 7. 13. *Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam! & pauci sunt qui inveniunt eam.*

Matth. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Matth. 10. 38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*

Matth. 18. 3. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.*

Luc. 14. 33. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 8. 1. *Oportet semper orare & non deficere.*

Luc. 21. 36. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere à ventura ira, & stare ante Filium hominis.*

Matth. 5. plurima Salvator adjicit, de non irascendo fratri, de abjiciendo membro scandalizante, de non reddendo malum pro malo, de inimicis diligendis, de bene faciendo iis qui oderunt nos.

Apostolus etiam 1. Cor. 7. *Qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur.* 2. Cor. 5. *Qui vivunt non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* 1. Ad Thessalon. 4. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Denique, ceteris omissis, Christi Præcursor necessa-

rios

rios asserit *fructus dignos pœnitentiæ ad fugiendam venturam iram:* & Salvator ipse, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis &c.*

Ista est pars Rigorismi Evangelici, quo spirituales non terrentur homines, nec veri Christiani, sed homines animales & terreni, qui, quæ sursum sunt non sapiunt, sed quæ super terram: sunt enim amatores mundi, contra id quod scriptum est 1. Joan. 2. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

Si Theologi illi qui Rigoristæ dicuntur, rigidiora tradant, si duriora carni, si praxis illorum severior fit divinâ illâ severitate, justè accusantur; si verò nullum doceant nec practicent rigorem ab Ecclesia damnatum (ut revera non docent) nec alium nisi quem divina docet Scriptura, & ipsemet in Evangelio Salvator, prout à Sanctis passim omnibus antiquis & novis intelligitur, manifesta est injustitia accusationis, qua à Jesuitis de nimio accusantur rigore, Jesumque in persona ipsorum persequuntur Socii Jesu; in hoc non Socii, sed persecutores, dum eos persequuntur, quorum non aliud crimen est, nisi quòd cum Jesu arctam doceant salutis viam, Theologiam à laxioribus opinionibus purgare studeant, animasque suæ curæ ac directioni commissas, per angustam portam deducere contendant, ne per spatiosam & latam ingredientes, eant in perditionem, facti interim ipsi forma gregis sui, dum, ut Ministros Christi decet, non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu-Christi, officio & piis operibus incumbentes, carnemque suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigentes.

Isti sunt, Beatissime Pater, quos velut Rigoristas Jesuitæ persequuntur, ab omnique munere tum in Ecclesia tum in Republica suis apud Reges & Principes calumniis excludere conantur, non advertentes sese latissimam per hoc aperire portam hominibus improbis, ut soli promoveantur. Cùm enim probus nemo sit, nisi qui arctam Evangelii viam sequitur, sequentes autem velut Rigoristæ vel de Rigorismo suspecti persecutionem proximè dictam patiantur; aliud non supereſt, nisi

ut ſoli improbi, ſpatioſamque ſæculi viam profeſſi promoveantur.

Decernat proinde Sanctitas Tua, annon verè Abbas du Manoir in libro Gallico, cui titulus: *Defenſio duorum Brevium SS. D. N. Innocentii XII. Papæ* pag. 26. dicat: „ Dæmonis ejuſque aſſeclarum inventum eſt, „ & quidem inter artificia, quæ ad illaqueandos ſeducendoſque fideles ſpiritus ille erroris hoc ſæculo adhibuit, haud poſtremum, quòd pietatem Evangelicam, accuratamque diſciplinæ, quantum peccatoris infirmitas ſinit, obſervationem, Rigoriſmi nomine in odium adduxerit; cùm è contrario præcedente ſæculo ſub reformationis ac Evangelicæ pietatis nomine, ut venerandam propoſuerit horrendam Chriſtianæ ethicæ conculcationem omniumque conſiliorum Evangelicorum & Apoſtolicarum ſanctiſſimarumque exercitationum abrogationem. Artem, inquam, invenit vocandi in ſuſpicionem ſanctiores leges, quas fideles Chriſti diſpenſatores obſervant, nec non mores puriores, quibus veri Chriſtiani ornantur. Iis nomen odioſum impoſuit, invidiam conflavit, bellum intulit, ut pietatis amantes, dum hinc corruptelas oderunt, aliunde nimium illum rigorem metuentes, medium quiddam inveſtigarent & Rigoriſmi viam declinare volentes ab Evangelico tramite deflecterent ad laxamentum pedetentim deventuri. Hæc enim eſt fallacia quâ dæmon ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ſeduxit intellectum, & cor Fidelium etiam virtute ac profeſſione Chriſtianæ perfectionis inclytorum. Quot hæreſes peperit oppoſitæ hæreſeos metus!

„ Hac viâ tot errores diverſos & contrarios hominum mentibus inſtillavit. Nec abſimili arte Babylonicæ ethicæ depravationes cordibus inſpirat, metu immoderati rigoris, quem vix aut ne vix quidem reperire eſt hoc ſaltem ſæculo. Nolim tamen dicere nunquam fieri poſſe ut inveniantur Confeſſarii, qui in animarum regimine modum tantiſper excedant circa adminiſtrationem ſacramenti pœnitentiæ.

„ Sed alia res eſt propria quorundam privatorum im-

„ mo-

„ moderatio, ad quam eos abripit zelus, bonus qui-
„ dem, sed non secundùm scientiam, neque secundùm
„ regulam, quo decepti, poterunt tanquàm præceptum
„ interpretari quod nonnisi consilium est, vel ex incon-
„ siderantia peccare in satisfactione imponenda; Alia
„ verò res est secta vel multitudo hominum, qui sint
„ Rigoristæ professione, ob certa principia & praxim
„ opinionum nimis rigidarum præter Evangelii legem,
„ in quas simul juraverint.

„ Hujusmodi Rigoristarum secta merum est com-
„ mentum Dæmonis, & spiritûs calumniæ. Alterius
„ autem seu prioris generis, rari sunt, dumque doce-
„ tur ac corriguntur, satis ostendunt se nullum nisi
„ Christi vexillum sequi.

„ Eâ de re sic loquitur Episcopus Atrebatensis 3. e-
„ pist. Past. §. 17. *Nimium nimiumque funesta horren-*
„ *da relaxationis experimenta in Diœcesi nostra depre-*
„ *hendimus : sed & dicere licet, quamquam id mi-*
„ *nitò varius sit, quosdam etiam fuisse qui mente qui-*
„ *dem optimâ, sed zelo nimio violabant leges Ecclesiæ,*
„ *dum se rectè agere existimabant. Et hos quidem fa-*
„ *cilè emendavimus; cumque non peccarent nisi nimia,*
„ *si ita loqui licet, virtute, ac ardentiori amore illius*
„ *quam arbitrabantur veritatis; semper invenimus eos*
„ *paratos sequi Christiana cum docilitate lumen quod ipsis*
„ *exhibebamus : ubi alii, qui à Deo non aberrabant*
„ *nisi quòd nimis adhærerent soli lumini rationis, aut*
„ *humano intuitu ducerentur, semper nobis visi fuerunt*
„ *à parendo alieniores, & qui difficiliùs se paterentur ad*
„ *officium revocari.*

Statuet proinde Beatitudo tua, an non de mollioribus doctrinis, quas tantoperè depereunt adversarii prætensorum Rigoristarum, sanctus Gregorius VII. prædecessor tuus post Tertullianum dixerit: *Hæ sunt doctrinæ dæmoniorum, prurientes auribus, natæ de ingenio sapientiæ secularis, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit.* An non etiam verè Octavius de Bellegarde Archiepiscopus Senonensis in litteris anno 1644. ad Eminentissimum

Car-

Cardinalem Franciſcum Barberinum datis pronuntiaverit, quòd per antedictas perſecutiones & molliores regulas, *eò mollities animorum, ac diſciplinæ elangueſcentis diſſolutio proceſſit, ut jam de vera pœnitentia . . . . . loqui penè ſit nefas.* quódque *uſus Sacramentorum* (prout quatuor Galliarum Archiepiſcopi cum duodecim Epiſcopis eadem anno ad Urbanum VIII. ſcripſerunt) *qui ſacer omninò ac ſalutaris eſſe debet, in perniciosum ac piis omnibus deplorandum abuſum ſæpiſſimè convertitur. Depravatis denique ac corruptis moribus, blandimenta priùs atque experimenta, quàm ſalubria remedia comparantur. Hoc videlicet artificium* (pergit Illuſtriſſimus D. Octavius in litteris memoratis) *humani generis hoſtis excogitavit, quo fatiſcentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipſa Religione obtruderet, quaſi à diverticulis ad viam regredi, à via aberrare ſit. . . . . Ita altur quorumlibet licentia flagitiorum, ita crux Chriſti evacuatur, ita vera pœnitentia tollitur: jam enim crimen ludus eſt, & pœnitentia crimini datur.*

His commotus Cardinalis Aguirius in eruditiſſimis Diſſertationibus ſuis ad Canones XI. & XII. Concilii Toletani III. poſt ſapientiſſimos pariterque ſanctiſſimos Hiſpaniæ Epiſcopos, Bernardum Hontiveros Calaguritanum, Joannem de Palafox Oxmenſem, & Ludovicum Creſpium Placentinum (qui à quinquaginta circiter annis, hortatu Eminentiſſimi Cardinalis de Sandoval Archiepiſcopi Toletani, adverſus molliora morum dogmata zelo magno ſcribere cœperant) ipſe eitam adverſus eadem pari zelo invehi, moralemque chriſtianam ac verè Evangelicam, iiſdem dogmatibus impetitam tueri, ac veluti poſtliminio revocare aggreſſus eſt. *Sanè* (inquit in Præfatione Collect. Concil. Hiſpan. n. 18.) *non aliter expleremus partes officii noſtri, ſive hujus eximiæ dignitatis, ad quam occulto Dei judicio . . . exiguitatem noſtram evexit ſanctæ memoriæ Pontifex, & rerum geſtarum gloriâ clarus Innocentius XI. Cùm enim Cardinales ex iis numeris ſui ſint intimi Conſiliarii & Coadjutores Romani Pontificis, non in ordine ad bonum regimen, aut reformationem unius Provinciæ aut Regni tantùm, ſed to-*

totius Orbis Christiani, debent omnes pro virili laborare, opere, verbo ac scriptis, in eumdem scopum, ac studium & curam suam, doctrinamque salutarem, tutiorem, imitationi Christi aptiorem, Sacris Canonibus conformiorem ac proinde severiorem porrigere. . . . ut proinde post Apostolos, Romanos Pontifices ac præcipuos & primarios Ecclesiæ Doctores, in Cardinalibus speciatim locum habeat sententia illa Christi Domini, Vos estis sal terræ, *quam Chrysostomus* Homil. XV. in Matth. *ita exponit:* „ Non „ enim illos Palestinæ Doctores esse dicit, sed totius „ terræ, nec simpliciter Doctores, sed severos ac terri„ biles. *At cur severos? cur terribiles? Subibunt enim odium hominum ferè omnium, quibus mollis & laxa doctrina placet, severa autem & austerior horrori est. Verùm timorem hunc statim eximit Chrysostomus ipse subdens:* „ Hoc est enim mirabile omninò, quòd non adulantes ne„ que palpantes, sed ex adverso salis instar urentes ferè „ omnibus se tam desiderabiles reddiderunt.

Quod ipsum contigit non solùm priscis illis Cardinalibus in Conciliis: . . . sed etiam posterioribus, quotquot ferè ab ineunte hac secunda Chiliade annorum æra Christianæ floruerunt sanctitate & doctrina. Exemplo sint (præter alios) *Cardinales sanctissimi Petrus Damiani, Bonaventura, Carolus Borromæus*, laudatissimi quoque Cardinales Bellarminus, Denhoffius & Ursinus in Italia, Cardinales Grimaldus, Le Camus, Noaillius in Gallia, Cardinales Otho, Gropperus & ab Harrac in Germania &c. quorum sanctissimi zeli imitatores sunt quamplurimi Archiepiscopi & Episcopi in Italia, Hispania, Gallia, &c.

Quia verò mentionem fecimus Dissertationis VIII. Cardinalis Aguirii in Can. XI. & XII. Concil. Tolet. III. dignum est ex ea aliquot lineas exscribere. Postquam ergo n. 135. collaudavit fervorem veterum Christianorum qui in aliquod gravius crimen lapsi, absolutionem Communionemque sibi per plures annos differri patienter tolerabant in assiduo jejunio, austeritate, fletu & planctu, ut Deum sibi tandem reconciliarent; ad tempora nostra transiens sic pergit: *Nostro autem ævo (ô tem-*

tempora ! ô mores!) multi non modò in aliquod grave crimen, ſed in varia aut plurima lapſi, vix jejunio aliquo, auſteritate, fletu aut planctu præmiſſo, accedentes ad confitendum, ſtatim abſolvi volunt & mitti ad Communionem; quòd ſi Sacerdos pius, doctus & verſatus in diſciplina Eccleſiaſtica ac ſacris Canonibus, illos hortetur ad jejunandum, plangendum & orandum, non dico integris annis, non menſibus, ſed aliquot hebdomadis, aut ſaltem diebus, antequam abſolvantur, ut veram de peccatis contritionem & totius cordis converſionem impetrent, quâ Deum graviſſimè offenſum ſibi reconcilient, ſeque ad veniam diſponant; videbis illos impatienter omninò id ferre, & vociferari adverſus Sacerdotes ejuſmodi, eoſque incuſare veluti crudeles & carnifices conſcientiarum. Hoc novo injuſtiſſimæ accuſationis & criminationis ſcelere jam longè nequiores effecti, adeunt quempiam alium Sacerdotem ignarum, remiſſum, palponem, aut nullius zeli circa diſciplinam Eccleſiaſticam, & abſque ulla contritione de novo ſcelere commiſſo, ac de aliis præcedentibus, levi ſatisfactione impoſitâ, ſtatim aſſequuntur aut extorquent ab eo præproperam abſolutionem, & intempeſtivam communionem, utramque ingenti dantis & recipientis damno, uti demonſtrat ex Cypriano, Ambroſio, Chryſoſtomo. Quorum exhibitis teſtimoniis ſubdit: *Sed quid opus eſt ad antiquos Patres recurrere in re adeò manifeſta omnibus iis Pœnitentibus & Sacerdotibus, qui ſtupore quodam aut ignorantiâ extremâ, non amiſerunt communem ſenſum? Sanè doctiſſimus & piiſſimus Cardinalis Bellarminus ſæpenumero id grande malum noſtrorum temporum variis locis lamentatur*, &c. Et n. 158. *Ex toto hujus Diſſertationis contextu conſtat, quàm nimium delicati & digni reprehenſione ſint, quicumque peccatis mortalibus inquinati. . . . . : ac nonnumquam plurimis & graviſſimis, non ſe præparant ad illa confitenda jejuniis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque pœnitentiæ veræ operibus ac mortificationibus per aliquod tempus, ad impetrandam divinam miſericordiam & auxilia opportuna, quibus toto corde convertantur ad Deum.*

ut salutarem fructum Sacramentorum recipiant : sed statim post siccam aut præpoperam confessionem absolvi volunt. Constat similiter quàm injustè & impudenter ii criminentur Confessarios (quamvis doctos, pios, ac notæ prudentiæ) nolentes absolutionem impendere statim, sed illam differentes, donec ea opera pœnalia exhibeantur per aliquot hebdomadas, vel dies saltem, juxta prudens ipsorum judicium. Neque enim pro omnibus idem tempus exigi debet, nec requirenda sunt satisfactiones aquè pœnales pro inæqualibus peccatis secundùm gravitatem aut numerum.

Injustissima planè est eorum querela (injustissima proindè accusatio ejusmodi Confessariorum de Rigorismo) *& quæ horrori esset toti antiquitati christianæ, si contingeret tunc audire quemquam vociferantem, & conquerentem de satisfactione sibi injuncta ante aut post absolutionem, quæ nec secundùm durationem temporis, neque secundùm acerbitatem æquaret centesimam partem ejus pœnæ quam imponebant Canones illi veteres, Dei spiritu conditi, & totius mundi reverentia consecrati, ut loquitur S. Leo Papa. Atqui satisfactiones imponi solitæ hoc tempore, ante aut post absolutionem pro gravibus peccatis (etiam ab iis Confessariis qui rigidi habentur, & crudelitatis incusari solent tanquam conscientiarum carnifices) non æquant ne centesimam quidem partem ejus pœnitentiæ, quam imponebant Canones illi, nec penes durationem, nec secundùm acerbitatem. . . . Injustissima itaque ejusmodi impiorum ac pseudopœnitentium querela est.*

Quamvis verò admodum conveniens sit dilatio absolutionis erga ejusmodi homines peccatorum gravium reos, & præsertim relapsos, utque interea in actionibus & mortificationibus se exerceant, ut dictum est &c.

Itaque prorsus indubitatum est oculatissimo sapientissimorum Cardinalium illorum judicio, eorum quoque qui præ ceteris in scientia morum ac disciplinæ christianæ, in examine que status præsentis Ecclesiæ versati sunt, atque hisce de rebus sub oculis Prædecessorum tuorum scripserunt, Rigorismum in Ecclesia nullum esse.

ſe. Cùm iſtius pientiſſimi Cardinalis liber Romæ ſub oculis Innocentii XII. poſt examen accuratiſſimum cum approbatione præcipuorum Urbis Theologorum de licentia Magiſtri S. Palatii veſtri Apoſtolici in lucem prodierit, nihilque proindè reprehenſibile in eo præcipui Urbis Theologi invenerint.

Indubitatum è contra, Laxiſmum Rigoriſmo prætenſo oppoſitum veriſſimè exiſtere, iſtoque artificio humani generis hoſtem innumeras animas ad inferna pertrahere. Nam uti ſapienter obſervat Cardinalis Denhoff Inſtruct. Paſtor. pag. 24. & ſeqq. quamdiu laxiora dogmata Catholicorum, per Eccleſiam apertè nondum ſunt condemnata, facilè Catholicos decipiunt: *Sunt enim velut ſcopuli in portus ingreſſu delitescentes, quos plerique non advertunt. Sunt etiam velut pulvilli ſuper quibus peccatores molliter quiescentes, indormiſcunt in peccatis ſuis, non ſentientes malum quod geſtant in ſinu ſuo,* nec de eo veram umquam pœnitentiam agentes. Et propterea Sancti noviſſimi, Carolus Borromæus, Thomas Villanovanus, Saleſius, & cum iis Bellarminus, non deplorant, quòd hâc noſtrâ ætate nimiâ Confeſſorum ſeveritate, ſed *nimiâ aſſentatione, pereat multitudo infinita*, quódque *Eccleſiam Domini hodie perdit Confeſſariorum & Paſtorum blandiens adulatio.*

Denique de graſſante hodie laxiſmo teſtimonium irrefragabile reddidit Alexander VII. verbis circa principium hujus artificii relatis.

ARTIFICIUM QUARTUM.

Eoſdem traducere velut Novatores, ut ſuas ipſe facilius diſſeminent Novitates.

TErtia iſta accuſatio nec malignitate nec injuſtitiâ cedit duabus prioribus, nullamque prorſus habet veriſimilitudinis ſpeciem, nec ſpecioſum ullum colorem; ubi accuſatio prima à Jeſuitis fieri prætenditur ſub commentito colore ſeſe opponendi erroribus per Pontificias Conſtitutiones damnatis, ſecunda ſub privato prætextu tuen-

tuendi jugum Christi suave adversus dogmata, uti prætenditur, excessivè rigida.

Verùm enimverò iis velut novatoribus insultare, Principumque persecutionem suscitare, qui collabentem disciplinam restaurare, depravatos mores emendare, pestilentem plurium Casuistarum de moribus doctrinam refellere, sanam Jesu-Christi & Sanctorum Ethicen docere ac tueri, noxiis denique usibus & consuetudinibus sese opponere satagunt, quas non sacræ leges, sed earum prævaricatio; nec divina vel ecclesiastica traditio, sed hominum ab ea degenerantium corruptela, Ecclesiâ non probante, sed gemente invexit, hoc (inquam) artificium est politicæ à diabolo ad imperium suum firmandum atque propagandum inspiratæ, Christianis proindè Theologis prorsus indignum, maximè Religiosis, quorum instituti Tessera est, *Ad majorem Dei gloriam*, quorum proinde est majorem Dei gloriam promovere, non eam promoventes persequi, ut suas promoveant novitias laxitates, quibus non reformatur mundus, sed in præceps ruit, latissimam ingrediendo viam, quæ ducit ad perditionem.

Ergone justum est zelosos persequi Pastores, qui ne pereant ipsi cum ovibus suis, eas à noxiis doctrinarum pascuis revocant ad pascua doctrinæ salutaris? Ergone digni sunt qui novatores habeantur, atque ut tales persecutionem patiantur, qui diligentes decorem Domus Dei, impediunt quantum in ipsis est, ne per corruptos Fidelium mores, sacrilegosque Sacramentorum abusus fiat spelunca latronum, ne etiam seminata (per deviam à spiritu Ecclesiæ Sanctorumque doctrina animarum directionem, vel improbandam consuetudinem) in agro Dominico Zizania crescant, iis eradicandis sedulam dant operam? Ergone novator fuit S. Augustinus, dum zelo magno Afrorum oppositus se consuetudini, qui, ut ipse testatur epist. 64. ad Aurelium, commessationibus & ebrietatibus, non solùm per dies solemnes, sed & quotidie, in honorem (uti prætendebant) beatorum Martyrum indulgebant.

Ergone novator fuit S. Petrus Damiani, dum seculo un-

undecimo magno & ipſe zelo Eccleſiam purgare conatus fuit à graſſantibus in ea ſcandalis?

Ergone novator S. Bernardus, dum ſuum pro veteri Religioſorum diſciplina zelum exercuit, pro extirpanda conſuetudine, quæ apud ipſos mollitiem in veſtibus, & in menſis lautitias intulerat? Novator Petrus Cantor, dum Miſſarum bifaciatarum, trifaciatarum, pluralitatiſque beneficiorum conſuetudinem, quæ tempore ipſius per Eccleſiam latè pervagabatur, voce & calamo perſecutus eſt? Novator S. Ignatius de Loyola, dum rerum ſacrarum neglectui, corruptiſque ſæculi ſui moribus tanto reſtitit zelo, ut propterea Inquiſitionis carceribus mancipatus fuerit in Hiſpania, calumniiſque, perinde ac ſi novator eſſet, appetitus Venetiis & in Gallia?

Videant proinde Jeſuitæ an non imitatores ſint perſecutorum, calumniatorumque ſanctiſſimi Fundatoris ſui, dum ſimiliter perſequuntur calumniantúrque imitatores ſanctiſſimi zeli ipſius: & quid aliud eſt calumnia ſeu perſecutio iſta, niſi maledica loquacitas carnalium hominum, qui ſimili modo ſemper calumniati ſunt Sanctos omnium ſæculorum? Cùm & Salvator ab ipſis ſuggillatus fuerit velùt novator, & Salvatoris Præcurſor, & Apoſtoli, & ſancti Epiſcopi, dum miniſterium ſuum impleverunt, praviſque ufibus veritates Evangelicas oppoſuerunt. Novator etiam audiit Auguſtinus, audiit Petrus Damianus, audiit Bernardus &c. dum adverſus relaxatam diſciplinam voce & calamo invecti fuerunt. Cùm enim Auguſtinus in ſuprà memoratam Afrorum conſuetudinem ingenti cum fervore invectus fuiſſet, adverſus ipſum murmurantes carnales homines dicebant: *Quare modò? Non enim anteà qui hæc non prohibuerunt, Chriſtiani non erant?* Quibus breviter ipſe reſpondit: Vos dicitis, *Quare modò? nec breviùs nec veriùs dicimus, Vel modò*, uti refert epiſt. 29. ad Alyp. qui & ſerm. 5. de diverſ. c. 4. *Nonne*, inquit, *experti ſumus. . . . . quanto periculo noſtro de iſta Baſilica ebrioſitates expulerit Deus? Nonne ſeditione carnalium*

penè mergebatur nobiscum navis? Cum Augustino penè merguntur hodie zelosi improbandarum consuetudinum, pernicioſarumque opinionum impugnatores, ſimili seditione carnalium hominum; quemadmodum & penè mersus fuit S. Carolus Borromæus, dum collapſam restaurare conatus est disciplinam, ut videre est apud Ripamont. l. 4. 5. & 6. vitæ ipsius. Glorioſa profectò non est Jesuitis carnalium istorum imitatio.

Ad hæc tempora Prophetico spiritu respexisse videtur illuminatissimus Doctor S. Joannes Thaulerus *serm. 2. in Dom. 3. post Trinit.* dum consuetudinem deplorans plurimorum, etiam Religioſorum, Eucharistiæ Pœnitentiæque Sacramenta frequentantium absque vera voluntate emendationis peccatorum suorum; *Ipsi* (inquit) *pretiosum Christi sanguinem, acerbissimamque passionem illius, otiosam ac sine fructu abire debere putant, sed errant miseri atque falluntur. Dicunt autem, In sacra Religione positi sumus, in sancta Congregatione & Societate vivimus, & oramus multùm legimusque. Et ego: Hæc omnia sine amore & attentione, cum distracto corde, tam tepidè & frigidè agitis, ut sine admiratione nec cogitari quidem possit. Sed confitentur: verbis scilicet, absque integra sese ex animo corrigendi voluntate. . . . . Jam si accedat aliquis, ut quantis in periculis degant. . . . . eos moneat, irrident hominem, dicuntque, Beggardorum (hodie, Jansenistarum) ista sunt verba. Eh ipsi novi sunt spiritus* (des Novateurs) *hic est unus ex sublimibus spiritibus* (du haut sens) *& hoc illis faciunt, qui eos ad viam veritatis & justitiæ revocare nituntur &c.*

AR-

ARTIFICIUM QUINTUM.

Omni calumniarum genere eorum famam proscindere, qui scribunt adversus Sociorum aliquem.

AB eo tempore quo inter Socios vulgatæ sunt de mendacio & calumnia propositiones 651. & 652. suprà pag. 108. productæ, signanter ista, *Nomisi veniale esse peccatum, detrahentis auctoritatem sibi noxiam falso elidere crimine*, mirum quantum propositionum istarum usus, atque innocentissimos quosque calumniandi abusus, apud Socios plerosque invaluit. Facilè enim *cuique persuadet amor sui, injustè se ab alio peti*, ait clarissimus vir Paschalis, epist. 15. ad amicum Provincialem, *sed nulli facilius quàm Jesuitis, quos tactus mentis tumor excæcat, ut in scriptis suis eam de se opinionem haberi jubeant, tantum de Ecclesiæ honore detrahi, quantum de Societatis suæ gloria detrahitur. Itaque monstro simile foret, si non hanc doctrinam usu sæpissimè frequentarent .... Nemo igitur jam stupeat, Jesuitas calumniari: tutâ enim conscientiâ calumniari se putant. Nam pro qua pollent in sæculo gratia, hominum justitiam non verentur, & pro ea quam conceperunt de doctrina Sociorum suorum non minima opinione, adversus quoque Dei justitiam ea se in conscientia tutos arbitrantur.* Ex hoc fonte tot Sociorum mendacia calumniæque profluxerunt. Exempli gratiâ *Brisacerii, tam projectæ calumniæ viri* (prosequitur Paschalis) *ut Parisiensis Archiepiscopi censurâ fuerit configendus. Hinc illa quoque patris Danjou Jesuitæ 8. Martii 1651. in personas primarias (apud quas pauperum Icardiæ & Campaniæ subsidia deponebantur) horribilis petulantia. Quamvis enim ad illa multùm illa de suo conferrent, tamen palàm infandum illud mendacium ex ipsa Cathedra S. Benedicti proferre non est veritus, compertissimum sibi esse, has pecunias ab illis personis interverti, ut eas in Ecclesiæ ac Regni perniciem impenderent. Hâc calumniâ (quæ, si quid fidei invenisset, uberem illum eleemosyna-*

rum fontem arefeciſſet) commotus iſtius Eccleſiæ Parochus, Doctor Sorbonicus, in ſuggeſtum poſtridie conſcendit, ac Jeſuitarum mendacia coram omnibus coarguit.

Hinc & illa Craſſeti audacia, quâ tot impoſturis Aurelianenſem Cathedram polluit, ut his commotus Aurelianenſis Epiſcopus, illi tamquam publico ſycophantæ ſacris Concionibus interdixerit 9. Septembris 1656. his verbis: „ Sacris Concionibus per totam hanc Diœceſim Fratri „ Joanni Craſſeto Societatis Jeſu Presbytero interdici- „ mus, & ne quiſquam ejus Concionibus interſit, ſub „ pœna lethalis inobedientiæ edicimus; quòd prædictus „ Frater Craſſetus Concionem habuerit mendaciis & ca- „ lumniis refertam, adverſus præcipuos Aureliæ Sacer- „ dotes, quibus falſò ac mendaciter affinxit has propo- „ ſitiones: *Mandata Dei eſſe impoſſibilia; numquam re- „ ſſii gratia interiori; Chriſtum non eſſe mortuum pro om- „ nibus hominibus, atque alias ejuſmodi ab Innocentio X.* „ *damnatas.*

Ex eodem fonte prodiit atrox calumnia, quâ Joannes Baptiſta François, Jeſuita, per publicas Theſes Theologicas *De Deo & Religione, cum digreſſionibus*, Antverpiæ defenſas, inſinuare auſus fuit, ſeptuaginta quinque florenorum millia è Belgio ad almam urbem à prætenſis Janſeniſtis miſſa fuiſſe ad Hennebellum, ut aulam Romanam corrumperet. Quod cùm & à veritate alienum foret, & Aulæ Romanæ injurium, Romam citatus fuit Jeſuita, qui, diu tergiverſatus, poſt longas tandem itinerum ambages & moras, in urbem appellere compulſus fuit, ut ibi calumniæ ſuæ rationem redderet.

Anno 1690. Montibus Hannoniæ Patres Oratorii de Neſtorianiſmo, deque inimicitia adverſus cultum B. Virginis, Jeſuitæ accuſaverunt, pluribuſque de Magiſtratu ibidem perſuaſerunt, Perilluſtrique Capitulo S. Lamberti Leodii perſuadere conati ſunt. Verùm cauſâ iſtâ ſedulò examinatâ, Patrum Oratorii innocentiam Archiepiſcopus Cameracenſis 3. Octobris ejuſdem anni ſolemni decreto declaravit his verbis: *Character noſter neceſſitate indiſpenſabili nos adſtringit, ut juſtitiam adminiſtremus*

mus iis ad quorum onus nos compulit rumor, qui in publicum ſparſus fuerat, informationes ſumere. Exiſtimamus muneris noſtri eſſe declarare, ut hiſce declaramus, prorſus non apparuiſſe per informationes dictas, Presbyteros Oratorii Montenſis feciſſe aut docuiſſe aliquid, quod rationabilem ſuſpicionem moveat, eos eſſe inimicos cultui D. Virginis; cùm è contra probaverint, magnâ ſolemnitate celebrare ſe ejus feſtivitates, Magnitudines illius, & quâ apud Deum valet potentiam prædicare populo, in Officiis ſuis & precibus eam invocare, titulumque ei, tum Matris miſericordiæ ſciente & inſpectante Orbe univerſo, tribuere.

Eodem anno Pater Coëmans Jeſuita, bonam concionum ſuarum partem, per octavam Dedicationis Eccleſiæ, Bruxellis ad Sabulonem, conſumſit in concitando populum adverſus Novatores Neſtorianiſmum inſtaurantes; dicens, *annos eſſe circiter quindecim, cùm hæreſis illa in hiſce regionibus ſuſcitari cœpta eſt per viros graves, & qui pii habentur: Non ita pridem Montibus Hannoniæ manu tortoris flammis traditum eſſe libellum iſtam hæreſim continentem: Eſſe Bruxellis qui eamdem hæreſim tenerent, & per libellos, imò & per Catechiſmos diſſeminarent: Ab ipſis truncari Salutationem Angelicam, detractâ parte ultimâ, Sancta Maria Mater Dei, eò quòd Mariam Dei Matrem eſſe non credunt. Et poſt hæc erit* (inquiebat) *qui dicat nobis, non eſſe tales hæreticos hoc tempore.* Vacante tunc Sede, negotio iſto legitimè examinato per Vicariatum Mechlinienſem, P. Coëmans deprehenſus fuit calumniator, ideóque Vicariatus inſtitit ut à Superioribus ſuis pro tam horrendis mendaciis ac calumniis puniretur, cogereturque palinodiam publicè canere; at nihil amplius obtentum, niſi ut Pater cum ſilentio è Diœceſi Mechlinienſi dimitteretur. Exempla alia dabuntur artificio ſequenti.

ARTIFICIUM SEXTUM.

Post crudelissimè laceratam omni mendaciorum genere virorum integerrimorum famam, ipsosque palam suggillatos velut scandalosos & hæreticos, eò quòd contra Sociorum aliquem quidpiam dixisse vel scripsisse putarentur, eosdem deinde, absque ulla prætensorum errorum retractatione, scandalorumve reparatione, orthodoxa fide, pietate, doctrina, moribus insignes palam declarare, ob id solum quòd ipsi declarassent, de lacessenda se Societate non cogitasse.

NIhil solemnius ad id demonstrandum afferri potest, quàm illa contentio, quæ Jesuitas inter & Clarissimum Virum Puteanum S. Nisieri Lugduni Parochum intercessit. Eam sic Paschalis exhibet epist. 15. Anno 1649 librum egregium Puteanus è latino in vernaculum sermonem transtulit, cui titulus: *Officia boni Christiani erga propriam Parochiam, adversus eos qui fideles à Parochiis abstrahunt. . . .* Auctore Capucino. Caverat Puteanus ne quid acerbitatis huic libro admisceret, neve ullus Religiosus, aut omninò ulla Societas nominatim describeretur. Se tamen hoc libello peti, Jesuitæ putaverunt. Itaque continuò P. Albius, Puteani, antiqui Pastoris, in primatia Galliæ Judicis, magna in urbe & auctoritate & honore pollentis, canos ac virtutem nihil reveritus, mordaci illum libello omnibus probris cooperuit, quasi *vitæ licentiâ scandalosum, impietatis suspectum, hæreticum, excommunicatum, ac remediis caustici dignum.* Vel ergo Jesuitæ professi calumniatores erant, vel ista de bono illo Paroche credebant. Itaque, nisi depositis erroribus, ille amicitiâ Jesuiticâ dignus fieri non poterat. Videamus ergo quid in ipsâ reconciliatione gestum sit, cui interfuerunt Lugduni Primores, scilicet D. de Ville Vicarius Generalis, Scaron, Margat, Bouvaud, Seve, Aubert, Dervieu Canonici S. Nisieri, du Gué Quæstorum ærariorum Præses, Grostier Præfectus urbicus, de Flechere Præses & Prætor, Boissat, de saint Romain & de Bartoli, viri no-

nobiles, Bourgeois, primarius Regis Advocatus..... de Cotton pater & filius, Boniel: qui omnes P. Albii declarationi ſuſcripſerunt. Cùm enim hoc tantùm Puteanus declaraſſet, *libro ſuo Jeſuitas omninò non impeti, generatim ſe de iis locutum, qui fideles à Parœciis avertunt, de laceſſenda Societate numquam ſe cogitaſſe, quæ contrà animo ſuo egregiè chara eſſet: iſto verborum faſcino, momento ex apoſtaſia, ex excommunicatione, ex ſcandalis, nulla abſolutione prævia* Puteanus emerſit, ipſumque P. Albius tum his illum verbis ipſiſſimis compellavit: *Vir clariſſime, cùm in ea opinione fuiſſem, Societatem, cuime cooptatum glorior, à te laceſſitam, ad ſcribendum me accinxi, illudque quo uſus ſum defenſionis genus mihi licitum eſſe exiſtimavi; at nunc certiùs explorato tuo in nos animo, huc veni coram omnibus teſtificaturus, nihil jam eſſe cur te non habeam ingenii perſpicaciſſimi, profundæ & orthodoxæ eruditionis virum, moribus inculpatum, poſtremò Eccleſiæ tuæ digniſſimum Paſtorem. Hanc profeſſionem libens edo, ea ne honeſtiſſimis, qui hic adſunt, viris excidat, opto & precor.*

Ex iſta P. Albii declaratione tam ſolemni, perſpicuum eſt, quòd Puteanum antea non crediderit hæreticum; ipſi tamen crimen tantum, quod falſum noverat, ideò palam objectaſſe, quòd in ea opinione fuiſſet, Societatem ab ipſo laceſſitam fuiſſe, non ideò tamen ipſum agnoviſſe, mendacio tam pernicioſo, calumniâque tam enormi, ſe deliquiſſe, quippe qui *iſtud defenſionis genus* (mendacium ſcilicet, calumniamque) *ſibi licitum fuiſſe crediderit.*

Hinc Paſchalis loco citato legitimè concludit, quòd *Jeſuiticâ linguâ hæreticum eſſe, idem eſt ac laceſſere Societatem. Lepidam hareſim, boni Patres! Itaque cùm tot viros Catholicæ Fidei addictiſſimos paſſim in ſcriptis veſtris hæreticos appellatis, hoc demum à vobis ſignificatur, aliqua in re violatam ab ipſis Societatem,* ſeu laceſſitum Sociorum aliquem.

Nec refert, an Sociorum aliquem laceſſierit objecto vero, an objecto falſo crimine, damnabilive dogmate: nam ut Jeſuitæ licitam ſibi putent in adverſarios ſuos

calumniam, necesse non est, istos calumniæ reos esse: sufficit (inquit Wendrockius) ut hoc præcæcitate putent Jesuitæ, aut saltem ut se injustè, si non falsò ab ipsis accusari existiment. Hoc verò quis dubitet præ cæco sui amore, Jesuitis esse persuasum? Si quis illos in vera Theologia hospites dicat, calumniari existimant, quia scientiæ se Oracula, Magistrosque præstantissimos arbitrantur; si quis sententias ipsorum, morum corruptivas appellet, calumniam sibi inferri queruntur, quia absurdissimas quasque Sociorum sententias pro sanctis institutis habent Postremò, quamlibet vera agnoscant esse, de quibus accusantur, tamen hæc à se sine crimine negari, mendaciique crimen in accusatores suos conferri posse credunt, eò quòd hæc injustè in vulgus spargi sibi persuadeant, propterea quòd inde minuatur Societatis gloria.

Nec jus illud ab ipsis prætensum dissimulant, imò cognitum omnibus volunt. Ecce enim quàm ingenuè Casuistarum Apologista pag. 129. *Multi Theologi & Canonistæ docent, eum qui criminis, verè quidem à se commissi, sed tamen injustè insimulatur, posse accusatorem suum mendacii arguere, & impudentissimum calumniatorem appellare.* Sic (pergit Wendrockius) Jesuitis calumnia & mendacium simul arma suppeditant, & defensiva quibus se tueantur, & offensiva, quibus ulciscantur inimicos. Objecta sibi crimina, quamlibet certa & sibi cognita, fidentissimè negant, calumniæque accusatores suos postulant. Deinde ipsos aliis à se confictis criminibus, junctis Sociorum viribus onerant, tanto cum conjuratorum eorumdem Sociorum impetu, ut tametsi plurimis primariis viris, ipsis etiam Ecclesiæ Principibus, Sociorum vitia nota sint & perspecta, pauci tamen audeant tanto cum corpore, suo cum periculo decertare.

Ausi sunt nihilominùs zelosissimi pariterque generosissimi Parisienses Parochi corruptam ipsorum Ethicen palam arguere: verùm ea ipsa de causa veritus non est Casuistarum Apologista feroci ipsos calamo velut *ignorantes, Lupos rapaces, falsos Pastores, schismaticos & ha-*

hæreticos ſuggillare, etiamſi mutato poſtea conſilio in reſponſione ad ſcriptum ipſorum, quod Factum vocant, eoſdem veros ac veneratione dignos, pietateque, virtute & ſapientia illuſtres Parochos eſſe Socii faſſi ſint, eo dumtaxat fictitio prætextu, quòd Factum iſtud conſideraverint velut partum ipſis ſuppoſitum, non ut ab ipſis profectum.

En ſpecimen inſigne genii Jeſuitici. Montes fumantes ſunt Jeſuitæ, ſi quis eos tetigerit protinùs fumigant: tangere caveat Jeſuitas quiſquis experiri non amat Jeſuiticos fumos. Socii ſunt Jeſu, non imitatores manſuetudinis, patientiæ & humilitatis Jeſu. Quippe neſciunt quid ſit eſſe humiles, patientes, manſuetos erga ſuos reprehenſores. Evangelium prædicant, non practicant. De Domino Jeſu ſcriptum eſt: *Cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* 1. Petr. 2. *Cùm pateretur, non aperuit os ſuum* Iſa. 53. de Apoſtolo, vero Jeſu Socio, quia imitatore, *Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphemamur & obſecramur.* 1. Cor. 4. *Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus,* vel ipſi diabolo *judicium inferre blaſphemiæ,* ſeu contumeliæ. *Epiſt. Cathol. Jud.* Si quis autem Jeſuiticas pio zelo reprehendit laxitates, protinùs blaſphemias iſtas ſeu contumelias audit; *Bajanus, Janſeniſta, Hæreticus, Impius, Scandaloſus, &c.*

Doctrinam RR. PP. Collegii Anglo-Leodienſi Soc. Jeſu Sedi zeloſus quidam Theologus denuntiavit. Illico P. Sabran in ipſum ferociter inſurrexit, prorſus mendaciter dicens. *Larva eſt: Baii & Janſenii hæreſes ac errores in omni Theologiæ argumento propugnare, variis libellis ſpargere, Eccleſiaque illos condemnantis oppoſitam impetere doctrinam, unicè menti ejus inſidet.*

In libello cui titulus: *Specimen doctrinæ à Jeſuitis in Seminario Leodienſi traditæ* (ab eodem utique Sabrano Collegaque ipſius P. Henrico Roberto Stephani) Theologus alius ipſos pio zelo modeſtè redarguit de nonnullis corruptelis in doctrina morum & fidei, deque injuriis

riis in D. Augustinum & Augustinianos &c. & verè se redarguisse demonstravit, tum in specimine illo, tum in defensione illius, seu responsione ad conclusiones Theologicas P. Stephani de 17. Februarii præsentis anni 1702. At pro familiari Jesuitis mercede plaustra integra injuriarum mendaciorumque ab isto P. accepit, in conclusionibus illis, in quibus ipsum absque ulla prorsus apparentia veritatis, per mendacem recriminationem accusat de erroribus in Jansenio damnatis, de hæresi Janseniana, de dura fronte, de fronte vacua, de impudenti accusatione, de obcæcatione, de voluntario stupore, de ingenii pauperie cum pompa producta, de argumentatione adeò ridicula, ut à Logicis trimestribus sit exsibilanda, de imperitia, de ignorantia, de non intelligentia eorum quæ dicit, citat, carpit, de mala fide, de indocta calumniandi libidine, &c. At scriptum est Eccli. 34. 4. *A mendace quid verum dicetur?* Prov. 10 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos*, Cap. 14. 25. *Profert mendacia versipellis.* Job. 13. 4. 5. *Fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum, utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.* v. 12. *Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ.*

Nec alia refutatione dignæ sunt Jesuiticæ illæ cantilenæ (ideò Jesuiticæ, quia Jesuitis consuetæ:) Nam ut scitè Cassiodorus l. 1. Epist. 27. *Ad injurias illi prosiliunt, qui se superatos turpiter erubescunt.* Et ut etiam appositè Contensonus l. 5. dissert. 3. c. 2. qui adversus justos reprehensores suos *disputationes excitant de animi rancore descendentes, si scribant stylo verborum atrocitate ferreo, felle amaro, morsibus sævo, unguium laceratione violento, non Theologi, sed maledici nomen merentur: quos qui legunt, alii detestatos abjiciunt sana gravitate. alii suaviter hauriunt malevola voluntate, omnes offenduntur urbanitatis honestate.* Et maximè offenduntur in Jesuitis, upote tam profusis amatoribus novitatum suarum, etiam justò laxiorum, ut, sicut icterio laborantibus sufflavus semper & ubique color occurrit, sic ipsi quibuslibet sibi adversantibus, quamlibet innocen-

tis-

tissimis Catholicissimisque, Jansenianam hæresim, novitates, imperitiam, ignorantiam, malignitatem, odium in Societatem &c. non minùs importunè quàm impertinenter semper objiciant.

Ne suum quidem probabilissimum Jesuitæ patienter ferunt reprehendi, sed doctrinam quæ eum reprehendit Antonius Terillus Anglo-Leodiensis Jesuita in præfatione sui tractatus de Reg. Mor. & post ipsum Bartholomæus Fibus in sua pro conscient. infirm. Apologia c. 1. §. 6. *dicit aliam matrem non habere quàm hæresim Jansenianam*; nec alios ferè primos Auctores, nisi quos *constat malevolentissimo ac amaro nimis animo in Societatem Jesu ejusque Auctores affectos fuisse.* Nec his contentus Georgius de Rhodes *disp. 2. de act. hum. q. 2. sect. 3.* usque adeò excedit, ut Antiprobabilistas elato supercilio vocet *novos Reformatores Theologiæ, & Ecclesiæ, vanissimos ac imperitissimos sanè homines, non intelligentes communem Theologiæ vocem, cujus ipsi micam nullam habent.* In eosdem §. 2. totius (ut Contensonii verbis utar) stomachi bilem iratissimè effundens, *Jansenianos vocat, turpissimè errantes, deserentes semitas judicii ac justitiæ, ut ambulent per salebras, duce perditissimæ famæ homine, damnato per judicium Ecclesiæ.*

Convitia ipsius litterario Orbi exposuisse, refutasse est. Ea validè & christianè refutat pissimus Contensonius loco citato, Rhodium sapienter monens, quòd per ea non consulat suo, nec suæ Societatis honori: Neque enim Societatis honorificum est, Socios adeò iniquos esse Censores eorum, qui solidæ pietati vacantes, Christianâ modestiâ & charitate mores suos componentes, collapsam disciplinam instaurare, fratresque errantes à diverticulis ad viam revocare satagunt, ut ipsos non pudeat tot eos improperiis ea propter onerare, & velut Jansenianâ hæresi infectos, Schismaticos, Ecclesiæ rebelles &c. apud populum depingere. Quid enim hoc aliud est, nisi diabolica præsumtio, si Augustino credimus l. 2. de Bapt. contra Donatist. c. 5. verissimè dicenti: *Aliter sapere, quàm res se habeat, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, usque*

ad præcidendæ Communionis & condemnati schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. Istud verò Jesuitæ faciunt, dum ex nimio sententiarum suarum amore, iis contradicentes velut damnatos hæreticos & schismaticos calumnioſè traducunt. Quia dum *imperito zelo* homines innocentissimos Catholicissimosque *velut hæreticos insectantur, hæreses ipsi faciunt*, ait D. Gregorius l. 9. Registri c. 30. Sententias namque suas, quæ certissimè de fide non sunt, pertinaciter volunt esse de fide. Atqui *non minùs est hæresis asserere aliquid esse de fide, quod non est de fide, quàm negare aliquid esse de fide, quod est de fide*; ut rectè Major in 3. dist. 37. q. 26.

Ecce ergo hæretici & schismatici sunt Jesuitæ, qui pro hæreticis & schismaticis habent, & pertinaciter habent, qui omnibus Ecclesiæ definitionibus submississimi sunt, ipsisque Jesuitis submissiores. Trita proinde illa Jesuitica objectio, *toties Jansenismum insontibus occinens, puerilis est* (inquit Contenson) *undique rimas agit, & è trivio tota sumpta hæc cantilena, ad invidiam intrepidis divinæ legis defensoribus conflandam imperitissimè & juxta miquissimè instituta. Si bonis rationibus Jesuitæ ex misera sitæ causæ conditione careant, ad lutulenta & inepta convitia non confugiant, à dissertationibus ad injurias mulierculorum more non veniant, modum habeant & finem faciant dicteriorum, à quibus nonnisi disceptantium odia & legentium scandala derivantur, quæ etiam magis auctoribus nocent, quàm iis in quas furunt & debacchantur. Eam saltem modestiam, gravitatem, urbanitatem pro se ferant, quam in scriptionibus suis hæretici non omninò feroces vix patiuntur desiderari.* Si eam in se desiderari passus non fuisset P. Albius; ad palinodiam compulsus non fuisset, ut suprà. Nec ad eamdem compulsus Brisacerius Collegii Rothomagensis Rector, qui cùm Abbatem Alnæum Carolum du Four, *velut temerarium, seditiosum, rebellem, hæreseos fautorem*, propterea lacerasset, quòd duobus in sermonibus, exitiales quorumdam scriptorum in materia morum Ecclesiasticæque Hierarchiæ doctrinas generatim coarguisset, scriptorum-

rumque ſuorum exhibitione laudatus Abbas demonſtraſſet, Jeſuitas à ſe nec nominatos, nec laceſſitos; Briſacerius per ſententiam Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi Rothomagenſis de 26. Januarii 1657. compulſus fuit declarare, prout ſcripto juridico declaravit, ſe habere Abbatem illum pro viro ſpectatæ probitatis, doctrinæque Catholiciſſimæ, & maximè orthodoxæ, prout ex eadem conſtat ſententia. Si ante declarationem iſtam verè talis fuiſſet, qualem ipſum Briſacerius depinxerat, profectò ex ſeditioſo, rebelli & hæreſeos fautore repentè probiſſimus Catholiciſſimuſque, abſque retractatione, reparationeque ulla, non evaſiſſet, nec ad id declaratio de non laceſſitis à ſe Jeſuitis ſuffeciſſet. Sciunt ergò Jeſuitæ falſa eſſe convitia ſua, ſuam proinde Societatem inhonorant, tam enormiter mentiendo, cum immani alienæ famæ præjudicio.

ARTIFICIUM SEPTIMUM.

Similibus mendaciis calumniiſque obrepere Principibus, ut à dignitatibus, Officiis & muniis Eccleſiaſticis & civilibus, nullo ſervato juris ordine, tamquam Janſeniſtæ, Rigoriſtæ vel Novatores, vel de Janſeniſmo &c. ſuſpecti arceantur, quotquot Jeſuiticis Novitatibus vel Laxitatibus adverſantur.

UBerrimam iſtius artificii demonſtrationem exhibet Memoriale, à Romana & Hiſpanica Inquiſitione damnatum, quod Catholico Regi, nomine & juſſu Thyrſi Gonzales Præpoſiti Generalis Societatis anno 1698. obtulit Joannes de Palazol ejuſdem Societatis Sacerdos Profeſſus: tot enim infuſcatum eſt mendaciis & calumniis adverſus Theologos Lovanienſes, ut mendaciorum calumniarumque farraginem jure dixeris: videre eſt hoc in Confutatione illius per Belgas Theologos, ubi mendacia illa & calumniæ per articulos referuntur refelluntur que. Et in Præfatione quidem ad Præfationem Memorialis, malè de diſſimulato Janſeniſmo Belgas Theologos accuſare Palazolium, illegitimè etiam

à Sede Apostolica appellare ad *Functam* regiam quæ Jansenistas detegat, sic Theologi Belgæ demonstrant:
„ Adeò irreprehensibilis est doctrina & vita, quam exteriùs profitentur illi, qui invidioso nomine Jansenismi traducuntur in Belgio, ut vel Reverendissimus „ Pater Thyrsus Gonzales Soc. Jesu Præpositus Generalis in eo ipso Memoriali, in quo illos eo nomine „ traducit, illustre de eis testimonium (ingenuè nescio an incautè) coram Majestate sua Catholica perhibeat. Exigebat Evangelium, quod ex fructibus „ arborem cognosci jubet; exigebat Breve Apostolicum „ Innocentii XII. quod de occultis judicari non finit, „ nisi quatenùs innotescunt per actus externos; exigebat recta ratio & sana Dialectica, ut quorum doctrinam & vitam irreprehensibilem esse fateri cogitur exteriùs, eos etiam interiùs irreprehensibiles esse agnosceret, aut saltem de hæresi & pravitate cordis interna non condemnaret: sed quasi posset omne rationis „ & Evangelii lumen in mente Regis Catholici extinguere, ab ipso Memorialis sui exordio, hoc suæ Majestati sophismate illudit.

„ Plures olim hæretici, sub externa castigatioris vitæ ac doctrinæ professione dissimularunt hæresim, igitur qui castigationem hodie vitam ac doctrinam „ profitentur in Belgio, sub ea professione dissimulant hæresim Jansenianam.

„ Quasi aut castigatiorem vitam ac doctrinam exteriùs profiteri, sit hæresim dissimulare, aut ex eo „ quòd quidam sub ista professione hæresim olim dissimularunt, rectè inferri possit, omnes hæresim hodie „ dissimulare, qui castigatiorem vitam ac doctrinam „ profitentur. Profectò si istud argumentandi genus „ semel in Ecclesiam admissum fuerit, jam nemo poterit Jansenismi aut hæresis suspicionem evadere, nisi „ qui rigidioris vitæ ac doctrinæ palam abjectâ professione liberiùs deinceps loqui ac vivere incipiet. Et „ quid, quòd jam inde apud Belgas invaluerit, ut ubi „ primùm quis se pietati dare, & cum paucis arctam „ Evangelii viam ingredi instituit, Jansenista mox audiat.

» diat. Ubi verò liberiùs vivere & ſpatioſas cum mul-
» tis vias ambulare non erubeſcit, mox eſſe deſinat Jan-
» ſeniſta, atque ab omni hæreſeos ſuſpicione libere-
» tur. Piè ſcilicet & ſecundùm Evangelii rigorem vi-
» vere, hoc demum in Belgio eſt Janſeniſmum diſ-
» ſimulare.

» At quomodo Janſeniſmum diſſimulamus, qui, vel
» ipſo Patre Palazol teſte, omnibus nos Tribunalibus
» ultrò ſiſtimus? Si Tribunalia & Judices noſtros legi-
» timos fugeremus, poſſet hoc nobis diſſimulandi arti-
» ficium improperari. Nunc verò cùm fateatur ipſe
» ad omnia nos Tribunalia confugere, profectò, vel
» ipſe contra ſe teſtis eſt, quòd malè nos de diſſimu-
» landi artificio accuſet. Jam ſex anni ſunt, cùm ſta-
» mus coram Sede Apoſtolica (ſteterunt annis octo)
» paſati de ea quæ in nobis eſt fide, doctrina & vita
» omni poſcenti rationem reddere. Accuſat nos Mechli-
» nienſis Archiepiſcopus, qui & alios Belgii Epiſco-
» pos contra nos non ſemel commovit; ex Academia
» Lovanienſi ſuppetias ferunt, *Steyartius*, *Harnæus*,
» *Deſirantius*, accuſatores exercitatiſſimi; Mundi Po-
» teſtates propè omnes, Regulares non pauci, ac præ-
» cipuè Jeſuitæ in auxilium vocantur. Res tota pa-
» lam geritur, in facie Eccleſiæ, in facie adverſario-
» rum implacabilium, in facie ipſius Reverendiſſimi
» Patris Thyrſi Gonzales; cauſa diſcutitur à viris Emi-
» nentiſſimis & ſupremis Eccleſiæ Romanæ Inquiſito-
» ribus. Eſt quæſtio graviſſima, in qua eos negligen-
» tes eſſe non decet: Agitur enim de detegenda quo-
» rundam hominum diſſimulatione, atque adeò de hæ-
» reſi Eccleſiæ & Reipublicæ perniciosa. Agitur de ir-
» reverentia & rebellione adverſus Sedem Apoſtolicam.
» Et poſt hæc omnia (ſi Memoriali fides) aut nos a-
» deò callidi ſumus, aut Sedes Apoſtolica adeò ſtupida,
» ut potuerimus jam ultra ſexennium (imò ultra octen-
» nium) circumſtantibus tot adverſariis oculatiſſimis,
» apud Judices perſpicaciſſimos ſenſa noſtra diſſimula-
» re, & ſummo Pontifici illudere.

» Neque illuſimus tantùm, ſed & *clamorum vi &*

» *ad-*

" *adhærentium potentiâ* (si eidem credimus) decreta " quædam à SS. Patre nostro Innocentio XII. extor- " simus. parum scilicèt erat dissimulationis accusasse " nos, nisi & ignaviæ argueretur Summus Pontifex, " decretaque ipsius Apostolica apud ipsum Regem Ca- " tholicum, *tamquam clamorum vi atque adhærentium* " *potentiâ* extorta traducerentur. Atque hâc calumniâ " verisimile est eos à sua Majestate obtinuisse decreta, " quibus se Brevium Apostolicorum vim elisuros spe- " raverant.

" Non quòd decreta Regia decretis Apostolicis con- " traria sint, sed quòd ea ipsi velut contraria interpre- " tarentur, iisdemque abuterentur ad excludendum ab " officiis & dignitatibus omnes, quos de Jansenismo " suspectos habebant, etiamsi excludi non possent jux- " ta Breve Apostolicum, nec esse legitimè de Janseni- " smo suspecti. Hanc decretorum Regiorum inter- " pretationem & abusum, non ipsa decreta Regia, di- " cimus decretis Apostolicis adversari. Proindè non " Regem Catholicum (ut persuadere vult P. Palazol) " sed sinistros illos Regiæ mentis Interpretes, tamquam " Sedi Apostolicæ inobedientes accusamus.

" Porrò non abuti nos Brevibus Apostolicis apud " Principes & Tribunalia, dum ex illis ostendimus non " esse ampliùs in Belgio nisi Jansenismi phantasma, " quod tantùm in maligna adversariorum nostrorum " idea servatur, in hac Memorialis Confutatione adeò " manifestè demonstrabimus, ut vel ipso adversario- " rum cerebro phantasma illud depulsum iri spere- " mus. At veniamus ad scopum præcipuum Memo- " rialis.

" Asserit P. Palazol eum esse hunc: ut Majestas sua " Catholica mandet formari *Junctam* ex Ministris sta- " tus, ex Ministris qui servierunt in Belgio, & ex " Theologis Aulæ Matritensis, quæ præsidente Cardi- " nali Archiepiscopo Toletano, totum Jansenismi ne- " gotium Jansenistarum artibus obscuratum elucidet.

" Nimirum duo Brevia Apostolica non sufficiunt Pa- " lazolio ad Jansenismi negotium explicandum, etiam

" post-

„ postquam summus Pontifex Innocentius XII. in al-
„ tero suo Brevi affirmavit, solum Breve primum, non
„ tantùm *aptum esse, ubi in ipso præscripta adimplean-*
„ *tur, efficax atque opportunum afferre remedium*; sed
„ etiam adeo clarum, *ut nullâ prorsus explicatione indi-*
„ *geat.*

Porrò *Junctam* illam postulare se dicit non 1. ut Majestas Catholica, Regia Decreta sua Brevibus Apostolicæ Sedis opponat. Nec 2. ut in ea examinentur puncta doctrinæ. Nec 3. ut Majestas sua petat à Sede Apostolica declarari quid credendum sit circà puncta inter Theologos illos controversa, sed tantùm ut examinetur quæstio facti, an damnata Janseniana Doctrina adhuc defendatur in Belgio, remediumque adhibeatur malis irreparabilibus quæ Jansenismus Religioni & statui minatur.

Sed primum non subsistit: Quia eo ipso vult ut sua Majestas Decreta sua Pontificiis opponat Decretis, quo vult eos juxta Decreta Regia tamquam de Jansenismo suspectos esse, quos tales haberi Decretum seu Breve vetat Apostolicum.

Non subsistit etiam secundum: Si enim Palazolius non vellet à *Juncta* examinari doctrinam, cur ab ea examinari vult, an Episcoporum contra Theologos quosdam accusationes vagæ sint, an non vagæ; cùm hoc discerni nequeat, nisi ex Doctrina, ob quam de Jansenismo, Rigorismo, aut Novitate Theologi illi accusantur.

Nec tertium subsistit: Quia si sermo sit de punctis per S. Sedem definitis, aperta calumnia est Theologos Belgas de iis adhuc controvertere, vel novum examen postulare. Si autem sermo sit de punctis verè adhuc controversis, seu nondum definitis, Rex ipse Catholicus optat: ut suam de iis mentem Sedes Apostolica declaret, utpote qui 20. Decembris 1697. *mandasse se* dicit *suo in urbe Legato, ut suo nomine Sanctitati suæ humillimè supplicet, declarare quantociùs ut dignetur, quid in punctis in Belgio controversis sequi, credere, & profiteri debeant veri Romano-Catholici.*

Nec

Nec bene Conscientiam Regiam turbare voluit postulando *Functam* ad finem adhibendi malis remedium. „ Jam enim malis, quæ timenda erant, remedium at„ tulit sua Majestas, dum Breve Apostolicum datum „ 6. Februarii 1694. observari mandavit. Siquidem „ hoc, ut in altero suo Brevi testatur Innocentius XII. „ *aptum est malis omnibus* quæ Episcopi quoad Janse„ nismum exposuerant, *efficax atque opportunum reme„ dium afferre*. . . . . Si proindè aliud malis reme„ dium, aliamque Episcopis auctoritatem (quàm quæ „ ipsis in eodem Brevi conceditur) postulat Palazolius, „ apertè se Brevi Apostolico opponit.

„ Tandem præfationem suam Palazolius concludit „ insigni hâc in Ministros Regis, ipsumque adeò Re„ gem contumeliâ: factionem istam habere adhæren„ tes & protectores in omnibus propè Conciliis Regiis, „ qui auctoritate Regiâ sacrosanctam Episcoporum au„ ctoritatem quotidie conculcent, consilia ipsorum & „ remedia irrita reddendo. Adeò satis illi non erat „ decreta Apostolica tamquam *clamorum vi, & adhæ„ rentium potentiâ* extorta accusasse, nisi & in faciem „ veluti exprobraret Regi, cui Memoriale offert, quòd „ Regia sua Consilia impleat Jansenistis, qui sacram „ Episcoporum auctoritatem conculcent. Nemo cre„ do deinceps mirabitur, tam attocia Palazolium dice„ re in nos, quando talia audet in Regios Ministros, „ Regem, Pontificem. "

Refutatâ calumniosi Memorialis præfatione, pergunt Theologi Belgæ ad refutandos singulos Paragraphos illius; & §. 1. demonstrant 1. Palazolium, dicendo decreta Apostolica à Lovanienſibus extorta fuisse *clamorum vi & adhærentium potentiâ*, sive ut §. 1. dicit *importunis quæstibus, & siniſtris informationibus*, in S. Sedem esse contumelioſum, ut quæ cedat *clamoribus, potentiæ, quæſtibus*, dum stare pro veritate deberet: 2. in eo mendaciter obrepere Regi: „ Si enim his moveri „ potuisset Petra Apostolica, jam dudum vicissent ad„ versarii, qui jactant à se stare (pauculis fortè in Bel„ gio & Gallia exceptis) Orbem totum, omnes Belgii

„ Epi-

" Episcopos, Religiosorum Ordinum in Belgio Provinciales septem, Potestates sæculi plurimas, Academias celeberrimas : 3. Quid de *siniſtris informationibus mutuunt*, qui non ignorant annos duos, & eò ampliùs excipiendis utrinque informationibus datos esse, priusquam Breve Apostolicum 6. Februarii 1694. ad Episcopos Belgii mitteretur? Qui sciunt nihil clam gestum esse, sed communicata utrimque omnia, ut si quid siniſtræ informationi pars alterutra suggereret, id facilè posset à parte adversa detegi & refutari? Qui norunt unum Hennebellum tot adversariorum agminibus obsessum fuisse, quorum diligentiam & perspicaciam numquam potuissent siniſtræ ipsius informationes effugere? Et ne effugissent toto biennii illius spatio quod Breve Apostolicum præcessit, detectæ saltem fuissent post Breve jam editum, dum Belgii Episcopi novis litteris die 19. Julii 1696. ad suam Sanctitatem datis, de toto Janseniſmi negotio eam iterum informarunt.

" Sed nihil à Sede Apostolica retulerunt præter Breve alterum datum 24. Novembris ejusdem anni, quo non tantùm non agnoscit summus Pontifex prius Breve *siniſtris informationibus* obtentum fuisse, sed etiam illud confirmat, additque, mala, quæ quoad Janseniſmum exposuerant Episcopi, non aliundè procedere, quàm quòd illud, ut par est, executioni mandatum non fuisset. Inde iterum fluxerunt anni duo & menses plures, informationes novas promiserat Desirantius, Episcoporum Deputatus, ex urbe discedens, hæ ut mittantur urget ipsa Sedes Apostolica, novos ad informandum terminos usque & usque concedit, sed nihil ab ipsis (post tot annos à discessu ipsius) prolatum hactenus, quo siniſtræ nostræ informationes detegantur : moræ tantùm quæsitæ, quibus impediatur Judicium Sedis Apostolicæ, quod ut sibi parum feliciter cessisse experti sunt in negotio Janseniſmi, ita non felicissimum fore in causa Rigoriſmi fortè præsagiunt. "

Quartò prorsus evincunt Palazolium falsò etiam & ca-

calumnioſè de irreverentia in Regia Decreta Hennebellum accuſare, ipſumque ſupremum Brabantiæ Senatum, qui Decreta Regia juxta Breve Apoſtolicum intelligunt, falſiſſimam accuſationem veriſſima hac narratione ſic refellunt: „ Omnes ſuas adverſus Janſeni-
„ ſmum accuſationes & machinationes uno Brevi Apo-
„ ſtolico ſubverſas eſſe ut viderunt adverſarii, dum iis
„ inſtaurandis nullam ampliùs ſpem ſupereſſe viderunt
„ apud Sedem Apoſtolicam, Hiſpaniam cogitarunt,
„ rem experturi apud Regem Catholicum. Quæ clam
„ Regi pientiſſimo inſuſurrarint, conjicere nolumus.
„ Id certum non minora eos auſos eſſe occultè, quàm
„ apertè audeat in ſuo Memoriali Palazolius: Breve A-
„ poſtolicum *clamorum vi*, *adhærentium potentiâ*, *im-*
„ *portunis queſtibus*, *ſiniſtris informationibus* extortum
„ fuiſſe, periclitari Religionem Catholicam in Belgio
„ à Janſeniſtis, conſtare id ex unanimi Epiſcoporum
„ omnium Belgii teſtimonio, conari hos pro viribus
„ Janſeniſmo obſiſtere, ſed impediri à Conſiliis Regiis,
„ quæ Janſeniſtarum Protectoribus & adhærentibus
„ plena ſunt.

„ His & ſimilibus obtinuere Decreta Regia, quibus
„ Janſeniſtæ, & de Janſeniſmo ſuſpecti, eorumque
„ adhærentes & protectores, ab omni officio, dignita-
„ te & cathedra excludi jubentur, ſimulque prohiben-
„ tur Miniſtri Regii Epiſcopos in executione ſuæ Juriſ-
„ dictionis ſpiritualis impedire.

„ Mox triumphabundi adverſarii, ſic Decreta Regia
„ interpretati ſunt, ac ſi contraria forent Brevi Apo-
„ ſtolico, iiſque adverſus quoſvis ſibi ſuſpectos, etſi
„ minimè ſuſpectos juxta Breve, abuti cœperunt. Ob-
„ ſtitit interpretationi iſti Hennebellus apud Sedem A-
„ poſtolicam, Decretaque Regia ſic perverſè intellecta
„ Brevi Apoſtolico contraria eſſe dixit, verùm nihil
„ magis à mente ipſius alienum, quàm accuſare Decre-
„ ta iſta, intellecta juxta Breve Apoſtolicum, imò ſic
„ intelligenda eſſe, non uno poſtea Memoriali conten-
„ dit. Et ſanè, ſi, ut par eſt, intelligantur Decreta
„ Regia, perfectiſſimè ea cum Decretis Apoſtolicis

„ con-

» consentiunt ; conspirant utraque ad Fidem conser-
» vandam , ad terminanda dissidia , ad curandum ut
» administretur Justitia omnibus. Si quod inter illa
» discrimen prima fronte appareat, id non aliundè ori-
» tur, quàm quòd summus Pontifex expresserit diserte
» id quod Rex Catholicus tacitè supposuit. Diversa
» autem ista expressio ex diversis informationibus nata
» est. Summus Pontifex instructus in Judicio contra-
» dictorio , per informationes coram Sede Apostolica
» prolatas per partis unius accusationes, & expurgatio-
» nes alterius, non supposuit esse Jansenistas in Belgio,
» sed eos qui illo nomine traducebantur , examinari
» voluit legitimè in Judicio , vetuitque quemquam à
» muniis excludi , nisi eam pœnam commeruisse ser-
» vato juris ordine probatum fuisset ; Rex verò, non
» instructus nisi ab iis qui Theologorum Belgii accusa-
» tores sunt , dum audiit Theologos illos esse hæreti-
» cos notorios , convictos & apertos quinque proposi-
» tionum & aliarum condemnatarum defensores , eo
» facto supposito, ab omnibus eos muniis excludi man-
» davit; tacitè tamen insinuans , dum de facto illo non
» constaret legitimè , debere accusatos servato juris or-
» dine convinci , priusquam possent à muniis excludi,
» itaque plena est inter Brevia Apostolica & Decreta
» Regia consensio. Hoc solùm inter ea discrimen est,
» quòd supposuerit tacitè sua Majestas , quod diserte
» mandavit sua Sanctitas.

» Cùm verò accusatores manifestè Decretis Regi-
» abuterentur , dicerentque juxta ea non debere, ser-
» vato juris ordine, convinci eos , quos à muniis re-
» pellebant, coactus fuit Hennebellus abusum istum &
» discrimen inter mandata Regia & Apostolica exhibe-
» re, discrimen , inquam , quod detegebat accusato-
» rum calumnias , qui dum non potuerant obrepere
» Pontifici , ubi præsentes erant accusati , obrepsere
» Regi Catholico, ubi neminem qui ipsorum causam
» ageret habebant. Neque verò debitæ Principibus re-
» verentiæ deest , qui factas ipsis ad opprimendos In-
» nocentes obreptiones reverenter ostendit , juxta Ca-

» roli

„ roli Calvi Imperatoris legem ejusdem Capitularibus „ insertam.

Porrò quàm fundata sit assertio, quæ Regia Decreta cum Brevi Apostolico de die 6. Februarii 1694. concordans, illa juxta illud Breve intelligenda dicit, non solùm manifestum est tum ex eo quòd Rex, tamquam Dux Brabantiæ, juraverit servaturum se primum Articulum *Iati Introitus*, qui habet, quòd Rex facturus non sit, nec passurus fieri quovis modo, ullam violentiam habitatoribus Provinciæ, nec passurus ut procedatur respectu subditorum, aliter quàm viâ Justitiæ, gubernaturusque sit omnes eâdem illâ viâ justitiæ, per Judices legitimos in Patria constitutos: Tum ex eo quòd dicti Brevis executionem sua Majestas fulcire promiserit *protectione sua Regia* per litteras 10. Junii 1697. ad Archiepiscopum Mechlinienſem & omnes Belgii Episcopos datas. Quod & de novo confirmavit per mandata data 20. Decembris: Tum denique ex eo quòd Regis æquitas, & observantia erga Apostolicam Sedem, dictet, Decreta illa taliter esse intelligenda.

His tamen non obstantibus incredibili audacia supremum Brabantiæ Consilium Palazolius de irreverentia in Regem accusare non veretur, ex hoc quòd in sapientissimo suo ad Serenissimum Bavariæ Ducem Consulto de 13. Aprilis 1696. Decreta Regia juxta Decreta Apostolica intelligat, ne istis contraria sint, sed ipsummet Consultum istud obtrectatoris sui calumniam satis convincit: Nihil quippe eo sapientius pro justa mandatorum Regiorum executione, nihil erga Sanctam Sedem Apostolicam ejusque Decreta reverentius, sed pudor est quòd sit Palazolio crimen, Decreta Regia juxta Decreta Apostolica intelligere.

§. 2. Theologi Belgæ demonstrant falsissima esse, & viris apprimè Catholicis injuriosissima, quæ hoc §. Palazolius aliquibus ex ipsis affingit crimina, seditionis, rebellionis & hæresis, eadem utique, quæ ipsis anno 1697. publicè affinxerat Archiepiscopus Mechlinienſis, qui ea de causa in jus vocatus, etsi iteratis citationibus pressius ut probaret accusationem suam, cùm in probando

bando deficeret, ſecludi ſe permiſit, actoreque non probante rei abſoluti ſunt.

Eodem §. duas alias calumnias adjicit Palazolius, dictos ſcilicet Theologos libellos famoſos ſcribere in Epiſcopos ſibi non propitios, Breveque S. D. N. Innocentii XII. extollere, non ut Vicarii Chriſti auctoritatem tueantur, ſed ut ſub apparenti Brevis illius favore parti Catholicæ, Regi Regiiſque Miniſtris ſilentium doloſè imponant.

Sed primum aberrat à vero, neque enim ſcripſerunt, niſi quantum neceſſe fuit, ut ſe & famam ſuam expurgarent ab accuſationibus non juſtis.

Secundum inſignis in Summum Pontificem & Regem calumnia eſt. Cùm hoc ſit apertè dicere, dolum latere in ipſo Brevi Apoſtolico, quem neque Summus Pontifex, neque Rex Catholicus advertat, cúmque Breve Apoſtolicum Theologi illi ſimpliciter, abſque reſtrictione, expoſitione, aut interpretatione admittant, non poſſunt per illud doloſè ſilentium imponere, niſi Breve ipſum doloſum ſit, atque ad imponendum parti Catholicæ, Regi, Regiiſque Miniſtris compoſitum.

§. 3. Demonſtrant Palazolium manifeſtum eſſe calumniatorem, in eo quod ait, Theologos Belgas Conſtitutionibus SS. Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. ſemper pertinaciter obſtitiſſe. Cùm Orbi & Urbi notum ſit neminem in Academia Lovanienſi ad gradus admitti, qui non priùs juret ſe Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Conſtitutiones recipere, propoſitioneſque iis damnatas damnare; notum etiam quòd in declaratione Eminentiſſimis Cardinalibus S. Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Generalibus Inquiſitoribus die 10. Septembris 1700. oblata & coram iiſdem relata die 22. ejuſdem hanc ſolemnem fecerint proteſtationem: *Ut conſtet de eorum obedientia ac reverentia erga S. Sedem, iterum obedienter ac reverenter ſeſe ſubjiciunt Conſtitutionibus & decretis Apoſtolicis SS. Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VIII. Innocentii XI. Alexandri VIII. omneſque ac ſingulas propoſitiones in iis, dam-*

damnatas, prout eas Apostolica Sedes damnat, rejiciunt pariter ac damnant. Secundo pari obedientia & veneratione recipiunt decretum Innocentii XII. die 28. Januarii 1694. in formularii negotio editum, uti & Breve die 6. Februarii ejusdem anni, & alterum die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii missa, quæ ad extinguenda jam pridem excitata inter Theologos dissidia sapientissimè Sua Sanctitas scripsit, & singulari cura observari voluit. Tertiò, si quando ad jurandum formularium Alexandri VII. eos adigi contingat, jurabunt illud juxta modum & normam Brevibus illis præscriptam, nimirum sincerè, absque ulla distinctione, restrictione seu expositione, damnando quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt à Christi fidelibus.

Cúmque Innocentii X. Constitutio adversus quinque propositiones Jansenii pridie kal. Junii 1653. prodiisset, eo ipso anno kal. Augusti in solemni Universitatis Congregatione promulgata, atque omnibus reverenter accepta fuit. „ Cúmque nihilominus æmuli spargerent „ Facultatem Lovaniensem, spretâ Innocentii X. cen„ surâ, quinque damnatas propositiones, aut ex iis sal„ tem aliquam docere, Facultas sacra graviter indigna„ ta, Typis mandavit, ediditque *Declarationem*, in qua „ palam profitetur 1. rumorem illum omninò falsum ac „ calumniosum esse. 2. De illis quinque propositioni„ bus se controversiam nullam moviisse, aut ab aliis „ motæ interveniisse. 3. Se nec censuræ ferendæ obsti„ tisse, nec contradixisse jam latæ. 4 Se eamdem „ censuram reverenter suscepisse, propositionesque „ per eam proscriptas censuisse habendas pro damnatis, „ nec earum ullam quemquam docere aut docuisse.

„ Atque hujus suæ declarationis exemplar authenti„ cum transmisit ad summum Pontificem, paratam e„ tiam se exhibens, neminem ad gradus admittere, qui „ non religiosam Constitutioni illi observantiam juraret: „ at sufficere censuit Innocentius X. ea quæ jam sacra „ Facultas præstiterat, nec juramentum ultrò etiam o„ blatum exegit. „ An-

„ Anno 1656. 17. kal. Novembris prodiit Conſtitu-
„ tio Alexandri VII. quam & mox Academia Lova-
„ nienſis amplexa eſt. Cùm verò nec tunc ceſſarent
„ quidam Facultatem Theologicam accuſare, coacta
„ hæc iterum fuit ſuum coram Alexandro VII. de ejus
„ & Innocentii X. Conſtitutionibus ſenſum profiteri
„ litteris 20. Martii 1660. datis in hæc verba: *Nemo*
„ *ullum prædictorum articulorum in ſcholis noſtris tueri,*
„ *aut eorum condemnationi obſtrepere præſumit. Conſti-*
„ *tutionum Apoſtolicarum inconcuſſa viget, vigebitque*
„ *reverentia & obſervantia, in cujus uberiorem teſtifica-*
„ *tionem pauculis menſibus poſt emanatam Bullam Inno-*
„ *centii X. eidem litteras deſtinavimus, in quibus ultrò*
„ *inter cetera ſub beneplacito ejuſdem obtulimus, neminem*
„ *admittere ad Gradus Academicos, niſi priùs religio-*
„ *ſam obſervantiam prædictæ Conſtitutionis promittat, ac*
„ *juret obedientiam. Quod ipſum etiam denuò cum ea-*
„ *dem animi ſubmiſſione Sanctitati ſuæ quoad Bullam*
„ *ſuam ſuper eadem materia ſubſequenter emanatam*
„ *offerimus.*

„ Hiſce litteris ſic reſpondit Alexander VII. eodem
„ anno die 7. Auguſti: *Litteras veſtras die 20. Martii*
„ *datas accepimus, & in eo ſanè quòd quinque propoſitio-*
„ *nes illæ, tam in Conſtitutione felicis record. Innocentii X.*
„ *Prædeceſſoris noſtri, quàm in alia noſtra poſtea damna-*
„ *tas tantoperè deteſtemini, ut neminem admittere ad*
„ *Gradus Academicos velitis, niſi priùs religioſam obſer-*
„ *vantiam prædictarum Conſtitutionum promittat ac ju-*
„ *ret; zelum veſtrum unicè commendamus.*

„ Summo plauſu hoc Breve Apoſtolicum receptum
„ fuit à Facultate Theologica, quæ mox decrevit, ut
„ gradum deinceps aliquem ſuſcepturis præſcriberetur
„ hæc formula, *Jurabis te quinque Articulos per Con-*
„ *ſtitutiones SS. Pontificum Innocentii X. & Alexandri*
„ *VII. damnatos damnare, iiſdemque Conſtitutionibus re-*
„ *ligioſam obſervantiam præſtare*, de quo certiorem mox
„ reddidit Alexandrum VII. Hoc juramentum in ho-
„ diernum uſque diem viget, præſtitumque eſt à Bel-
„ gis Theologis, quos Palazoliùs accuſat.

„ Ex his Orbis Christianus intelliget per calumniam „ nobis affingi, 1. Quòd contradicamus SS. Pontifi- „ cum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii „ X. vel Alexandri VII. Constitutionibus. 2. Quòd „ quinque propositiones condemnatas aut ex illis ali- „ quam defendamus. 3. Quòd sincera non sit nostra „ erga Brevia sanctissimi D. N. Innocentii XII. sub- „ missio.

„ Simul constabit omnibus, Jansenistas non esse in „ Academia Lovaniensi, aut Belgio Catholico, sed fin- „ gi eos tantùm in eorum cerebro, quorum interest „ tale phantasma in mundo fovere.

„ At mentimur (ait Palazolius §. 7.) dùm obedien- „ tiam erga Decreta Apostolica protestamur, dumque „ juramus nos quinque propositiones damnare, dum „ denique exteriùs doctrinam S. Augustini, & vitam „ austeram profitemur. Ista namque est artificiosa illa „ dissimulatio nostra. R. Audax & impudens accusatio: „ vel enim signo aliquo externo prodimus nos mentiri, „ vel non prodimus? Si id signo aliquo externo proda- „ mus, potest signum istud deprehendi ac proferri. „ Jam autem sexennio & amplius stamus coram Sede „ Apostolicâ, provocamus, rogamus, obtestamur, tum „ P. Palazol, tum Reverendissimum P. Thyrsum Gon- „ zales, totamque adeò Societatem & Accusatores no- „ stros omnes, ut coram Tribunali Apostolico signum „ aliquod proferant, quo mendacia nostra detegant ac „ probent: hactenus non protulere ullum, protulissent „ tamen, si quo umquam signo externo nostra men- „ dacia prodidissemus. Sequitur ergò numquam nos „ signo aliquo externo ea prodidisse. Porrò si num- „ quam signo aliquo externo ea prodiderimus; quæro „ à Palazolio unde ea ipsi innotuerint? Testatur enim „ nuperum Breve Apostolicum, interna, quæ nullo a- „ ctu externo produntur, soli Deo cordium scrutatori „ innotescere, nec existimo eum id sibi privilegii arro- „ gare. Si ea ipsi non innotuerint, quâ tandem impu- „ dentiâ ea accusat; & sic accusat, ut dicat, ponere „ nos *mendacium spem nostram*, & gloriari quòd *men-*

„ *dacio*

„ *dacio protecti ſumus?* Judicet Orbis, an hoc potiùs
„ non quadret in eos, qui tanto jam tempore clamant
„ eſſe in Belgio Janſeniſtas, Rigoriſtas & Novatores,
„ & dum ad id probandum coguntur coram Sede A-
„ poſtolica, in probatione deficiunt, & ne unum qui-
„ dem in Belgio eſſe, in hunc uſque diem oſtendere
„ potuerunt.

„ Inſtat tamen Palazolius § 4. quomodo præſumi
„ poteſt, quòd judicium & teſtimonium concors tot
„ venerabilium Epiſcoporum, qui junctim de Janſeniſ-
„ mo alicujus deponunt, ſit vaga, levis & confuſa ac-
„ cuſatio?

„ R. Quàm falli hac in re poſſint Epiſcopi Belgii (qui
„ quinque ſolummodo numerantur, in Provincia Me-
„ chlinienſi, & cum Namurcenſi ſenarium numerum
„ non excedunt) ex iis quæ in urbe geſta ſunt didicit
„ Majeſtas ſua Catholica. Concors erat omnium Bel-
„ gii Epiſcoporum (quibus & Vicarius Apoſtolicus
„ Sylvæducenſis ſe junxerat) teſtimonium, Theologos
„ Belgas, quos accuſabant, eſſe Janſeniſtas, aut ſaltem
„ de Janſeniſmo ſuſpectos. Eximium P. Deſirantium
„ ex Ord. S. Aug. Doctorem Theologum, qui id no-
„ mine ipſorum teſtaretur, in urbem deputarunt, i-
„ dem teſtati ſunt plures Academici Lovanienſes, Theo-
„ logorum illorum æmuli. Acceſſit his teſtimonium
„ Provincialium ſeptem è variis in Belgio Religioſis Or-
„ dinibus. Et tamen re diligentiſſimè diſcuſſâ, adeò
„ non judicavit Sedes Apoſtolica, teſtimonia iſthæc om-
„ nia ſufficere, ut Theologi illi, qui accuſabantur,
„ haberentur Janſeniſtæ, aut de Janſeniſmo ſuſpecti,
„ ut è contra ipſis Epiſcopis injunxerit, *ne ulla ratione*
„ *quemquam vagâ iſtâ accuſatione & invidioſo nomine*
„ *traduci aut nuncupari ſinerent, niſi priùs ſuſpectum*
„ *eſſe legitimè conſtiterit, aliquam ex quinque propoſitio-*
„ *nibus docuiſſe aut tenuiſſe.*

„ Si adverſus hoc Sedis Apoſtolicæ Decretum clamet
„ Palazolius, præſumi non poſſe, judicium & teſtimo-
„ nium concors tot venerabilium Epiſcoporum, eſſe
„ accuſationem *vagam, levem, confuſam*; nos eo De-

„ creto nixi intrepidè asserimus talem esse, nisi probe-
„ tur legitimè, Theologos illos suspectos esse, quòd
„ aliquam è quinque propositionibus doceant vel te-
„ neant.

„ Si quærat (uti quærit) ubi ad securitatem con-
„ scientiæ Regiæ inveniri possint accusationes non va-
„ gæ, si vagæ sint istæ? Dicimus eas haberi posse, non
„ solùm apud Belgii Episcopos, sed etiam apud quos-
„ vis alios, qui probaverint legitimè, esse quosdam de
„ doctrina quinque propositionum suspectos: sed dum
„ hoc non probatur legitimè, dicimus eas nusquam
„ posse juxta Breve Apostolicum inveniri.

Et hoc est quod adeò justitiæ & æquitati consonum censuit Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. in Palatio Regio San-germano congregatus, ut declaraverit se *tolerare nolle importunos & malevolos homines* (Palazolio similes) *qui viris bonis doctisque & Ecclesiasticæ rei studiosis vagam & invidiosam Jansenismi accusationem inferunt, eo quoque nomine, quòd morum corruptelas acriter insectentur. Cùm nos pro candore & æquitate Episcopalis Ordinis neminem pro suspecto habituri simus, nisi eum, qui aut Constitutionibus Apostolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis propositionibus tueatur, tuerique legitimè constet* juxta Breve Innocentii XII. Sequitur enim *quod etiam ab antecessoribus nostris sæpè sancitum, & Regiâ auctoritate firmatum, & ab optimo maximoque Pontifice Innocentio XII. applaudente totâ Ecclesiâ, constitutum est.*

„ Si rursus dicat fieri moraliter non posse, ut quis
„ per decreta Regia excludatur ob accusationes vagas,
„ dum non excludetur nisi ob accusationes fundatas in
„ concordi Episcoporum Belgii testimonio. Iterum
„ respondemus, toties id fieri, quoties legitimè non
„ constat eum qui excluditur, aliquam è quinque pro-
„ positionibus docuisse aut tenuisse. Cujus oppositum
„ dum Palazolius probare nititur ex decretis Regiis,
„ decreta Regia cùm decretis Apostolicis, & Regem
„ Catholicum cum Summo Pontifice committit. Quia
„ eos vult juxta decreta Regia de Jansenismo suspectos

„ habe-

„ haberi, quos de eo ſuſpectos haberi vetat Breve A-
„ poſtolicum.

Ex his Theologi Belgæ § 5. certiſſimè demonſtrant, nullos in Belgio Catholico eſſe Janſeniſtas. „ Siquidem
„ nullâ ratione quiſquam invidioſo nomine Janſeniſmi
„ traduci aut nuncupari poteſt, niſi priùs ſuſpectum
„ eſſe legitimè conſtiterit, aliquam ex quinque propo-
„ ſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe: atqui hoc de nullo in
„ Belgio Theologo conſtat legitimè, imò verò legiti-
„ mè conſtat neminem illic eſſe, qui aliquam ex iſtis
„ propoſitionibus doceat aut teneat; cùm nemo illic ſit
„ qui illas non ejuravit jam pridem, aut certè illas eju-
„ rare non ſit paratiſſimus. Ergo nullus eſt in Belgio
„ Theologus qui invidioſo nomine Janſeniſmi tradu-
„ ci aut nuncupari poſſit, multò minùs qui ſit Janſe-
„ niſta.

„ Ad hoc argumentum reſpondeat Palazol, ſi poſſit:
„ aſſumptum, ſunt verba ipſa Sedis Apoſtolicæ; ſub-
„ ſumptum notorium eſt ex dictis; conſequentia adeo
„ manifeſta ut nec ipſe eam negaverit. "

Objicit ipſe 1. Multi in Belgio de Regiis adverſus Janſeniſtas Decretis lachrimabiliter queruntur. Ergo ſunt in Belgio Catholico Janſeniſtæ.

„ R. Nullos eſſe qui de iis queruntur, quaſi in ſe
„ injuſta ſint, ex hypotheſi quòd ſint in Belgio Janſe-
„ niſtæ, ut falſò æmuli perſuaſerunt Regiæ Majeſtati,
„ ſed totam querelam eſſe de eo quòd per falſiſſimum
„ prætextum illum, calumnioſiſſimaſque Jeſuitarum
„ informationes extorta fuerint, ſicut & de eo quòd mul-
„ ti iis contra Breve Apoſtolicum adverſus Innocentes
„ abutantur " v. g. adverſus Doctorem admodum excellentem Hennebellum, qui licèt à ſancta Sede, Facultate Theologica, & tota Univerſitate Lovanienſi (per acta data 7 & 8. Maii 1694.) præclara habeat teſtimonia, quæ fidem ipſius ab omni ſuſpicione non ſolùm omninò liberam reddunt, ſed & merita ipſius magnopere extollunt, de eoque Excellentiſſimus D. Dux de Medina-cæli Regius in urbe legatus ad Sereniſſimum Bavariæ Ducem 28. Novembris 1693. ipſiſſimis hiſce

terminis ſcripſerit: „Sereniſſime Domine, jam jamex „ mandato Congregationis ſancti Officii per D. Cardi- „ nalem Aguirium commonitus ſum, ut informem E. „ V. C. nihil eſſe ex parte Congregationis, quod im- „ pediat, quominus Doctori Hennebel poſſit conferri „ quodcumque munus aut lectio quæcumque Univerſi- „ tatis Lovanienſis: id ipſum etiam ſignificatum eſt In- „ ternuntio Bruxellenſi per litteras ipſi ſcriptas. Com- „ munico id E. V. Celſitudini, ut unà cum eodem In- „ ternuntio non ferat, ut ea in re obſtaculum ullum „ ponatur Doctori illi, de quo debeo hoc teſtimonium „ perhibere E. V. C. quòd ipſum hìc invenerim valdè „ circumſpectum & prudéntem, ac dignum cujus mul- „ ta ratio habeatur, & quem E. V. C. ſua protectione „ dignetur. " Ideóque ſua Celſitudo Electoralis, mu- nus Cenſoris Regii (tunc vacans) ipſi contuliſſet. Falſis nihilominùs ſuis apud Regem informationibus per D. Archiepiſcopum Mechlinienſem Jeſuitæ à Rege extor- ſerunt mandatum datum 10. Junii 1694. quo Doctor tam inſignis, eo tempore quo tamquam Univerſitatis Lovanienſis deputatus, tam utiliter laborat Romæ ad pacem inter Theologos Belgii componendam, tamquam de Janſeniſmo ſuſpectus abſque ullo juris ordine cum ignominia excludebatur à Facultate ſtrictiore Theologi- ca, collatoque ſibi Cenſoris munere privabatur.

Objicit 2. Sunt in Belgio, qui reformatum vel- lent Sedis Apoſtolicæ de quinque propoſitionibus judi- cium.

„ R. Iſtam eſſe manifeſtam calumniam, ad quam „ confutandam alio inſtrumento opus non eſt, quam „ illo ipſo Memoriali anni 1696. ad quod provocat Pa- „ lazolius. Siquidem illic §. 2. apertiſſimè dicitur, „ quòd qui de Janſeniſmo recuſantur, *conſtanter reji- ciant quinque propoſitiones, in eo ſenſu in quo eas ſum- mi Pontifices condemnarunt, hoc eſt in ſenſu obvio; quódque eas condemnent in Auctoribus quibuſcumque, ubi eo ſenſu inveniuntur: additur id eos præſtitiſſe ſemper, tam poſitivè ac publicè, ut numquam calumnia craſſior fuc- rit; quàm quâ errores iſtos tueri accuſantur.*

Ob-

Objicit 3. Coloniæ anno 1696. reimpressa sunt Baii opera, cum præludio, in quo Pontifices in condemnandis Baii & Jansenii propositionibus errasse dicuntur.

„ R. Nihil hæc ad Theologos Belgas, qui omnes „ profitentur palàm, se propositiones à SS. Pontifici„ bus condemnatas condemnare. Quare si illic dican„ tur Pontifices omnes in condemnandis illis proposi„ tionibus errasse, vel hinc constat novam istam im„ pressionem ipsis imputari non posse. "

Objicit 4. in libro, cui titulus: *Bibliotheca Hispana vetus* tom. 1. l. 6. c. XI. defenditur hæc S. Prudentii Trecensis in Gallia Episcopi sententia, tamquam verè Catholica, & Hincmari Censurâ indigna: *Sanguinem Christi pro omnibus fusum credentibus, non verò pro his qui nunquam crediderunt, nec hodiè credunt, nec unquam credituri sunt.* Quæ cùm sit quinta inter Jansenianas, eam non defenderet scriptor aliquis Catholicus. Igitur defensio ipsius adscribi non potest Nicolao Antonio, Bibliothecæ illius Auctori, filio Ecclesiæ Catholicissimo; multo minus Cardinali Aguirio, cujus mandato & expensis Bibliotheca ista posthuma Romæ a. 1696. impressa est. Igitur propositionis istius defensionem inseruit Jansenista aliquis, ad conciliandam ipsi sub nomine Cardinalis Aguirii & Nicolai Antonii auctoritatem.

„ R. 1. Nihil etiam hoc ad Theologos Belgas. 2. De „ industria Palazolium tam insulsè ratiocinari, ut D. „ Nicolaum Antonium, ac præcipuè Eminentissimum „ Aguirium, non ausus apertè, per occultas ambages „ faceret, si posset, Jansenistas. Nam etsi in antecedente „ dicat. . . . defensionem illius propositionis ipsis ad„ scribi non posse, infert tamen indè consequens tam „ apertè falsum, ut nemo dubitare possit, quin ejus „ oppositum sit verum: atque ita ex opposito conse„ quentis inferat oppositum antecedentis. Quis enim „ credat Jansenistam aliquem Romæ, nesciente Cardi„ nali Aguirio, Bibliothecæ illi defensionem istius pro„ positionis inseruisse aut inserere potuisse? Si autem

„ Jansenista aliquis eam non inseruerit, adscribi sanè ea „ debet D. Nicolao Antonio Bibliothecæ Auctori, & „ Cardinali Aguirio, qui editionem Bibliothecæ cura„ vit, & ut habetur in monitis ad Lectorem pag. 38. n. 8. „ *Editionem, ut accuratissima & correctissima esset, com„ misit Bibliothecario & Convictori suo D. Emmanueli* „ *Marti, natione Hispano, & patria Valentino, satis no„ to Romæ ob singularem eruditionem græcam & latinam,* „ *qui ingenti curâ & pertinaci labore duo hæc volumina* „ *Bibliothecæ veteris fidelissimè edenda & corrigenda cu*„ *ravit, ac propterea ad marginem quibusdam locis ad*„ *jecit notulas aliquot opportunas ejusdem Cardinalis no*„ *mine*, ipse verò D. Emmanuel pag. 36. præcedenti „ declarationem hanc facit: *In hujus Operis editione, id* „ *præsertim nobis observandum proposuimus, ne scilicet* „ *correpta auctoris verba vel in re minima mutaremus,* „ *exceptis iis, quæ ex scriptorum sive incuria, sive igno*„ *rantia, soloeca evaserant, ac frequenti stribiligine af*„ *flata. Id enim in prole posthuma necessarium apprimè* „ *existimo, ne illatam ei à manu obstetrice fraudem su*„ *spicentur, aut dolo malo depexam atque fucatam.*" Diligentissimè ergò cavit ne quid per fraudem dolosè insereretur, nec adulterina insertio latuisse potuisset Aguirium: maximè cùm Bibliothecæ istius exemplar, ipsa auctoris manu descriptum, quale ex Hispania missum fuerat, apud suam Eminentiam adhuc extaret, indeque certò ostendi posset, adulterina manu suppositum non fuisse, quòd pro defensione S. Prudentii Tricassini scripsit Nicolaus Antonius. De quo interrogatus Aguirius, palàm haud dubiè confessurus fuisset, dictæ propositionis defensionem suo scitu & consensu, imò & mandato editam fuisse. Quæ cùm non ignoraverit Palazolius, non ignoravit ergo se D. Nicolaum Antonium, ipsumque Aguirium Jansenismi insimulare, dum illius defensionis auctorem Jansenismi condemnavit.

„ Imò cum ipsis S. Prudentium, aliosque ejusdem sæ„ culi viros Sanctissimos, utique S. Remigium cum tota „ Ecclesia Lugdunensi, & Ecclesiæ Concilia, Valentinum,

„ Lin-

„ Lingonenſe, aliaque Janſeniſmi condemnat. Siqui-
„ dem hi omnes ſententiam S. Prudentii confirmarunt;
„ nec tamen quintam Janſenianam tradiderunt, uti
„ nec S. Proſper, qui in reſponſ. ad capitul. 9. Gallo-
rum dixit, *Poſſe Salvatorem dici pro his tantùm cruci-
fixum, quibus mors ipſius profuit*; manifeſtum eſt enim
tum S. Prudentium, tum S. Proſperum tantùm loqui de
morte & ſanguine Chriſti quoad efficaciam: adeóque à
damnato quintæ propoſitionis ſenſu longè abeſſe.

Objicit 5. Quòd adhuc ſint Janſeniſtæ in Belgio, a-
pertum eſt ex libris qui quotidie eduntur, & Theſibus
quæ ſæpè propugnantur, cum quinque propoſitionibus
condemnatis tam Lovanii quàm alibi.

„ At impudens calumnia eſt, tales libros aut Theſes
„ propugnari in Univerſitate Lovanienſi, vel alibi ab
„ iis quorum cauſam egit Hennebellus in urbe, nec u-
num exemplum proferre poteſt Palazolius; uti nec po-
tuit Deſirantius, qui vel ad unum proferendum ſæpiùs
in urbe ab Hennebello provocatus, obmuteſcens dare
coactus fuit victas manus.

At (inquit) Aguirius in libro quem inſcripſit, *De-
fenſio Cathedræ Petri*, varias Lovanienſium propoſitiones
de Janſeniſmo accuſat.

At audiat Palazolius Aguirium ſe retractantem, poſt-
quam in urbe vidit qua ſinceritate Hennebellus Lova-
nienſium ſenſum expoſuit: videns namque alio ab ipſis
ſenſu accipi accuſatas à ſe propoſitiones, quàm antè pu-
taverat, hoc de ipſis reddidit teſtimonium 4. Januarii
1699. *Cùm Dogmata illa Janſeniana Theologi Lovanien-
ſes, jam diu per ſuum deputatum pluribus ſcriptis Sedi
Apoſtolicæ exhibitis, in eodem ſenſu obvio ſeſe damnare de-
claraverint, ac palàm ſe in hac materia communem apud
Thomiſtas doctrinam ſequi profiteantur, de his nolim in-
telligi quæ tum in hoc opere (Th. S. Anſelmi) tum in ſe-
quenti Defenſione Cathedræ S. P. contra Janſenianos, ſi
qui ſint, habentur. . . . Et ideò nullum ipſorum de Jan-
ſeniſmo ſuſpectum eſſe velim, & propria manu ſubſcripſi,
teſte oculato Magiſtro Franciſco Joſepho Fernandez Con-
gregationis Benedictinæ Hiſpaniarum Magiſtro definitore*

Generali, olim Abbate Regii Monaſterii S. Æmiliani de Cuculla. Roma die 4. menſis Januarii anni 1699. ſignatum Joſephus Cardinalis de Aguire, & ſigillatum ſigillo ipſius, & infrà. De Mandato Eminentiſſimi Domini mei Joſeph M. de Peregrinis Secretarius.

Objicit denique damnatas ab Alexandro VIII. propoſitiones 31. ſicut & propoſitiones per Belgium diſſeminatas.

Verùm nemo eſt in Belgio qui priores poſt condemnationem defendat, nec Palazolius facilè oſtendet fuiſſe qui illas ante condemnationem defenderint in Belgio.

Auctores libelli propoſitionum per Belgium diſſeminatarum ſcriptis publicis tam efficaciter confutarunt Huyghenius, Opſtratius, aliique inter accuſatos præcipui, ut ad eorum reſponſiones nemo aliquid hactenus reponere auſus fuerit; & quamvis inter eas aliquæ ſint quæ cenſuram merentur, illæ tamen Lovanienſium non ſunt, nec Belgii Theologorum, ſed ex libellis anonymis, hæreticis vel extraneis, ad conflandam Lovanienſibus invidiam collectæ; nec ad Lovanienſes pertinent propoſitiones quas Palazolius citat ex *nova editione operum Baii*, ex *Adumbrata Eccleſia Romana defenſione*, ex *Ultima voce zelatricis Innocentiæ*.

§. 6. Palazolius à Janſeniſtis tranſit ad Rigoriſtas & Novatores. Sed felicior non eſt in probando Theologorum Lovanienſium Rigoriſmo vel Novatiſmo quàm Janſeniſmo.

„ Ad eum probandum argumenta adfert potiſſimùm
„ duo. Primò teneri in Belgio à Rigoriſtis omnes fe-
„ rè propoſitiones 31. ab Alexandro VIII. condemna-
„ tas, ejuſque Decretum repudiari. Secundò teneri
„ ibidem varias alias propoſitiones eo Decreto non com-
„ prehenſas, quas doceri dicit à Doctore Huyghens in
„ *Methodo remittendi & retinendi peccata*, ab Ægidio Ga-
„ brielis in *Morali Chriſtiana & diabolica*, à Doctore Ar-
naldo in lib. *De frequenti Communione*. Quos tres tractatus Romæ damnatos aſſerit.

Sed primum omninò falſum eſt & calumnioſum: falſum quoque quòd Alexandri VIII. decretum ab ipſis re-

repudietur. Falſum tertiò quòd variæ propoſitiones, quas præter damnatas ab Alexandro VIII. profert, contineantur in *Methodo*, & lib. *De frequenti Communione*. Quartò falſum quòd eædem in Belgio doceantur ab iis quos Rigoriſtas vocat. Falſum quintò quòd *Methodus remittendi & retinendi peccata*, & liber *De frequenti Communione* Romæ damnati ſint. Nec minùs falſa & calumnioſa, quæ in fine §. 6. inſinuare videtur, eſſe in Belgio, qui B. Virgini hoſce denegent titulos, *Mater miſericordiæ*, *Refugium peccatorum*, *Mediatrix noſtra*, &c.

Cùm igitur nonniſi calumnias adferat ad probandum eſſe in Belgio Rigoriſtas & Novatores, ab hujus ſuſpicione Theologi Belgæ abſolvendi ſunt, nulloſque eſſe, non ſolùm probatur iſto negativo, ſed & certiſſimo argumento poſitivo ſequenti. Quemadmodum juxta Breve Apoſtolicum nemo dici poteſt Janſeniſta, vel ſuſpectus de Janſeniſmo, niſi qui tenet aliquam propoſitionem ex quinque Janſenianis à Sede Apoſtolica damnatis; ita nec dici Rigoriſta vel Novator, aut de Rigoriſmo vel de Novitate ſuſpectus, niſi qui tenet rigorem aliquem, vel novitatem condemnatam à Sede Apoſtolica: atqui nemo eſt in Belgio qui rigorem aliquem vel novitatem à Sede Apoſtolica condemnatam teneat, nec ullam adverſarii condemnatam novitatem vel rigorem deſignare poſſunt, quam & quem Theologi Belgæ non condemnent. Ergo nemo eſt in Belgio qui dici poſſit Rigoriſta aut Novator, vel de Rigoriſmo aut Novitate ſuſpectus.

§. 7. & 8. Plurima alia Palazolii mendacia, calumnias, impoſturas Theologi Belgæ tanta cum evidentia refellunt, ut rubore ſuffundi oporteret Palazolium, quòd tot mendaciis Regiæ Majeſtati, nomine & juſſu Generalis ſui imponere auſus fuerit, Theologoſque innocentiſſimos tam injuſtè diffamare, quaſi non ſcriptum ſit, *Maledici Regnum Dei non poſſidebunt*. Sed quid dicam, infami ſuo Memoriali palam oſtendit, Sociorum genium eſſe mendaciis & impoſturis non parcere, dum agitur de intereſſe, tuendaque doctrina Sociorum, ita

ut in seipsis fateri debeant impletum istud, *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Isa. 28.

ARTIFICIUM OCTAVUM.

Præcipuis Theologis, per dolosas vagasque ipsorum apud Principes accusationes, calumnioasque suas informationes, à lectionibus aliisque Universitatum muniis exclusis, procurare ut sibi devoti, absque comparatione minùs idonei, ad ea promoveantur, ut per eos in Universitatibus dominantes, suas in iis paulatim novitates laxitatesque introducant.

PLuribus omissis, tria id demonstrabunt exempla. Primum accidit Burdigalæ, ubi cùm Jesuitæ omnia movissent ad extorquendam condemnationem Litterarum Provincialium, Wendrokianarumque in eas notarum, velut Jansenianam hæresim continentium, re ad Universitatem per ampliſſimum Senatum Burdigalensem remissâ, post maturum examen, Universitas anno 1660. declaravit, *nullam in iis hæresim à se repertam fuisse.* Cumque unus ex præcipuis Doctoribus istius Universitatis, qui damnationi restiterant, fuisset celebris toto Orbe scriptor Joannes Baptista Gonet Ord. Prædicat. solitis artibus suis apud Regem Christianissimum Jesuitæ effecerunt, ut tamquam Jansenista inauditus Cathedrâ spoliaretur Theologicâ (quam summa cum laude eruditioneque hactenus moderatus fuerat) prout in suis adversus Wendrockium scriptis Honoratus Fabri Jesuita gloriatur.

Secundum & solemnissimum accidit in celebri olim Universitate Duacensi, in qua, quia plures erant Philosophiæ Theologiæque Professores, ideò Jesuitis invisi, quia Molinisticis novitatibus Jesuiticisque laxitatibus adversi. Propterea eos dolis malis, fraudibus, fallaciis, perfidiis, impostoris, mendaciis, simulationibus (quæ videri possunt in libello, cui titulus: *Recapitu-*

tulation des faits de la fourberie de Douay) circumvenientes, quasi non scriptum sit, *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*, sub prætextu detegendi secretam mentem ipsorum, quam Jansenianam seu hæreticam existimabant, leges omnes humanæ societatis & civilis honestatis violaverunt, reique facti sunt vitiorum omnium, quæ Tullius enarrat l. 3. de officiis, *Omnes aliud agentes, aliud simulantes* (prout notum est ipsos fecisse) *perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, cùm sit tot vitiis inquinatum. . . . . Hoc autem celandi genus quale sit & cujus hominis, quis non videt?* (Videant verè efformatam effigiem suam Jesuitæ.) *Certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potiùs, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri* (Jesuitam melius depingere non potuisset, nisi fortè loco *veteratoris, novatorem* substituendo) *hæc tot & alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?* Non solùm inutile, sed & noxium valdè, prout experti sunt quatuor ex Professoribus suprà memoratis, quorum non solùm à lectione Philosophica Theologicaque exclusionem, sed & exilium Jesuitæ ab æquissimo Rege Christianissimo fraudibus, dolis & falsis informationibus ipsorum pariter circumvento extorserunt, quasi omnes Moralis Christianæ notiones & regulas non subvertat Ethica Jesuitica, quæ horrenda ista permittit.

Tertium, nec minùs solemne exemplum hodie conspicimus in florentissima Universitate Lovaniensi, cujus Theologos præcipuos, Jesuiticis machinationibus, mendaciis & calumniis videmus exclusos à muniis officiisque præcipuis Universitatis, in eorumque locum ineptos, vel certè incomparabiliter minùs idoneos promoveri, tanto cum præjudicio boni communis, ut ferè jam pereat tam florens Universitas.

Quòd autem Jesuiticæ machinationes, impostura & calumniæ omnia mala ista causent, constat ex dictis artificio præcedenti, signanter ex damnato ipsorum Memoriali, & Mandato Regis subsecuto, quo præcipui Doctores istius Universitatis à præcipuis muniis ipsius

excluduntur velut Janſeniſtæ, Rigoriſtæ & Novatores, tametſi ibidem perſpicuè demonſtrata ſit ipſorum innocentia, prorſuſque evanida eſſe argumenta quibus Jeſuitæ utuntur ad ſuadendum contrarium. Ibidem quoque exhibita declaratio innocentiæ præſtantiſſimi Doctoris Hennebelli, per Congregationem S. Officii, quâ liber declaratur ab omni ſuſpicione; ipſe tamen unus eſt ex illis quos Rex Catholicus, à Jeſuitis circumventus excluſit, collatoque ſibi per S. C. S. E. Bavarienſem Cenſoris librorum munere privavit, nullo ſervato juris ordine. Quod profectò Rex Catholiciſſimus, Sedique Apoſtolicæ obedientiſſimus non feciſſet, niſi Jeſuiticis dolis & machinationibus circumventus: cùm revera ſit contra Breve Innocentii XII. quo vetat *quemquam ſub prætextu (Janſeniſmi) repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus ac concionibus habendis vel aliâ quâcumque functione eccleſiaſticâ, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.* Fateantur Jeſuitæ nihil juſtius Apoſtolico illo decreto: injuſtè ergo, per ſibi totaliter devotum Archiepiſcopum Mechlinienſem, Catholicam Majeſtatem commoverunt, ut nullo ſervato juris ordine munere jam obtento privaret celebrem illum Doctorem.

Nec tamen Breve iſtud Apoſtolicum Jeſuitæ benè reſtringunt, dum prætendunt, intelligendum eſſe de muniis, officiis, &c. jam obtentis, non de iiſdem nondum obtentis, ut nominatim prætendit Palazolius in infami Memoriali ſæpè nominato. „ Cùm ex ipſo Bre„ vi Apoſtolico conſtet prorſus illud intelligendum eſſe „ etiam de officiis nondum obtentis, uti probant Theo„ logi Belgæ in *Confutatione* ejuſdem *Memorialis*, pri„ mò quia id probat vox illa *repelli*, quâ ſua Sanctitas „ utitur: repelli enim propriè non dicitur qui exuitur „ officio jam obtento, ſed qui ab officio obtinendo ar„ cetur: deinde idem ſignificat ſua Sanctitas manife„ ſtiùs, dum vetat quemquam repelli *à gradibus*: cùm „ enim impoſſibile ſit gradu jam obtento quemquam „ ſpoliari, ſequitur Breve Apoſtolicum de gradibus,

„ adeó-

„ adeóque & de aliis muniis obtinendis intelligi de-
„ bere.

„ Accedit quòd cùm eamdem illam cavillationem in-
„ ſchola Lovanienſi jactare non deſineret Doctor Stey-
„ aert, jam pridem ſilere ex urbe juſſus ſit, & Breve
„ Apoſtolicum tam de officiis & beneficiis obtinendis
„ quàm de obtentis intelligere. Si de hoc dubitet Pa-
„ lazolius, Doctorem Steyaert interroget, non poterit
„ hic factum Belgio notiſſimum negare.

„ Quid, quòd ipſum jus canonicum & civile, ac ſi-
„ mul utriuſque fori conſtans praxis, ſic jubeant Bre-
„ ve Apoſtolicum intelligi? Agitur enim in Brevi de
„ iis, qui ab officiis vel beneficiis repelluntur *prætextu*
„ *Janſeniſmi*, prætextus autem Janſeniſmi *titulus in-*
„ *famans eſt.*

„ Jam verò expolitum eſt apud Juriſperitos omnes
„ titulum infamantem, dum allegatur, probari debe-
„ re, non tantùm dum illius prætextu ſpoliatur quis
„ officiis jam obtentis, ſed etiam dum repellitur ab
„ obtinendis.

„ Poſtremò ſic Breve Apoſtolicum nuper intellexit
„ ſanctius Catholicæ ſuæ Majeſtatis Conſilium in Belgio:
„ cùm enim neſcio quibus prætextibus Doctor Martin
„ & æmuli quidam conarentur aliquos ſibi non devotos
„ à gradu Doctorali in Academia Lovanienſi impedire,
„ hanc ſententiam tulit ſapientiſſimum Conſilium: *Viſo*
„ *hoc libello & Epiſtolâ Archiepiſcopi de 7. hujus menſis*
„ *datâ, Majeſtas ſua declarat, materiam dogmaticam,*
„ *de qua hic mentio, ad cognitionem hujus Conſilii non*
„ *pertinere, mandat ſupplicanti, aliiſque omnibus quorum*
„ *intereſt, conformare ſe decreto Suæ Sanctitatis dato 6.*
„ *Februarii 1694. & Mandatis ſuæ Majeſtatis ſuper eo*
„ *ſecutis 20. Decembris 1697. declaratque gradum docto-*
„ *ralem, quem prætendunt Licentiati Verſchuren &*
„ *Claes, non impediturum quominus privari poſſint præro-*
„ *gativis jurium, quas gradus doctoralis illis tribuet, ſi*
„ *ita decernatur per ſuam Sanctitatem, vel alias, qui-*
„ *bus materia dogmatica cognitio competit juxta dictum*
„ *Breve, & ſuæ Majeſtatis Decretum. Actum Bruxellis.*

„ 14.

„ 14. *Februarii* 1699. Quo decreto non tantùm man-
„ dat Consilium sanctius, ut mandata regia intelligan-
„ tur juxta mandata apostolica, sed ipsum etiam utra-
„ que sic interpretatur, ut nemo possit (juxta illa) à
„ gradibus (adeóque nec ab aliis officiis, beneficiis vel
„ muniis) nondum obtentis prætextu Jansenismi, vel
„ alio simili repelli, *nisi servato juris ordine, eam pœnam,*
„ *qua viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruis-*
„ *se probatum fuerit.*

„ In foro quidem externo cogi non possunt officio-
„ rum aut beneficiorum collatores ad allegandum titu-
„ lum, ob quem hos, illosve repellunt. At in foro con-
„ scientiæ debet suspicio prudens esse & benè fundata,
„ ut licitè quis propter eam repellatur, non dari autem
„ talem in Belgio certissimum est ex supra dictis. Equi-
dem vetat Sedes Apostolica quemquam haberi Janseni-
stam, *nisi prius suspectum esse legitimè constiterit, aliquam*
ex quinque propositionibus docuisse aut tenuisse. Hactenus
verò legitimè non constitit quempiam in Belgio aliquam
ex istis propositionibus docuisse aut tenuisse. Et ideò
non est in Belgio philosophandum de Jansenistis perindè
ut de Calvinistis. „ 1. Quia constat in Belgio Calvinistas
„ esse, non constat esse Jansenistas, imò constat non esse.
„ 2. Hactenus viri Catholici & innocentes notâ Calvi-
„ nismi passim in Belgio aspersi non fuerunt, saltem aper-
„ tè; fuerunt autem sic passim aspersi notâ Jansenismi.
„ 3. Possent Episcopi judicium aliquod de Calvinismo
„ proferre: hîc verò toties rogati nullum proferre potue-
„ runt; alioquin si constaret æquè passim in Belgio ab E-
„ piscopis de Calvinismo insimulari Orthodoxos quosque
„ Theologos, ac insimulantur de Jansenismo, non ma-
„ gis tunc pro fundanda suspicione Calvinismi sufficeret
„ ipsorum testimonium, quàm nunc sufficiat pro fundan-
„ da suspicione Jansenismi. Quemadmodum enim nunc
„ pro fundata suspicione Jansenismi Sedes Apostolica ab
„ ipsis exigit, ut legitimè constet eum quem accusant
„ suspectum esse, aliquam è quinque propositionibus
„ condemnatis docuisse aut tenuisse; ita tunc pro funda-
„ ta suspicione Calvinismi ab ipsis exigeretur, ut legitimè

„ con-

„ conſtaret, eum ſuſpectum eſſe, docere aut tenere
„ hæreſim aliquam Calvini, quod niſi præſtarent, te-
„ ſtimonium ipſorum nonniſi pro accuſatione vaga ac-
„ ciperetur.

ARTIFICIUM NONUM.

Epiſcoporum Seminaria, Secularium Collegia, Univerſitatum jura &c. dolis malis invadere, ut Sociorum doctrina in Diœceſibus tradatur, recipiatur & dominetur.

IN Imagine primi ſæculi Societatis ingenua iſta Sociorum confeſſio legitur pag. 852. *Habemur multis ambitioſum genus hominum Jeſuitæ, intolerabili excellentiæ appetitu, hinc affectare Principum Aulas, omnium jura invadere, doctrinam nobis omnem & ſapientiam arrogare, quali nobiſcum nata ſit, nobiſcum moritura.* Quod ipſis adeò perſuaſum eſt, ut ſeipſos eodem in libro vocent *ſancta monumenta doctrinæ, novos Apoſtolos, Orbis Magiſtros, Angelos illuminatos & illuminantes, Nationum omnium Doctores.* Audiri etiam meretur Jacobus Kellerus Jeſuita Germanus in libro, cui titulus: *Cavea turturis &c. c.* 16. §. 2. Ut enim oſtendat nihil eſſe Jeſuitis comparabile in ſcientia & libris, ſic loquitur: *Gravina Claritatem deſiderat. Nihil profectò purius, & elegantius Societatis ſtylo eſt; omnis verborum ornatus, rerum copia, & ſententiarum dignitas, in Societatis eruditionem commigravit.*

Methodum arguit. Quaſi quiſquam illis par in Doctrina vel Naturæ ordine accuratè ſervando exiſteret. Quàm preſſè, & ex Peripateticorum nervis concludunt? Quàm terſè, & in veſtigio pedi inhærent? Numquam illi tergum impreſſioni obvertunt, vel latebram circumſpiciunt; aliorum autem ſeu fronti, ſeu tergo, quàm ardui imminent? Quis non vel eminus conſpectos Adverſarius, ut turbinem fugit, refugit? Quis ſecularium vel Clericorum in lubrico, non ſe doctrina Societatis protegit? Quis vel Regularium ejuſdem docendi, vel agendi methodum non amulatur?

tur? Quod Societati licet, nemo non sibi permissum & sacrum existimat.

Et paulò antè: *Notissimum est, Societatis Auctores, in majori ubique Gentium precio florere, quàm Gravina velit, ac jubeat. Quis non malit istorum voluminibus Bibliothecam suam instruere? Quis abundantius Lectori satisfacit? Quis ita funditus difficultates exhaurit, ac varietate, amplitudine, & robore argumentorum stringit, delectat, exsaturat? Tot illi gemmas, & lucidissima priscorum monilia coacervant, Sanctorumque Doctorum gravissima testimonia constipant, ut qui unum de Societate Volumen legerit, jam reliquos universos de eodem argumento Doctores, admirabili compendio se perlegisse existimet, atque exultet.*

Ecce quomodo sese omnibus præferunt Jesuitæ! ecce quanta in ipsis arrogantia, oculorumque extollentia! Vitium istud Sociorum vidit curareque conatus fuit S. Franciscus de Borgia, sed in dies auctum, non elevatum est malum; soli suis in oculis sunt sapientes, ceteri vel ignorantes vel errantes, nisi Societatis sequantur doctrinam. Ideo soli (si superis placeret) Theologiam publicè profiterentur, uti soli eam publicè profiteri affectarunt Massiliæ, Ambiani &c. Ideóque Regiis litteris, quibus ipsis publica Massiliæ Schola Theologica conceditur, inseri curarunt hanc clausulam, *Qu'ils auroient seuls la faculté d'enseigner publiquement la Theologie*; Ideò etiam si qui alii placita Jesuitica non sequentes, à populo magnificentur, ipsos Jesuitæ persequuntur.

Quas enim ab ipsis persecutiones non sustinuerunt & adhuc sustinent Oratorii Patres in Gallia? Jesuiticas adversus ipsos injustitias liber cui titulus, *Le Philosophisme des Jesuites de Marseille*, describit pag. 46. 47. 48. 49. 50. Et quæ ipsis causa Oratorios persequendi? Non alia nisi invida Zelotypia. Viderunt Oratorios strenuè in vinea Domini laborantes; viderunt ista de causa nomen ipsorum in populo clarescere, ob fructus uberrimos quos proferebat insignis pietas, sana doctrina, magnaque dexteritas ipsorum in animabus dirigendis. Ista

ergo invidiæ cauſa fuit *Solipſorum Monarchiam* (de qua videri poteſt Inchofer Jeſuita) extruere ſatagentibus, ſuæque Societatis gloriæ tantùm decedere arbitrantibus, quantum alienæ accedit.

Iſtam etiam ob cauſam Galli Jeſuitæ per Regis Confeſſarios nihil non moliuntur ad impediendum ne Epiſcoporum Seminaria, Oratoriorum Præfecturæ credantur, & ut ipſis credita eripiantur, uti revera Oratoriis ereptum, Miſſionis Patribus (de quibus ad libitum diſponunt) conſignari fecerunt Seminarium Catalaunenſe, quod Illuſtriſſimus D. Felix Vialardus Catalaunenſium Epiſcopus, Oratoriis conſignarat, prout videre eſt in libro relato pag. 69.

Anno etiam 1683. ipſis ſurripere, ſibique uſurpare tentarunt Cathedram Theologicam ab Oratoriis Veſuntione poſſeſſam: volupe erit videre rem iſtam eodem lib. pag. 9. ſic enarratam. „ Jeſuitæ docent Philoſo„ phiam Dolæ, & Patres Oratorii Theologiam Veſun„ tione. Ex quo Dola ſupremo ſenatu caret, haud „ multum floret, atque illic Jeſuitæ res ſuas parum pro„ movent. Quocirca è re & honore Societatis eſſe ju„ dicarunt expellere Cathedrâ Theologica Veſuntinâ Pa„ tres Oratorii, eorumque locum occupare. In prom„ ptu erat accuſatio de Janſeniſmo, quâ nihil præſtan„ tius ad detrudendos alios, detruſiſque ſuccedendum. „ Itaque ad Regem expoſtulationes perferuntur. Rex „ Archi-epiſcopum Pariſinum monet. Archi-epiſco„ pus tunc fortè ſubiratus Patri de la Chaiſe, rem Præ„ poſito generali Oratorii detegit. Hic paratam habe„ bat inquiſitionem authenticam, perſcriptam juſſu Ar„ chi-epiſcopi Veſuntini, cui ſuboluerat Jeſuitarum „ conſilium. Sic Regi factum eſt ſatis. . . Atque ita „ Jeſuitæ nil niſi ruborem ex eo tentamine reporta„ runt. Pater autem de la Chaiſe ſe expedivit, in„ quiens, ſe fuiſſe nimis credulum, non futurum dein„ ceps.

Ab annis multis Collegium Maſſiliæ poſſidebant Oratorii Patres, in eoque juventutem publica cum ædificatione ſatisfactioneque inſtruebant, Theologiam tamen

non

non docebant, quam ut prælegerent, fundum ad id sufficientem pia Domina offerebat. Solius Episcopi consensus desiderabatur. Sed cùm ad Episcopatum Massilienſem, secretis artibus Patris de la Chaise, nominatus esset Abbas Lucensis, per ipsum Jesuitæ effecerunt, ut exclusis Oratorii Patribus (qui Theologiam absque Civitatis gravamine docuissent) à Rege mendaciis & dolis Jesuiticis circumvento, ad Theologiam Juventuti ad statum Ecclesiasticum destinatæ prælegendam soli Jesuitæ admitterentur, Massilienſisque Civitas, nongentarum librarum annuâ pensione pro Regentium sustentatione gravaretur. Videri potest liber suprà memoratus à pag. 22. ad 71. ubi impostura, injustitiæ, doli mali & mendacia eum in finem à Jesuitis adhibita describuntur.

In eodem libro videri potest effectus pessimus quem habuit fraudulentus in Cathedram illam Theologicam Jesuitarum ingressus. Statim namque à suo in eam ingressu (qui fuit anno 1689) Pater Beon Philosophismum (ab Alexandro VIII. damnatum) Massiliæ docuit, tanto cum scandalo, ut à nominato Episcopo Massilienſi (licèt Jesuitis addicto) jussus fuerit eum retractare, quod tamen sincerè non fecit, sed simulatè, prout ostenditur ibid. part. 2. pag 87. & seqq.

Anno 1691. apud eumdem Christianissimum Regem solitis artibus instantiam magnam Jesuitæ fecerunt, ut RR. PP. Prædicatoribus adimeretur, sibique solis concederetur facultas Ambiani Theologiam publicè profitendi. Verùm auditis RR. PP. Prædicatoribus, cognitaque possessione ipsorum à quatuor omninò sæculis, in fumum abiit injusta Jesuitarum prætensio, quæ & toti Diœcesi damnosa fuisset, ob pestilentem doctrinam quam ibi Jesuitæ tradunt, uti videre est in facto Curatorum Ambianensium adversus Jesuitas de 17. Julii 1658.

Anno 1696. Jesuitæ ausi sunt Serenissimum Principem Episcopumque Leodiensem mendaciis suis calumniisque seducere, Leodiensequè Seminarium scandalosè invadere, ab eoque exturbare innocentissimos Professores è Clero Seculari, legitimos ab initio fundationis Semi-

minarii Poſſeſſores, qui ſumma cum ædificatione, ingentique totius Leodienſis Diœceſis fructu in eo ſtudioſam Juventutem muniis Paſtoralibus deſtinatam inſtruebant, quam Jeſuitæ novitiis corruptiſque opinamentis ſuis protinus infecerunt, quorum nonnulla anno 1700. generalis Cleri Gallicani Conventus graviſſimâ cenſurâ notavit, præſertim ſanguinarium illud dogma, quo vel ipſis Sacerdotibus, Religioſiſque pugionem tradunt, quo rerum ſuarum aggreſſorem injuſtum licitè trucident.

Neo ipſarum Univerſitatum juribus Jeſuitæ parcunt, qui aliena Seminaria Collegiaque invadunt, quin & adverſus earum jura prætenſiones ſuas extendunt, prætextu privilegiorum numquam in Gallia & Belgio uſu receptorum, quæ à nonnullis Prædeceſſoribus tuis habere ſe dicunt, ut in ordine ad gradus recipiendos *Curſuum, quos in Jeſuiticis Collegiis ſtudentes confecerint, ratio habeatur non minùs, ſed pariformiter & abſque ulla penitus diferentia, quàm ſi in Univerſitatibus præfatis ſtuduiſſent*, conferendi quoque iiſdem ſtudentibus ſuis Bacchalaureorum, Licentiatorum ac Doctorum gradus, ad quos Univerſitatum Rectores gratis eos admittere recuſarent, uti videre eſt in Imagine primi ſæculi Societ. pag. 438. & in Faſtis Academicis ſtudii Generalis Lovanienſis pag. 352. ubi legitur quòd die 4. Julii 1566. privilegium iſtud prætenderint exhibuerintque, verùm à Facultate rejecti fuerint. Sed & anno 1618. eamdem prætenſionem renovarunt coram Sereniſſimo Archiduce Alberto, quemadmodum & annis 1622. 1623. 1624. & 1625. in Curia Matritenſi: nihil tamen obtinere quiverunt, uti videre eſt in iiſdem Faſtis pag. 390. ſicut neque Pariſiis, ubi etiam Univerſitatis jura anno 1618. invadere conati ſunt, licèt irrito conatu: quia ipſis viriliter tam Theologiæ quàm Artium Facultas ſeſe oppoſuit.

Nec ad aliud Jeſuitas collimare videmus, niſi ut Univerſitates omnes ſubruant, in quibus dominatum non obtinent, Doctoreſque Univerſitatum habeant ſibi ad nutum obſequentes, per quos in Univerſitatibus ipſi dominentur, novitiamque doctrinam ſuam in iis celebrem effi-

efficiant. Quod dum obtinere nequeunt ob resistentiam Universitatum, eas subvertere moliuntur, uti de facto Duacensem fraudulenter penè subverterunt, Lovaniensemque olim tam florentem iisdem artibus, fraudibus, impostoris evertere adnituntur, ineptos homines in Cathedras intrudendo, aptissimos verò, præcipuique meriti Doctores ab iis excludendo, non sine ingenti Christianæ doctrinæ totiusque proinde Ecclesiæ præjudicio. Quod an tolerabile sit, Sanctitas tua judicabit.

ARTIFICIUM DECIMUM.

Uno impetu adversus opponentes sese Novitatibus ipsorum certatim insurgere.

HOc est quod Jesuitæ fecerunt adversus celebrem Doctorem Arnaldum, eò quòd in aureo suo *De frequenti Communione* libro, opposuisset se laxiori P. Sesmaisons Socii sui doctrinæ; adversus Huyghenium quoque Lovaniensem Doctorem, uti Doctor Hennebellus demonstrat in VII. Thesi sua Historico-Theologica §. 1. sed & in sua ad Illustrissimum D. Archiepiscopum suum epistola Curiones Rothomagenses ostendunt, quomodo in Confratres suos Parisienses certatim Jesuitæ insurrexerint, velut in homines *factiosos*, velut in *publicas pestes*, velut in *Lupos rapaces*, velut in *Ecclesiæ & status hostes*, velut in *hæreticos remediis causticis dignos*, non alia de causa, nisi quòd pestilenti Sociorum doctrinæ se se viriliter opposuissent: verùm hac de re plura posteà.

A R-

ARTIFICIUM UNDECIMUM.

Sanam & orthodoxam eorumdem doctrinam verbis æquivocis fallacibusque invidiosè proponere, ut ab ea populum avertentes in suas pertrahant novitates.

ARtificium istud tantò magis flagitiosum videtur, quantò magis divinæ adversatur veritati, bonoque virorum integerrimorum nomini. Et quid magis contrarium rationi, bonæ fidei, æquitati, humanæque societati, quàm mendaciis, æquivocationibus, sophismatibus, fallacibusque allegationibus calumniari innocentes, Theologosque orthodoxæ fidei, probatæque virtutis? Isti sunt de quibus Eccli. 37. 23. scriptum videtur: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur; non est illi data à Domino gratia, omni enim sapientia defraudatus est:* an istud verò non faciant Jesuitæ, videamus quid facta ipsorum loquantur.

Ab eo tempore quo opinionem de data omnibus gratia Molinisticè sufficiente Societas fecit suam (ideóque eam doctrinam Societatis vocat modernus Generalis ipsius Thyrsus Gonzales in suis disputat. Theolog. Cardinalis etiam Pallavicinus in Histor. Concil. Trid. *l.* 8. *c.* 13. eamdem vocat sui Ordinis opinionem) gratiæ per se efficacis ad singulos pietatis actus necessitati adeò implacabile bellum indixerunt Socii, ut eam velut Calvinianam incessanter persequantur. Et quia potentiores non habent molliorum dogmatum suorum Moralium oppugnatores, quàm istius necessitatis post S. Augustinum & S. Thomam defensores, ipsos velut Calvinistas traducere non cessant, exemplo Patrum suorum, qui in Congregatione de Auxiliis invidioso titulo isto Thomistarum auctoritatem elevare adnisi sunt. Et quibus (amabo) strophis ad id imperitis vel semidoctis persuadendum utuntur? Dolis malis, fraudibus, sophismatibus, æquivocationibus à se tantopere adamatis.

Videre est hoc frequenter in libris & libellis ipsorum, præsertim in libro Stephani de Champs, quem à quin-

qua-

quaginta annis edidit sub titulo, *Secretum Jansenismi*, & anno 1688. novis typis edi curavit, sub titulo, *Traditio Ecclesiæ*, &c. ipse est enim, quem velut Theologorum suorum Gigantem elegit Gallicana Societas. Gigas ergò ille ep 7. ad Serenissimum principem Theologum de Conti, hæc petulanter deblaterat: „ Post exa-„ minatum quantâ potui diligentiâ S. Augustinum, & „ quidem post lectum de corrept. & grat. librum plus-„ quam sexagies trium mensium spatio, in animum in-„ duxi meum. . . . . quòd ad statum naturæ cor-„ ruptæ attinet, illum longè magis favere Calvini-„ stis, quàm Thomistis. Cui Serenissimus princeps Epist. IX. reposuit: *Non sufficit S. Augustinum in suspicionem vocare, placet etiam D. Thomam in scenam producere.* Hisce non contentus in sua illa crambe recocta quam veræ oppositi *Traditioni Ecclesiæ Romanæ*, Doctoris Germain (quà nonnisi pura SS. Augustini & Thomæ de gratiæ per se efficacis ad singulos actus pios necessitate, gratuitaque electorum prædestinatione doctrina exhibetur) Augustiniani istius Doctoris librum depingit velut *novum attentatum* injustum, quo Jansenistæ semper insultarunt, atque etiamnum insultant Constitutionibus Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Quod dum ipsum scribere non pudet, omnes gratiæ per se efficacis, gratuitæque prædestinationis defensores Jesuita ille, familiari suis calumnia, contra Pontificias prohibitiones, cum hæreticorum scandalo, Sanctique Augustini & Ecclesiæ injuria (quæ Doctrinam Aug. suam fecit) absque fronte depingit velut Jansenistas, Calvinistas & Ecclesiæ rebelles. O impudentiam plectendam! Non mirum profectò quod liber ille Stephani de Champs dignissimas pœnas luit per Auctorem libri hunc titulum præferentis „ Augustinus „ de Calvino & Molinâ triumphans, sive refutatio li-„ bri, cui titulus: *Secretum Jansenismi*: Ubi & osten-„ ditur vera discrepantia inter doctrinam S. Augustini „ de gratiâ, erroresque Lutheri ac Calvini, & retegi-„ tur mala fides eorum, qui calumniis hæreticorum, „ & ignorantiâ quorundam controversias scribentium „ abu-

„ abutuntur ad affingendos Ecclesiæ Catholicæ semi-
„ pelagianorum errores à Molinâ renovatos. *

Eumdem etiam librum insigniter castigavit laudatus Doctor Germain Tradit. Eccles tom. 3. per totum, ubi imprimis detegit, deinde manifestè refellit æquivocationes & sophismata Patris de Champs in libro illo Duas impræsentiarum æquivocationes exhibere sufficiet. Prima hisce verbis continetur : *Totus perhorresco cum audio Jansenistas* (sic vocat gratiæ Augustinianæ Thomisticæque defensores) *dicentes eos , qui nunc peccant, peccare ex necessitate.* Secunda verbis proximè sequentibus: *Et tunc illis est impossibile obedire præcepto , quo vetat Deus ne eum offendant.*

Primam æquivocationem sic refellit pag. 310. & sequentibus. „ Jam pridem est quòd illum pudere debuit
” ignorantiæ ac malæ fidei, hâc in re sibi meritò expro-
” bratæ, & quidem inemendabilis ejus pervicacia ma-
” nifestum est exemplum impotentiæ voluntariæ, quam
” cupiditas in hominibus parit, quando Deus illam non
” vincit gratiâ. Necessitas peccandi est modus loquen-
” di æquivocus, quo hic Jesuita secundùm Societatis
” placita turpiter abutitur. Si secundùm se hæreticus
” sit, hæreseos damnare oportet Concilia, Pontifices,
” Sanctos Patres, qui illum absque scrupulo adhibue-
” runt, item Innocentium I. Pontificem Ecclesiamque
” Romanam quæ in Capitulis, quæ Cælestino Papæ ad-
” scribuntur, retulit ac proposuit hanc famosam Inno-
” centii locutionem tanquam ad fidem Ecclesiæ perti-
” nentem : *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo*

* Saint Augustin Victorieux de Calvin, & de Molina : Ou Refutation d'un livre intitulé, Le secret du Jansenisme : où l'on fait voir d'une part la vraie diference entre la Doctrine de S. Augustin sur la grace & les erreurs de Luther & de Calvin, & l'on decouvre de l'autre la mauvaise foi de ceux qui se servent des calomnies des heretiques, & de l'ignorance de quelques controversistes particuliers, pour atribuer à l'Eglise Catholique les erreurs des Semipelagiens renouvellées par Molina.

» *iterum non adjuvante vincamur.* Idem Pontifex scri-
» bens Episcopis Africæ ita loquitur: *Gratiâ privatus,*
» *necesse est ut Diaboli laqueis irretitus occumbat. Ne-*
» *cessariò sequitur* (inquit rursus Auctor operis in VII.
» Psalmos, quod D. Gregorio magno tribui solet) *ut*
» *omni tentationi sit subditus, quicumque à Deo fue-*
» *rit derelictus.* Innumeras hujus generis locutiones
» in S. Augustino reperire est, veluti dum Oper. Im-
» perf. cont. Jul. l. 1. c. 105. ait: *Multùm erras, qui*
» *vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam*
» *non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nullâ*
» *necessitate commissum est. . . . . Necesse est enim ut*
» *peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non*
» *debet facit: de quo genere malorum Deus rogatur*
» *ubi dicitur:* Delicta juventutis meæ & ignorantias
» meas ne memineris. *Quod genus delictorum si non*
» *imputaret Deus justus, non sibi dimitti posceret homo*
» *fidelis.* Et c. 106. *Necesse est ut peccet à quo igno-*
» *ratur justitia; numquid ideo, cùm justitiam cognove-*
» *rit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantia*
» *necessitate commisit? . . . . . Non est igitur impu-*
» *nitatis securitas in necessitate peccandi, sed ut non ob-*
» *sit ista necessitas, donat ille cui dicitur:* De necessi-
» tatibus meis erue me. Et l. de perfect. just. c. 4.
» *Per arbitrii libertatem factum ut esset homo cum*
» *peccato; sed jàm pœnalis vitiositas subsecuta, ex li-*
» *bertate fecit necessitatem. . . . Quia peccavit vo-*
» *luntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura*
» *necessitas.* S. Bern. Serm. 81. in Cant. *Ipsa sibi vo-*
» *luntas peccato in deterius mutata necessitatem facit,*
» *ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat*
» *voluntatem, nec voluntas cùm illecta sit, excludere*
» *necessitatem.*

» Hos Pontifices, hos Ecclesiæ Patres damnare abso-
» num foret. . . . . Est tamen aliqua necessitas pec-
» candi, quæ sustineri non potest, nisi impingendo in
» errorem istorum Stoïcorum, Astrologorum, & Manichæorum, de quibus nobis aures obtundit in Epistolis suis Pater Deschampius. Itaque tollenda est

» ani-

» ambiguitas, & explicandum, quo ſenſu cum Patri-
» bus dici queat hominem per peccatum Adami cecidiſ-
» ſe in quandam peccandi neceſſitatem, quemadmo-
» dum S. Auguſtinus contra Pelagianos ſuſtinuit; &
» quo ſenſu non poſſit aſſeri neceſſitas peccandi, niſi
» impingendo in errorem Manichæorum. Eſtium pro-
» ferre ſufficiet, ad quem utique Adverſarius noſter
» tanquam ſententiæ ſuæ auctorem provocat. . . . An
» ſucceſſum prævideriť, haud ſcio Nam cum magno
» illo S. Auguſtini Diſcipulo bene illi eſſe nequaquam
» poteſt. . . . Iſte igitur Theologus in 2. diſt. 24. §.
» 2. duplicem hìc neceſſitatem diſtinguit. Una eſt ne-
» ceſſitas ſimplex, naturalis & abſoluta, qualem Stoïci
» tribuebant Fato, Aſtrologi ſyderibus, Manichæi duo-
» bus illis principiis, in quæ omnes hominum actio-
» nes refundebant. Altera eſt neceſſitas hypotheſis &
» conditionata, quam vocant neceſſitatem conſequen-
» tiæ. . . . Primam neceſſitatem libertati repugnare
» Eſtius docet, non autem ſecundam.

» Porrò hanc poſtremam vocat neceſſitatem impro-
» priè dictam (quia non eſt abſoluta, ſed *ſecundùm*
» *quid*) & per hanc ſolvit textum S. Bernardi quem re-
» tulimus: *Bernardus loquitur*, inquit, *non de naturali*
» *ſeu abſolutâ neceſſitate, ſed de neceſſitate quâdam im-*
» *propriè dictâ quâ nimirum id neceſſariò facere quis dici-*
» *tur ad quod vehementer inclinatur, ita ut ei difficilli-*
» *mum ſit affectionem & voluntatem ab eo retrahere, juxe-*
» *tà quem etiam modum neceſſitate quâdam peccare dicun-*
» *tur, qui ſunt in longâ conſuetudine peccandi; & tamen*
» *illa neceſſitas magis reſpicit peccatum in genere aut in*
» *ſpecie, quàm particulares & ſingulos actus peccandi.* Et
» §. 16. hanc peccandi neceſſitatem explicat *per neceſ-*
» *ſitatem peccandi venialiter*, quæ in hâc vitâ eſt in ip-
» ſiſmet juſtis. . . *Hac tamen neceſſitas non repugnat li-*
» *bero arbitrio; tum quia ſingula peccata vitare poteſt ho-*
» *mo, licèt non omnia: tum quia etiam dæmones qui in*
» *omni actu peccant, ita tamen eligunt unum peccatum,*
» *ut eo omiſſo facere poſſint aliud, & proinde liberè fa-*
» *ciunt hoc particulare peccatum.*

Secundam æquivocationem pag. 332. & seqq. parieſficaciâ sic confutat : „ Impossibilitas adimplendi præ-
„ cepta Dei, de quâ hic Jesuita seditiosas declamatio-
„ nes suas instituit, mera cavillatio est, & vocis ambi-
„ guitas, Jesuitarum scopo peropportuna. Hæc voca-
„ bula, *libertas*, *potentia*, *possibilitas*, respondent istis,
„ *necessitas*, *impotentia*, *impossibilitas*, relativa sunt, &
„ si non sint plane synonyma, saltem sese mutuò suppo-
„ nunt & includunt. Nam res mihi solùm eatenus est
„ *possibilis*, quatenus habeo *potentiam* illam faciendi vel
„ omittendi, & quatenus habeo *potentiam* ipsam fa-
„ ciendi vel omittendi, eatenus sum *liber* respectu il-
„ lius.

„ Ita pariter non est mihi impossibilis nunc, sive pro
„ parte, sive absolutè, nisi quatenus potentia vel po-
„ testas nunc mihi deest, sive pro parte, sive abso-
„ lutè; & eatenus mihi deest potestas, quatenus cogor
„ ad eam non faciendam vel non omittendam. Id per-
„ spicuè sequitur ex definitione libertatis ab Estio alla-
„ tâ: *Potestas agendi & non agendi ex judicio ratio-*
„ *nis*.

„ Igitur ex notione vocabulorum *potestas* & *potentia*
„ judicandum de ceteris, & maximè de his *impotentia*
„ & *impossibilitas*. Cùm enim postrema sint merè ne-
„ gativa, non potest eorum sensus & latitudo determi-
„ nari nisi per vocabula positiva & affirmativa, è qui-
„ bus proficiscuntur.

„ Loquor hic dumtaxat. . . . . de potentiâ natura-
„ li. . . . . hominis, & de potentiâ supernaturali,
„ qualis est gratiæ, item de potentiâ non debitâ, qua-
„ lis est gratiæ in homine peccatore. Et quidem po-
„ tentia ista potest esse proxima vel remota, perfecta
„ vel imperfecta, sufficiens vel non sufficiens. Quot-
„ que sunt diversi gradus potentiæ, totidem excludunt
„ gradus diversos impotentiæ ac impossibilitatis.

„ Denique quantùm quispiam caret diversis hisce gra-
„ dibus potentiæ, tantùm dici potest habere impoten-
„ tiæ circà rem aliquam, tantumque dici potest res ista
„ illi esse impossibilis.

„ Ex

" Ex his facilè apparet, iſta verba eſſe valdè æquivoca, & ſicubi occurrunt non eſſe approbanda nec damnanda, niſi examinato ſenſu & ſignificatione ipſorum, & poſtquam perſpectum fuerit quantùm quilibet ſenſus particularis conſonet vel repugnet doctrinæ ab Eccleſiâ receptæ.

" Itaque quodam ſenſu dici poteſt & debet nemini ullum unquam præceptum eſſe impoſſibile, quantumcumque Divino Auxilio careat, quia, ut docet S. Thomas, licèt homo non poſſit facere quidpiam per ſeipſum, ſufficit poſſe facere per alium, ut dici poſſit hoc non eſſe illi impoſſibile. Hoc ſenſu ſoli dæmoni præcepta Dei ſunt impoſſibilia; quia ejus voluntas eſt jam incapax boni, & nulla ipſi ſupereſt gratia. Sed homines quamdiu vivunt ſemper ſunt capaces gratiæ, & iſtud *poſſe* nequit ſeparari ab eorum naturâ: *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem*, inquit S. Aug *natura eſt hominum &c.* de præd. Sanct. c. 5.

" Sed quia communiter non dicitur rem aliquam eſſe poſſibilem alicui, niſi dum habet actu omnia neceſſaria ad illam faciendam, negari nequit (niſi uſitatum loquendi modum immutare placeat) quin ſuſtineri poſſit, hominem non poſſe aliquid facere, hoc non eſſe illi poſſibile, hoc eſſe illi impoſſibile, quando non habet omnia neceſſaria ad agendum, & quidem etiamſi deeſſet vel unicum verè neceſſarium, & cetera adeſſent: ſic quantumcumque homo ſit ſanus & robuſtus, & quantumcumque velit veredo currere, non poteſt tamen, impoſſibile illi eſt hoc facere, quamdiu deeſt illi equus, qui neceſſarius eſt ad hujuſmodi curſum.

" Poſito igitur quòd gratia efficax ſit neceſſaria ad faciendam, ut oportet, bonam actionem lege Dei præceptam (quam doctrinam eſſe planè orthodoxam nemo jam negare audet) abſque errore, abſque incommodo dici poteſt illum cui non datur iſta gratia neceſſaria ad præceptum implendum, non poſſe illud implere, hoc ſenſu impoſſibile ipſi eſſe illud im-

» plere, denique præceptum hoc ſenſu eſſe ipſi impoſ-
» ſibile.

» Dici tamen ſimpliciter & abſolutè non poteſt ipſi
» eſſe abſolutè impoſſibile : nam alio ſenſu eidem eſt
» verè poſſibile. Quamvis foret Ethnicus, eſt ipſi om-
» ninò poſſibile habere fidem & charitatem , prout
» diximus, quamvis tunc poſſe ſit maximè remotum,
» maximè imperfectum & omnium minimè ſufficiens.
» Si ſit Chriſtianus, præter poſſe naturæ habet poſſe fi-
» dei, quod eſt minùs remotum & minùs imperfectum,
» quamvis deeſſet illi Charitas , gratia actualis , & id
» quod propriè conſtituit poteſtatem internam , ſuper-
» naturalem & ſufficientem voluntatis. Si ſit juſtus,
» qui habeat charitatem ſanctificantem , cogitationes
» ſanctas, affectus chriſtianos , pios motus (qui ſunt
» effectus gratiarum actualium, ſed quandoque ineffi-
» cacium, & adhuc nimis debilium ad eum determi-
» nandum ad faciendum præceptum) habet procul du-
» bio poſſe magis perfectum & magis proximum quàm
» ille de quibus diximus. Verumtamen necdum ha-
» bet poſſe plenum & abſolutum ad ſervandum præcep-
» tum quamdiu ob infirmitatem voluntatis (qualis erat
» in S. Petro) ſuccumbit tentationi , quod certè non
» fieret, ſi accepiſſet gratiam illam abſolutè efficacem
» & neceſſariam in hoc ſtatu ad implendum quodlibet
» mandatum Dei. Quæ . . . . . gratia ſola includit
» quidquid neceſſarium eſt ad tranſeundum à voluntа-
» te ad operationem, quia ipſa ſola eſt quæ operatur
» *velle & perficere*, ut loquitur Apoſtolus, & quæ dat
» *poſſibilitatem cum effectu*, ut ait S. Aug. l. de nat. &
» grat. c. 42. quatenus inſuperabiliter movet voluntа-
» tem, liberando eam ab infirmitate , & per charitа-
» tem ſuperando id quod habet cupiditatis, legi Dei re-
» ſiſtentis.

» Verum eſt igitur in quolibet ſtatu, eſſe homines fi-
» deles aut infideles, juſtos aut peccatores, quibus iſta
» gratia efficax & victrix deeſt , quando tenentur ſer-
» vare præcepta Dei, ſive habeant , ſive non habeant
» alias gratias debiles aut imperfectas. Et conſequen-

» ter

» ter de ipſis hæc duo ſimul dici poſſunt, quòd potue-
» rint ſervare mandata & reſiſtere tentationi, intelli-
» gendo de poteſtate imperfectâ non complectente
» quidquid neceſſarium eſt ad agendum; & quòd non
» potuerint alio ſenſu, intelligendo de poteſtate pro-
» ximâ, abſolutâ, & cui nihil deeſt neceſſarium ad a-
» gendum.

» Si hanc non habuerunt, non fuit ipſis poſſibile, &
» ſi non fuit ipſis poſſibile, fuit ipſis hoc ſenſu impoſ-
» ſibile, licèt abſolutè poſſibile. Neque condemnari poſ-
» ſunt hi loquendi modi, qui non important impoten-
» tiam neque impoſſibilitatem integram & abſolutam,
» ſed conditionatam & *ſecundùm quid*; non poſſunt,
» inquam, reprehendi nec condemnari, niſi condem-
» nando SS. Patres, Concilia, Evangelium & ipſum-
» met Chriſtum.

» Et verò nonne Chriſtus dixit: *Sine me nihil pote-*
» *ſtis facere*? Joan. 15. 5. id eſt, ſine gratia mea nihil
» vobis poſſibile eſt. *Contendite intrare per anguſtam*
» *portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare &*
» *non poterunt.* Luc. 13. 24. *Nemo* poteſt venire *ad*
» *me niſi pater. . . traxerit eum.* Joan. 6. 43. *Non*
» *poteſtis audire ſermonem meum.* c. 8. 43. *Non po-*
» *teſtis me ſequi modò.* c. 13. 36. . . . *Abrumpere vin-*
» *cula divitiarum ad obediendum* Deo, *apud homines*
» *impoſſibile eſt.* Mat. 19. 26. *Apud Deum autem omnia*
» *poſſibilia ſunt.* Quò nil aliud ſignificatur, niſi quòd
» pravi affectus ſine gratiâ vinci nequeant. S. Paulus
» volens oſtendere hominem ſub lege & ſine gratiâ ni-
» hil poſſe, utitur eodem verbo *impoſſibile.* *Quod im-*
» *poſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* Rom.
» 8. 3. id eſt legem Dei ſine gratiâ Chriſti eſſe jugum *quod*
» *neque patres noſtri, neque nos portare potuimus*, ut
» act. 15. 10. loquitur S. Petrus in primo Concilio Ec-
» cleſiæ.

» S. Hieronymus loquens de præcepto diligendi ini-
» micos. . . . . *Multi*, inquit, *præcepta Dei imbecilli-*
» *tate ſuâ, non ſanctorum viribus affirmantes, putant*
» *eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt.* in c. 5. Mat. Sunt

" ergo ipsis impossibilia si meram eorum infirmitatem
" consideres, gratia destitutam.

" Sanctus Pontifex Leo Magnus serm. 5. de Jejunio
" VII. mensis c. 2. ita loquitur. . . . . *Et ne usque ad*
" *inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossi-*
" *bilia sunt homini ex imbecillitate propriâ, possibilia spon-*
" *det ex virtute Divinâ. . . . ut auctor itineris fiat pos-*
" *sibilitas ambulantis:* & rursus serm. 5. de quadrag. c.
" 1. . . . *Ac si quid sibi impossibile aut arduum in man-*
" *datorum effectibus homo experitur, non in se rema-*
" *neat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præ-*
" *ceptum, ut excitet desiderium & præstet auxilium.*

" S. Augustinus l. 1. retract. c. 22. quo in opere tan-
" tam adhibuit diligentiam & cautionem, quantam nus-
" quam majorem, hæc habet: *Cum fortis & potens præ-*
" *paratur voluntas à Domino, facile fit opus pietatis,*
" *quod prius difficile atque impossibile fuit.* . . . . Iterum
" expos. in Ps. 106. in hunc modum describit homi-
" nem qui luctatur cum cupiditatibus, sed necdum po-
" test emergere: *Invenit ergo se ligatum difficultatibus*
" *cupiditatum, & non posse viam propter compedes am-*
" *bulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum, &*
" *tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clau-*
" *sis quâ evadat ut rectè vivat, non invenit.*

" Non immoror ejus Discipulo S. Prospero, qui in
" eundem Psalmum etiam usurpat vocabula impossi-
" bilitatis & impotentiæ: *Vincula quadam impossibilita-*
" *tis, experimenta impotentiæ suæ.* Sed operæ pre-
" tium erit observare S. Augustinum de industriâ voca-
" bulo *difficile*, addidisse *impossibile*; & non dixisse solùm
" *difficile vel impossibile* disjunctivè; sed utrumque co-
" pulasse; judicavit nempe necessarium esse postremum
" ut excluderet hæresim Pelagianam, & inculcaret gra-
" tiam illam fortem & robustam, de quâ loquitur, es-
" se omninò necessariam ad faciendum bonum, & sine
" isto auxilio non solùm difficile, sed etiam impossibile
" esse illud operari (potentiâ consequente) id est, sine
" istâ gratiâ nunquam contingere ut fiat bonum, vel
" ut omittatur malum ad quod homo tentatur. . . . .

" Sex-

„ Sextus canon celebris Concilii Carthaginensis sub „ anathematis pœnâ vetat dicere quòd sit tantummodo „ difficile implere præcepta Dei sine gratiâ . . . inter „ propositiones, quas Facultates Lovanienſis & Duacenſis censurâ notarunt anno 1587. & 1588. decimaquinta sic se habet: *Omnia loca Scripturæ sacræ, quæ „ significant esse impossibile quosdam converti, intelligenda sunt, ut impossibile accipiatur pro eo quod est valde difficile.* Hactenus Auctor ille.

Quæ tametsi tanta expresserit cum præcautione, totque cum restrictionibus, limitationibusque antecedentibus, concomitantibus & consequentibus, Jesuiticus Auctor Historiæ quinque propositionum anno 1699. Hagæ Comitis editæ, propositionem ipsius non solùm truncavit, sed & à limitationibus restrictionibusque avulsit, ut eam ad primam ex quinque damnatis calumnioſè pertraheret, à qua toto differt ostio. Præter alias namque differentias, quæ videri possunt in istius Historiæ refutatione per Auctorem libri cui titulus, *La Paix de Clement IX. ou Demonstration des deux fausſetez capitales avancées dans l'Hiſtoire des V. propoſitions p. 1. §. 7. pag.* 90. laudatus Auctor non loquitur de impossibilitate in sensu naturali & obvio, sed secundùm communem loquendi modum; *ſelon l'uſage commun du langage*, qui plerumque differt à sensu naturali seu grammaticali, ut constat ex usitato isto loquendi modo, *Sum humillimus & obedientiſſimus ſervus tuus. Iſte eſt mortalium optimus. Impoſſibile eſt mihi domo egredi* ob temporis inclementiam. Quamvis enim communiter usitatæ sint expressiones istæ, sensus earum non est litteralis, naturalis & obvius. Deinde prima propositio in sensu naturali & obvio (in quo damnata est) omnimodam absolutamque designat impossibilitatem tam ex parte objecti, quàm ex parte potentiæ. Auctor verò *Traditionis* de ea non loquitur, sed de impossibilitate conditionali, partiali & secundùm quid, quâcum stat potentia antecedens servandi Mandata, solumque deest potentia consequens, sive *possibilitas cum effectu*, ut loquitur Augustinus: loquitur proinde Auctor iste ad sen-

sum primi ex quinque articulis Alexandro VII. & VIII. oblatis, quos certum est Romæ probatos fuisse velut sanam doctrinam, scholæque S. Thomæ conformem continentes. Cùm enim articulos illos velut fraudulentos Pater de la Fontaine Jesuita, sub ementito nomine Cornelii à Craneberg aggressus fuisset in scripto cui titulus: *Fraus quinque articulorum* &c., scriptumque istud unà cum quinque articulis examinatum fuisset in Tribunali S. Officii: Eminentissimi Cardinales de Laurea, Casanate, Aguirius &c. censuerunt doctrinam quinque articulorum posse *currere*; scriptum verò Cranebergii proscribendum esse, prout revera proscriptum fuit per Decretum Innocentii XII. de 19. Martii 1692.

Alias æquivocationes, fallaciasque & imposturas Patris Descampii castigat D. Germain toto libro memorato, sicque postea concludit: „ Postquam adeo apertè „ impugnavi tuam illam universalem gratiam, quæ „ (cum sit verè sufficiens & necessaria, secundùm te, „ ut præcepta Dei sint possibilia, & eorum transgressio imputari possit) excludit necessitatem omnis alterius auxilii seipso efficacis; non dubito, mi Pater, „ quin hunc librum consideres velut *novam machinationem contra S. Sedis Apostolicæ Constitutiones*. . . . . „ nam . . . . Societas tua ejusque Theologi in hoc „ potissimùm incumbunt, ut everså funditùs gratiå efficaci & omnipotente Christi, exurgat portentosus „ sufficientis, ut vocas, gratiæ Colossus: cujus Colossi basis est humana superbia, radix ad orcum usque „ porrigitur; caput ad cœlum se extollit, ut Deum compellat qualibet horâ, quovis momento, stare ad ostium cordis cujuslibet peccatoris, quamtumcumque „ excœcati & obdurati, *semper & ubique*, inquit Lessius. Qui Colossus ab uno orbis extremo ad alterum „ brachia exporrigit, ut complectatur omnes generatim homines, qui fuerunt, sunt & erunt, idololatras „ & infideles, Judæos & Christianos, impios, atheos „ & scelerates, qui bibunt iniquitatem velut aquam, „ quibus vitium quodammodo pro naturâ inolevit;

„ quin

„ quin etiam eos qui ſunt traditi in reprobum ſenſum.
„ En cujuſmodi Coloſſum ſtatuat novus hic Nabucodo-
„ noſor, nolens agnoſcere ſupremum Dei dominium,
„ neque omnipotentiam Gratiæ Divinæ in cor huma-
„ num: ſi quis autem non adoraverit proſtratus, mit-
„ tetur in fornacem ignis, perſecutionis utique, *&*
„ *denunciabitur à Societate tanquam Calviniſta, impius,*
„ *& violator ſacrilegus Conſtitutionum S. Sedis Apoſtoli-*
„ *cæ.* Sed Deus noſter, quem colimus (Quidni enim
„ uſurpemus Trium puerorum reſponſionem?) poteſt
„ eripere nos, mi Pater, de camino iſtius ignis arden-
„ tis & de manibus Societatis liberare. Quod ſi nolue-
„ rit, notum ſit tibi, quia ſtatuam, quam erexiſti,
„ non adoramus. Calumniis, quantum libuerit, aut
„ potiùs quantum Deus permiſerit, perſtringetis gra-
„ tiam Chriſti omnipotentem ſub nomine gratiæ neceſ-
„ ſitantis. . . . . Ingenio & eruditione præditi nec am-
„ biguitate verborum, nec veſtra in calumniis ſparsen-
„ dis confidentiâ capientur; & iis qui docendi ſunt,
„ ſex Capita, quæ veſtris oppoſui, abunde ſufficient
„ ad tollendam ambiguitatem & diſſipandas tenebras,
„ quas hujuſmodi quæſtionibus offundere ſtudetis. Le-
„ ctis hiſce capitulis clarè videbunt, 1o. id quod præ-
„ tenſi Janſeniſtæ docent de neceſſitate gratiæ ſeipſâ ef-
„ ficacis ad omnem actionem Chriſtianè bonam, nil
„ aliud eſſe, quàm id quod traditur in ſcholis SS. Au-
„ guſtini & Thomæ, & nominatim à RR. PP. Domi-
„ nicanis, Carmelitis Diſcalceatis, & ab ipſiſmet Ec-
„ cleſiæ Romanæ Cardinalibus ſub oculis ſupremi Pon-
„ tificis.

„ 2o. Gratiam ſufficientem, quam in Jeſuitis im-
„ pugnant, nil aliud eſſe quàm gratiam ſufficien-
„ tem Molinæ, non autem illam, quam aliqui Tho-
„ miſtæ vocant ſufficientem, ſic tamen ut non cre-
„ dant eam ſufficere ad faciendum opera ſaluti æternæ
„ utilia.

„ 3o. Adſtruere, quemadmodum adſtruis pag. 387.
„ quòd doctrina de gratiâ ſufficiente in tuo & Societa-
„ tis ſenſu ſit eadem cum gratiâ ſufficiente Thomiſta-

„ rum, quos ibidem citas, esse fraudem indignam vi-
„ ro honesto & magis adhuc candore Theologi Ca-
„ tholici, sed quâ novelli tantùm tyrones decipi pos-
„ sunt.

„ 4°. Plectendam esse temeritatem dicere, prout di-
„ cere ibidem audes, dogma de gratiâ sufficiente datâ
„ omnibus, esse articulum fidei à Tridentinâ Synodo
„ definitum..... cùm sancta Synodus nequidem uti vo-
„ luerit vocabulo gratiæ sufficientis, sed tantùm gratiæ
„ excitantis. . . . quam adeo non credidit sufficere &
„ dari omnibus, ut planè contrarium docuerit, dicen-
„ do, non omnes percipere fructum Mortis Christi;
„ nam contendere gratiam quæ esset sufficiens ad salu-
„ tem non esse fructum mortis ipsius, quid aliud es-
„ set, nisi surripere Christo titulum Salvatoris omnium
„ hominum?

„ Denique cernent, quamvis firmissimè inhæreamus
„ dogmati de gratiâ per se efficaci..... & ..... remo-
„ tissimi simus à gratiâ Molinisticè sufficiente, nos ta-
„ men sinceram prorsus submissionem exhibere Consti-
„ tutioni Innocentii X. Pontificis. Immo tantum ab-
„ est ut illam *iniquè & petulanter* vellicemus. . . . . .
„ ut coram Ecclesiâ palam dicere non dubitemus Jesui-
„ tas potiùs illam *iniquè & petulanter* vellicare; quippe
„ qui suis interpretationibus falsis, temerariis & errori
„ obnoxiis eam dedecorent & calumniam impingant
„ S. Sedi, ansamque dent hæreticis Ecclesiam Roma-
„ nam Pelagianismi insimulandi, ac nonnisi adumbra-
„ tam submissionem exhibeant Bullæ, cujus studiosissi-
„ mi veneratores audire volunt.

„ Quippe adumbratam ei submissionem exhibet, qui
„ non recipit illam in sensu S. Sedis, & non vult dam-
„ nare errores quos ferit, nisi simul condemnando dog-
„ ma gratiæ efficacis, quæ est gratia Christi. Præte-
„ rea illam *iniquè* vellicat, qui contendit Pontificem
„ damnasse dogma quod ejus antecessores cum Ecclesiâ
„ considerarunt velut unum è pretiosissimis depositis
„ sibi à Deo commissis. Ad hæc eandem *petulanter*
„ vellicat, qui eâ uti conatur ad stabiliendum novitates

„ &

„ & perſequendum maximè Catholicos Eccleſiæ Theo-
„ logos.

„ Atque ut veniam ad ſingulos quinque articulos
„ Pontificio Diplomate proſcriptos. . . . . reipſâ Je-
„ ſuitæ incauti labuntur in errores Calvini aut Pelagii,
„ aut utriuſque ſimul.

„ Nam quantum ad primum & quintum è quinque
„ articulis, dum ſuſtinent ad hoc ut præcepta Dei
„ cenſeantur poſſibilia, neceſſariò admittendam eſſe
„ gratiam ſufficientem omnibus hominibus commu-
„ nem, & quæ in omnibus ſit fructus amoris Chriſti,
„ nonne laborant ad probandum cum Calvino præcepta
„ Dei eſſe impoſſibilia, cùm eorum poſſibilitas deſtrua-
„ tur hoc ipſo quo proponitur velut pendens ab opi-
„ nione, quæ adeo non nititur Scripturâ aut Traditio-
„ ne, ut etiam cum utrâque pugnet? Cùm verò gratia
„ illa ſufficiens omnibus communis, quam adſtruunt,
„ excludat neceſſitatem gratiæ ſeipſâ efficacis, quæ &
„ vera Chriſti gratia eſt, & neceſſaria ad omnes actio-
„ nes verè pias, patet iterum eos labi in Pelagiani-
„ ſmum, ſiquidem SS. Auguſtino & Thomæ credi-
„ mus, eorum Scholis, Academiis Lovanienſi & Dua-
„ cenſi, Congregationi de Auxiliis, & Supremis Ponti-
„ ficibus Clementi VIII. ac Paulo V.

„ Quantum ad reliquos tres articulos, iiſdem Judi-
„ cibus Calviniſmi aut Pelagianiſmi notam minimè ef-
„ fugient: is enim Pelagianis aut ſemi-Pelagianis con-
„ ſonat, qui contendit veram Chriſti gratiam non eſſe
„ ſeipſâ efficacem, ſed voluntatis pediſſequam, quæ
„ eam pro libitu inanem & vacuam dimittat. Porrò
„ Jeſuitæ aſſerunt id neceſſariò credendum ad damnan-
„ dum ut oportet ſecundam & quartam Propoſitio-
„ nem. Econtrariò cum Calvino concinit quiſquis
„ credit hujuſmodi gratiam, quæ ſuum effectum in
„ voluntate infallibiliter producit, imponere ipſi neceſ-
„ ſitatem libertati repugnantem, & ſic quidem ut jam
„ mereri non poſſit. At nonne hoc ipſum Jeſuitæ eli-
„ cere nituntur ex condemnatione tertii Articuli?
„ Nonne ab annis quadraginta ſuſtinent iſtam propoſi-

» tionem non posse rectè damnari, nisi renuntiando
» dogmati de gratiâ per se efficaci? &c.

En quo Jesuitas cæca præcipitat passio Molinæ adversarios velut Calvinistas & Jansenistas traducendi. Quod dum viris doctis persuadere non possunt per argumenta vera & solida, saltem minùs doctis persuadere conantur per fallacias & mendacia, exemplo Patrum suorum, qui simili arte ipsimet summo Pontifici Paulo V. in Congregatione de Auxiliis imponere conâti sunt per scriptorum fasciculum ipsi oblatum, prout Clarissimus Auctor Histor. Congreg. de Auxiliis enarrat *l.* 4. *c.* 15. Verùm *Pontifex*, inquit, *Jacobo Bossutio, Consultorum uni, examen demandavit, qui prolixâ Censurâ. . . . . de singulis scriptis sigillatim pronuntiavit. . . . . auctores fraudis, fallaciæ, falsitatis reos habuit, quòd apud Sedem Apostolicam non ea fide animique candore se gererent, quem & Judicis majestas, & argumenti dignitas postularet.*

Eadem arte usus Lessius in Præfat. Apologiæ suæ contra Censuram Lovaniensem dixit, *Illam Censuram adeò Augustini non esse, ut Calvini sit potiùs*, quem secutus Tellerius in libro quem falsò inscripsit *Defensionem novorum Christianorum &c.* prorsus à veritate aberravit, dicendo, Censuram Lovaniensem anni 1587. à professis Societatis inimicis fabricatam fuisse, istiusque Censuræ doctrinam, *Ei conformem esse, quam Innocentius X. & Alexander VII. Constitutionibus suis damnarunt.*

Verùm liber ille Tellerii pœnas promeritas luit per Decretum jussu S. D. N. Clementis XI. promulgatum, quo Romana Inquisitio librorum proscriptorum catalogo ipsum inseruit. Legi potest Apologia historica Censurarum Lovaniensis ac Duacensis à D. Geri edita adversus mendacia Tellerii Jesuitæ, quæ ibi validissimis conterit argumentis. Legatur etiam insignis refutatio Jesuitici Paralleli, quam vir clarissimus Libertus Hennebellus, Academiæ Lovaniensis Doctor Theologus, ad S. Sedem deputatus, Romæ Eminentissimis DD. Cardinalibus supremis Fidei Inquisitoribus obtulit, cujus

jus inſcriptio eſt, *Defenſio Cenſuræ Lovanienſis & Juſtificationis ipſius, itemque Cenſuræ Duacenſis contra ſcriptum* à Thyrſo Gonzales Præpoſito Generali Societatis vulgatum, cujus titulus : *Parallelus Thomiſmi veri & falſi*; quo ſcripto Generalis iſte doctrinam de gratia Jeſu Chriſti ab Academiis illis aſſertam, atque ex D. Auguſtino & S. Thoma certiſſimè depromptam, atque à Thoma de Lemos, aliiſque celeberrimis Thomiſtis plurimùm collaudatam, per impoſturam Jeſuitis familiarem traducere non veretur *ut falſum Thomiſmum, quem Societas Jeſu*, nimio utique Moliniſmi ſui amore obcæcata, *fatetur non poſſe ſe à Janſeniſmo diſtinguere.*

Verùm æquivocationes ipſius, fucataſque fallacias clariſſimus ille Cenſurarum Belgicarum Defenſor egregiè detegit, clariſſiméque demonſtrat, Cenſuras illas tanto in pretio in Auxiliorum Congregationibus ſub Clemente VIII. habitas fuiſſe, ut *coram Paulo V. & graviſſimo ſelectòrum Cardinalium Conſultorumque conſeſſu, P. Gregorius Nuñius Coronellus Ordinis S. Aug. Secretarius Congregationum de Auxiliis, juſſus compendio referre ea quæ ſub Clemente VIII. geſta erant*, in ipſo relationis exordio palam dixerit, Doctores Facultatis *Lovanienſis ad unam & triginta Profeſſorum Societatis propoſitiones dignam adhibuiſſe Cenſuram; extareque prorſus integram hanc relationem in Bibliotheca Angelica de urbe ad S. Auguſtinum, unà cum votis plurium Conſultorum, qui eamdem plurimùm prædicarunt. Nolim* (inquit) *mihi quis hac in parte credat, ſed oculis ſaltem ſuis illa legentibus in prædicta Bibliotheca Angelica credere dignetur:* quod profectò coram ſupremis cauſæ Judicibus aſſerere, ad ipſaque ſenſuum teſtimonia æmulos provocare tutum ipſi non fuiſſet, ſi quid ea in re dubii fuiſſet.

Legatur denique præclariſſimus Auctor Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis *l.* 1. *à cap.* 6. *ad* 13.; ubi Jeſuiticas criminationes omnes adverſus eaſdem Cenſuras, non ſolùm in cineres, ſed & in nihilum redigit; eaſque Romæ anno 1679. ſub Innocentio XI. poſt trimeſtre examen à Romana Inquiſitione approbatas fuiſſe: lu-

luculentissimis demonstrat testimoniis Eminentissimorum DD. Cardinalium Riccii, Casanate, de Laurea, Capisucci, nec non R. P. Antonini Cloche Generalis Prædicatorum, Illustrissimi Favoriti Innocentio XI. à secretis, clarissimi Abbatis Palaggii Canonici S. Petri in Vaticano, duorum Præfectorum Bibliothecæ Vaticanæ Emmanuelis à Schelstrate, & R. P. Josephi Sabbatini Ordinis S. Augustini, sancti Officii Qualificatoris: Jesuiticam verò in contrarium epistolam mendaciter esse confictam patenter evincit, ita ut mirandum sit, multumque mirandum, Jesuitas in mendacio tam palpabili posuisse spem suam.

Sed quid dicam? *Imitantur* ipsi *priscos suorum dogmatum Patronos* (ait Facultas Theologica Lovanienſis in epistola congratulatoria ad Facultatem Duacensem 21. Decembris anno 1648. conscripta) *quibus solemne fuit ad mendacia confugere, quoties id causa ipsorum exigeret. Non vos latet quomodo Pelagius hæresiarcha Synodum Palestinam circumvenerit, atque ab Antistitibus stropharum ejus ignaris absolutionem surripuerit. Nostis etiam quòd Celestius Zozimum Papam primitus deceperit, & acerrimas ab eo litteras contra accusatores suos ad Africanos Episcopos extorserit. Scitis & Cassianum, Semipelagianismi Architectum palàm docuisse, ac litteris consignasse, mendacio utendum velut Helleboro. Nec vos latet Faustum Semipelagianismi restauratorem Anathematismos suos sub Arelatensis Synodi nomine divulgasse. . . . Istorum itaque Veteratorum hæredibus, nulla fides in propria causa adhibenda est: dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur astutiam.* Eam anno 1702. imitatus P. Robertus Stephani (posteaquam in suis de gratia dictatis *disp. 2. sect. 2. subsect. 3.* dixisset, *Quòd immeritò gratiæ intrinsecè efficacis Patroni se Augustinianos nominent. . . . . scimus enim quinam dicuntur Ecclesiæ reformatæ, & quinam Helvetiorum se Evangelicos vocent*) in præfatione suarum Conclusionum Theologicarum Miscellanearum, nihil nisi injurias, fallacias, mendacia, æquivocationes spirantium, gratiæ per se efficacis Assertores intolerabili audaciâ mendaciter depingit

velut

velut pseudo-Augustinianos, *Qui in eo sensu Augustiniani sunt, in quo Hæresiarcha Joannes Wiclefus à suis discipulis Joannes Augustini vocabatur, in quo Calvinus sæpiùs dixit, Augustinus totus meus.* Quod jure optimo de seipso dixisset paucis antè lineis aiente: *Veneramur Fulgentium, Prosperum, Hilarium omnesque veros Augustini ad hæc usque tempora discipulos, inter quos postremos, summo nobis honori ducimus accenseri.*

Itane, Roberte, veri discipuli Augustini non sunt gratiæ per se efficacis Defensores, sed assecłæ Molinæ, quem Augustino prorsus adversum, Pelagianisque & Semipelagianis affinem Congregatio de auxiliis toties censuit, Censuraque Lovaniensis ac Duacensis, & ipsius Justificatio tam efficaciter probavit? Itane veri discipuli Augustini non sunt Religiosi Augustiniani, nec Thomistæ, à quibus notum est gratiam per se efficacem sustineri? Itane summo tibi honori ducis, Roberte, veris Augustini discipulis accenseri, qui Augustini auctoritatem, Ecclesiæ approbatione post canonicos scriptores maximam, dum Molinæ Novitatibus adversatur, invidiosè limitas, cúmque Molina tuo asserere non erubescis, S. Augustinum obscuritate suâ *perniciosis erroribus occasionem tribuisse?*

Quem non pudet cum Semipelagianis Augustini de gratia doctrinam de excelsu infimulare, temerarioque ausu effutire, quòd manifestum sit, solemnissimum Augustini contra Pelagianos argumentum, à divina justitia petitum, non concludere, uti ex verbis tuis efficaciter ostendit Auctor Speciminis doctrinæ à Jesuitis in Seminario Leodiensi traditæ, cujus Auctoris exquisita eruditio singulari pietati conjuncta, furorem tuum cohibere debuit, ne tot injuriis virum te longè sapientiorem, Ecclesiæque submissiorem onerares?

Itaque si Superis placet, in materia de gratia, non jam ampliùs Augustiniani & Thomistæ, sed Molinistæ veri sunt Augustini discipuli: sic utique Jesuitæ Remenses in famosa Thesi sua (ab Illustrissimo Carolo Mauritio le Tellier, Archiepiscopo & duce Remensi meritissimo proscripta) de 17. Decembris 1697. dixerunt:

Et

Et hic toti Auguſtiniani ſumus; tam verè utique, quàm Wiclefus, Calvinus &c. ſe totos Auguſtinianos, & Helveti Proteſtantes ſeſe Evangelicos dixerunt. Ne ipſe quidem Molina ſe totum Auguſtinianum cenſuit. Aliàs de invento à ſe novo gratiæ ſyſtemate, à nemine ante ipſum tradito, gloriatus non fuiſſet, nec inſinuaſſet Auguſtinum *veriorem ſententiam non eſſe ſecutum*, prout inſinuaſſe P. Stephani fatetur *diſp.* 3. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. Sed de Jeſuiticis iſtis præſtigiis pro nunc ſatis; cùm ex ſupradictis luce meridiana clariùs appareat, Moliniſticas præſtigias illas eò collimare, ut gratia per ſe efficax, qualem Auguſtinianorum Thomiſtarumque ſchola docet, Calviniana eſſe credatur & Janſeniana.

Quòd tametſi à veritate ſit alieniſſimum, & utrique ſcholæ illi valdè injurioſum, revelatâ facie (præter antè nominatos) ſcribere non veretur Honoratus Fabri in Apologetico ſuo doctrinæ moralis Societatis, à novem famoſis è Societate Theologis Gibalino, du Lieu, Granon, de S. Rigauld, Gauterot, de la Chaiſe, Violet, Tiram & le Bras approbato, *part.* 1. *dialogo* 5. *pag.* 96. *edit.* 1. *Lugdun.* ubi aſſerit eamdem eſſe *gratiam efficacem prædeterminantium, ac Janſenii & Calvini, nimirum gratiam per ſe intrinſecè ac præcisè efficacem. 2. Janſenium ex hoc principio ſuas illas propoſitiones ab Eccleſia damnatas deduxiſſe, & Calvinum ſuos errores de merito & libertate.* Quibus ſimilia repetuntur in damnato Problemate Ecclesiastico, totque aliis furioſis Jeſuitarum libellis & Memorialibus à S. Sede pariter damnatis, quæ quamvis centies refutata ſint, nec ipſimet Jeſuitæ ignorent à veritate aliena eſſe, quia tamen utilia cenſent ad rem ſuam, inceſſanter repetunt, eò quòd utique facto ſuo comprobare velint, quàm verè laudatiſſimus Alectenſis Epiſcopus Nicolaus Pavillonus in Epiſt. ad Innocentium XI. de die 30. Junii 1677. dixerit, *Quòd Janſeniana hæreſeos nomen prorſus jam vanum & inane ſummo ſtudio Jeſuita retineant*, eo quòd ipſis non ſit *præſentius & validius telum, quo ſe tueantur, & cujuslibet ordinis homines ſibi adverſantes diſturbent.*

Hac

Hac futili accuſatione ſanctiorem quamque de moribus doctrinam exſufflant, viros pietate & doctrinâ præſtantes traducunt, atque Eccleſiæ miniſteriis ſubmovent non Theologos modò, ſed Epiſcopos populis ſuſpectos efficiunt, pios eorum labores & ſaluberrimæ inſtaurandæ diſciplinæ conſilia invertunt, libros informandis moribus aptiſſimos fidelium manibus excutiunt, omnem denique inſtituendæ Chriſtianorum vitæ & ad normam Evangelii componendæ viam occludunt. Illud verò, Beatiſſime Pater, ſummoperè animadvertendum eſt, non ſolùm hujus fictitiæ hæreſeos prætextu graſſantem ubique morum corruptelam foveri, ſed fidei quoque ſolidiſſima dogmata convelli. Quis enim non doleat caſtiſſimam & ſaluberrimam SS. Auguſtini & Thomæ de gratuita Dei prædeſtinatione & gratia Chriſti ad ſingulos pietatis actus neceſſaria doctrinam, ſub invidioſo Janſenii nomine à pleriſque repudiari, & tamquam erroneam & hæreſeos notâ dignam in Cathedris, in pulpitis, in colloquiis traduci? &c. Celeberrimus quoque Epiſcopus Vencienſis Antonius Godellus in ſuâ adverſus Caſuiſtarum Apologiam Cenſurâ ſic loquitur: „ Tota „ iſtius operis ſeries redolet quendam animi exulcerati „ furorem adverſum Vindices Ethicæ Chriſtianæ, qui„ bus Auctor odium conflare nititur, illos vocitando „ hæreticos. Nam ii quibus hanc notam inurit, ſunt „ Curiones Pariſienſes, Rotomagenſes, præcipuarum„ que urbium, ſunt ſanctiſſimi Epiſcopi, Sacerdotes „ virtutibus conſpicui, optimi Religioſi, qui palam „ profitentur ſe damnare quinque articulos à Pontifice „ proſcriptos, & exhibere S. Sedi quidquid obſervan„ tiæ ac ſubmiſſionis boni & morigeri Catholici de„ bent. " &c.

A R-

ARTIFICIUM DUODECIMUM.

Societatis opiniones majori cum ſinceritate non exponere, quàm adverſariorum, ſed cum involucris, fucis & æquivocationibus ad tegendam earum turpitudinem.

PAtet hoc imprimis ex eo quòd in Congregationibus de Auxiliis, ne per iterata quidem nomine Pontificis mandata, de hoc ipſis facta per Card. Madrutium, adduci potuerint ad propriam mentem clarè & ſine ambiguitate exponendam, circa divinæ gratiæ efficaciam, ita ut circa hoc Jeſuitas non ſatis ſinceros fuiſſe expoſtularint Prædicatores, ut oſtendit Auctor Hiſtoriæ Congreg. de Auxil. *l.* 2. *c.* 6. 7. *&* 8.

Nec hodiè magis ſinceri ſunt in exponenda Sociorum doctrina Morali, prout ad oculum demonſtrat celebris Doctor Arnaldus *Denunt. V. Jeſuitici Philoſophiſmi art. XI.* cujus titulus eſt ut ſequitur: *Quàm parum ſincerè procedant Jeſuitæ, oſtenditur ex ſcriptis quinque vel ſex Profeſſorum Societatis, quorum exemplaria authentica præ manibus habentur.*

Qui quidem Scriptor celeberrimus in corpore articuli ſic Jeſuitas alloquitur: „ Æthiopes incaſſum lavatis, Reverendi Patres, dum Fratribus veſtris Philoſophiſtis ea tribuitis, quæ ſuis ipſi Theſibus, libris „ & ſcriptis abnuunt.

„ Sub finem Tertiæ Denuntiationis inſinuatum fuerat, præ manibus haberi ſcripta Theologorum veſtrorum, qui Philoſophiſmum ſic explicarent, ut „ nullum relinquerent locum cavillationi veſtræ de falſâ hypotheſi, vel impoſſibilitate morali. Profeſſor „ Veſter Antverpienſis nos provocare auſus eſt ad ea „ proferenda, ſtultè exiſtimans nos non habere quod „ jactitabamus. "

Exhibet deinde ſcripta quinque Sociorum Philoſophiſtarum, & addit ſe habere quoque tria exemplaria Scriptorum Muſnieri Profeſſoris Divionenſis, cujus hâc

hâc de re propositio damnata est ab Alexandro VIII. Quæ scripta, quia Jesuitæ Parisienses Epist. 1. solemniter polliciti fuerant publico se daturos hisce verbis, *Testimoniis authenticis palam comprobabitur Professorem Divionensem in scriptis suis impugnare id quod novam hæresim vocas. Cur differis? Cur argumenta, quæ sibi objicit, capis velut sententias quas asserat & probet? Cur illi imponis falsas consequentias, quas rejicit?* ipsos provocavit ut promissa implerent, redarguitque de insincera promissione, cùm à tanto tempore toties provocati ausi non fuerint ea publico dare, ne publicè confunderentur.

Tam horrida atique ex Jesuitarum Philosophismo Denuntiator consectaria derivavit, ut ipsos puduerit Christianâ humilitate fateri Sociorum aliquos in Philosophismo tradendo humanum aliquid passos. Quinimò ad declinandam illius invidiam, primùm negare cœperunt Philosophismum ab ullo Socio traditum fuisse, ausi etiam sustinere, nec tradita fuisse principia ipsius, verùm de utriusque falsitate per textus suorum expressissimos convicti, ad subterfugia, æquivocationes & solitas cavillationes confugerunt, dicentes Philosophismum à Sociis solùm admissum fuisse in hypothesi non verâ & reali, sed falsâ, moraliterque impossibili.

Ast etiam ista de arce dejecti, per textus nimis patentes suorum, verterunt se ad subterfugia & æquivocationes. Cùm enim peccatum Philosophicum supponeret ignorantiam vel inadvertentiam, seu incogitantiam Dei vel divinæ legis inculpatam, seu involuntariam & invincibilem, pro tali habentes eam quam ceteri passim omnes pro vincibili, voluntariâ & culpabili habebant, accusatores peccati Philosophici arguebant quòd fundarent se in damnato principio, quòd ignorantia invincibilis non excuset à peccato. Verùm istud subterfugium, à veritate prorsus alienum esse demonstravit Philosophismi Denuntiator Denuntiatione V. Et post ipsum uberiùs Apologista Provincialium Epist. VIII. qui similiter Jesuitarum æquivocationes detegit, demonstrativéque refellit epist. V. circa probabilitatem,

nec

nec non epist. IX. malam fidem insinceritatemque eorumdem in excusando Baunio circa proximam peccandi occasionem. Et rursus epist. X. in excusandis aliis Sociis circa Simoniam. epist. XII. circa amorem D[illegible] epist. XIV. circa usuram intentionisque directionem. epist. XV. demonstrat ipsorum impietatem in excusandis æquivocationibus restrictionibusque mentalibus exemplo Christi & Sanctorum. Videri etiam potest Wendrokius in notis ad epist. V. VIII. IX. XIII. XV. &c.

ARTIFICIUM DECIMUM TERTIUM.

Pro rerum Societatis ac temporum varietate, summum Pontificem in decidendis factis, etiam doctrinalibus, non revelatis, quotidie in Ecclesia mergentibus, nunc fallibilem asserere, nunc infallibilem, quasi res Societatis, seu varia earum exigentia, veritati præscribere queant.

DEmonstrat hoc Clarissimus Author Historiæ Congregationum de Auxiliis *l.* 4. *c.* 2. ex libello supplici, quem Societas anno 1605. sub initium mensis Augusti, per suum Generalem Aquaviva Paulo V. obtulit. Eo namque Pontificem deprecabatur, ut ecclesiasticæ consuetudinis memor, sola quæ fidei sunt definiret; cetera Theologorum disputationibus permitteret. Aiebat verò facta humana quotidiana, etiam dogmatica, ad fidem nullatenus pertinere: *Quis enim dicat pertinere ad fidem, quid hic aut ille. . . vel existimaverit, vel docuerit? Res quidem* (id est dogma, quod in ipso legitur) *ad fidei fortasse objectum spectare utcumque potest; fuisse autem illos hujus vel illius sententiæ, nisi ex ipsorum scriptis, sive evidenter, sive probabiliter colligatur, ambiguum erit & obscurum. Fide proinde Catholica definiri non poterit. Cùm enim Romanus Pontifex. . . . non possit novos libros canonicos scribere, & novos fidei articulos condere (quòd olim faciebant Prophetæ, Apostoli, ceteriquè Canonici Scriptores) sequatur ne-*

neceſſe eſt ſacrarum Literarum, & divinarum Traditionum authoritatem, vel Sanctorum Patrum, & Theologorum conſenſionem, vel communem quemdam totiùs Eccleſiæ ſenſum, & quaſi guſtum: quorum nihil ſpectari poteſt, cum de privati hominis ſententia diſputatur. Nam ut olim Prophetis, atque Apoſtolis, reliquiſque ſacrorum librorum Scriptoribus, & divinarum Traditionum Authoribus ita affuit Spiritus Sanctus, ut nihil illis excideret, quòd non eſſet divinitùs inſpiratum; ita etſi idem Spiritus Sanctus Romano Pontifici adeſt, ut in rebus fidei declarandis, explicandiſque ſacris Literis, Apoſtolicis Traditionibus, quibus principia fidei continentur, nunquam fallatur, aut erret; in privatorum verò dictis declarandis, quæ humano ſtudio ac diligentia deteguntur, vereor an poſſit hanc ſibi infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam certò polliceri.

Hactenus Societatis ſuæ nomine Aquaviva. Quis ergo non obſtupeſcat, tantam hodie in Sociis variationem? Quis illam ipſis inconſtantiam non probro vertat, quòd cùm ante centum annos in facto dogmatico Molinæ definiendo Romanum Pontificem fallibilem aſſeruerint, ne in facto illo victi viderentur; hodie in ſimillimo Janſenii facto definiendo eumdem infallibilem eſſe, tanta cum animoſitate vociferentur, ut factum iſtud fide divina credi velint, & non credentes pro hæreticis habeant? Ergone pro temporum varietate, ſeu variis rerum Societatis exigentia, variè de fallibilitate vel infallibilitate Romani Pontificis philoſophari licitum putant? Si ita eſt, tandem aliquando manifeſtum ſit univerſo Orbi, Societatis viros, magis de ſervandis ſuis, quàm de Pontificiis prærogativis tuendis, deque veritate aſſerenda ſollicitos eſſe; veritatemque apud ipſos ancillam eſſe cauſarum Societatis. Sic enim olim ipſi, quia ſic olim exigebat ſuſcepta ab ipſis cauſa Defenſionis Libri Molinæ. At non ſic hodie, imò prorſus ex adverſo, quia hoc hodie poſtulat ſuſcepta ab ipſis cauſa accuſationis libri Janſenii, & quæ rebus Societatis adeo neceſſaria ipſis videtur, Sociorum placitis contradicentium perſecutio.

Nec

Nec terrentur ex hoc quod iſtum agendi modum, (utpote doloſum) non permittat honeſtas, nec chriſtiana ſinceritas, nec alia virtus. Quia *an dolus, an virtus*, quis ab iis requirat, qui ſua potiùs, quàm veritatem quærant; & non ſolùm in facto Moliniano, ſed & in ipſis fidei dogmatibus Paulo V. fucum fecerunt, eorum definitionem doloſè impediendo? Neque verò de ſolo Moliniano facto in Congregationibus de Auxiliis fuit diſputatum; imò maximè de ſenſu definitionum Eccleſiæ, ſeu canonum, à veteribus Conciliis, Romaniſque Pontificibus, adverſus Pelagianos Semipelagianoſque conditorum. Qua in re ipſorum in definiendo indeficientiam, ſeu infallibilitatem non diffitebantur.

Adverſus ipſos quoque Cenſores à Clemente VIII. deſignatos, eodem in libello, & aliàs expoſtularunt, quòd erga Societatem malè animati, ultra modum ſeveri, tantæ Controverſiæ dirimendæ magna ex parte impares forent, alterique parti plus æquò addicti. An iſtud tunc tolerabile in iis, qui hodie per pulpita & roſtra proclamant, ferendos non eſſe expoſtulatores adverſus Cenſores facti Janſeniani ab Innocentio X. deſignatos?

Verùm hoc tantiſper diſſimulemus: neque enim tanti eſt momenti. Id ergo potiùs diſcutiamus, utra opinio magis conſonet veritati, an illa, quàm olim (illo in Libello) Societas defenſavit, de Romani Pontificis fallibilitate in definiendis factis novis, non revelatis, etiam doctrinalibus? An ea quam hodie pro aris & focis tuentur, de ipſius infallibilitate in definiendis ejuſmodi factis?

SECTIO

SECTIO I.

Aſſerta hodie à Sociis Papæ infallibilitas in definiendis factis doctrinalibus novis, non revelatis, divinæ Scripturæ & Traditioni videtur formaliter adverſari.

ET ideò doctiſſimus è Societate Theologus, Michael de Elizalde, iſtam Sociorum ſuorum aſſertionem, ſeu opinionem, hæreticam cenſet in libro *De forma veræ Religionis quærendæ & inveniendæ.* A qua cenſura licèt abſtineamus, ratio tamen propter quam aſſertio iſta nobis videtur Scripturæ formaliter adverſa, eſt quia juxta Scripturam *Omnis homo mendax Pſ.* 115. *& Hebr.* 6. Si *omnis homo*; igitur etiam Papa, dum ex ſeipſo loquitur non ex verbo Dei ſcripto vel tradito; dum proinde verbum ipſius non eſt verbum Dei, ſed verbum hominis, ea quæ ex ſe ambigua ſunt, atque inter Catholicos Viros doctos controverſa, non ex divina revelatione, ſed ex humana inveſtigatione definientis. In iis namque perinde obnoxius eſt mendacio, id eſt errori ac falſitati, quàm peccato, dum ex ſe, non ex Deo agit. Tam enim ſcriptum eſt, *Omnis homo mendax*, quàm ſcriptum eſt, *Non eſt homo qui non peccat.*

Nec Traditioni minus videtur formaliter adverſa, quàm Scripturæ. *Primò* namque Tertullianus in lib. de veland. virg. dicit, quòd *regula fidei una eſt*, SOLA IMMOBILIS ET IRREFORMABILIS, ex vi ſcilicet authoritatis in qua fundatur, quæ divina eſt authoritas, ideò ſola inerrabilis, quia *impoſſibile eſt mentiri Deum. Hebr.* 6. *Eſt enim Deus verax* (imò veritas ipſa) *omnis autem homo mendax. Rom.* 3. Nihil per conſequens immobile, ſeu irreformabile ex vi authoritatis illud definientis, niſi quod divinitùs eſt revelatum, adeóque in divina authoritate fundatum. Nihil proinde niſi quod ad fidem pertinet, verboque Dei ſcripto vel tradito continetur. Utpotè quod ſolum fidei regula eſt. Nihil quippe præterea fide divina credimus, prout idem Tertullianus ait *l. de præſcript. c.* 8. hiſce verbis: *Nobis nihil ex noſtro arbi-*

trio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus Authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Nihil igitur aliud fide divina credendum adſignare poteſt etiam Papa, ſed quidquid ultra hoc definit, extra fidei regulam eſt; reformabile proinde eſt, nec ad fidem pertinere poteſt. Et ideò ſubjungit. *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Hoc enim credimus, non eſſe ultra quod credere debeamus.*

II. Epiphanius hæreſi 55. contra Melchiſedecianos, *Termini*, inquit, *præſcripti ſunt nobis, & fundamenta poſita, & fidei ſtructura, & Apoſtolorum traditiones, & Sacræ Literæ, & doctrina propagata ſucceſſio, & denique divina veritas ex omni parte munita eſt, & conſtituta.* Nulla igitur Eccleſiæ, vel Papæ definitio, in illis non fundata, vera eſt veritate divina, ſeu fidei. Nulla proinde infallibilis veritatis, ex ſola vi authoritatis definientis. Aliàs id quod tali authoritate definiretur, verum eſſet veritate divinâ & fidei, tametſi nec in Sacris Literis, nec in Apoſtolicis traditionibus fundatâ (& ſic fidei ſtructura in ſacris literis & traditionibus Apoſtolicis non eſſet unicè, ſive *ex omni parte* fundata, prout Epiphanius dicit) quia verum eſſet veritate divinæ promiſſionis, qua Chriſtus Eccleſiæ, & Papæ promiſiſſet infallibilem Sancti Spiritus aſſiſtentiam, ne in definitionibus illis erraret. Per conſequens fides, quæ definitionibus illis præſtaretur, fundata non eſſet in ſolo verbo hominis, vel hominum, ſed in verbo Dei, fideles certos reddente, de veritate omnis facti, per Papam vel Eccleſiam definiti. Non ergo ſolùm crederemus, quia id Eccleſia, vel Papa definiiſſet, ſed quia verbo Dei, ſeu divina promiſſione certi eſſemus, verum eſſe factum quodcumque, quod Eccleſia vel Papa definiiſſet. Fides proinde noſtra in veritate ſeu veracitate divina, ſeu divinæ promiſſionis eſſet fundata. Cui veritati, ac veracitati haud dubiè debita eſt fides divina.

III. Per

III. Per conſequens verum non eſſet, quod cum Epiphanio ac Tertulliano tradunt ceteri Patres, Eccleſiaque tota; utpote quæ (ut Vincentius Lirinenſis *Commonit. c.* 32. ait) hoc ſemper, nec quidquam præterea, *hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum ſuorum Decretis. . . . perficit, niſi ut quod prius à Majoribus ſola traditione acceperat, hoc deinde poſteris etiam per Scripturæ Chirographum conſignaret*; non proinde factum aliquod, Majoribus incognitum, fide divina credendum proponit.

Videre hoc licet in Conciliis Nicæno, Epheſino, Calcedonenſi &c. ſicut & in noviſſimo Concilio Tridentino, quod aliud non ſtatuit fundamentum ſuarum de fide definitionum, niſi divinam Scripturam, Traditionemque. Meritò quidem, *Fons* quippe *omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ. . . . . continetur in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus* (ait ſeſſ. 4) *quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt.*

Neceſſe ergo non eſt ad ſalutem fidelium, præter fidei articulos, qui in ſanctis illis libris, & ſine ſcripto traditionibus continentur, alios, ſeu novos fidei articulos condere, nec ad eandem ſalutem neceſſe fuit indeficientem in definiendo authoritatem Eccleſiæ à Chriſto tribui, ad definiendum aliquid in libris illis ſcriptis & Traditionibus non contentum, ſed ad fidelem duntaxat divini iſtius depoſiti (ſalutarem omnem veritatem, morumque diſciplinam continentis) cuſtodiam.

Et ideò Eccleſia, & Romani Pontifices, ſive in Conciliis, ſive extra, novos fidei articulos nunquam condiderunt, ſed vetus illud depoſitum, juxta Apoſtoli præceptum, cuſtodierunt, propoſuerunt, expoſuerunt. Quod ſibi creditum, non à ſe inventum. Quod & ipſi à Majoribus ſuis acceperunt, non quod excogitarunt. Non novæ inſtitutionis, ſed antiquæ traditionis, prout in laudatis Conciliis videbit, quiſquis abſque præjudiciis attenta mente legerit.

Idipsum videre licet in celebri epistola illa Leonis Magni, quam Concilium Calcedonense tam solemniter approbavit. In qua cùm Episcopi Ægyptii, tribus post istud Concilium annis, contenderent Nestorianismum contineri (quæ erat quæstio facti doctrinalis, Jansenismo simillima) Leo, qui epist. 78. aliàs 132. ad Leonem Augustum, & aliàs tam constanter Concilii istius de fide definitiones in dubium nonnisi sacrilegè revocari posse docuerat, vel retractari (eò quòd manifestè constitisset, eas ex *Evangelico, & Apostolico fonte prodire*) novum tamen epistolæ suæ examen circa factum istud fieri voluit, eumque in finem veterum Patrum testimonia transmisit, in Ecclesia Alexandrina publicè legenda, & conferenda cum Epistola sua, ut *plebs* (inquit epist. 130.) *noverit, ea sibi præsenti* epistolæ suæ *doctrinâ insinuari, quæ Patres & acceperunt à præcedentibus suis, & posteris tradiderunt. . . . ut aures fidelium probent, non aliud Nos, quàm quod à Majoribus accepimus, prædicare*, fideque divina credendum proponere. Et epist. 103. *Non nova prædicationis est epistola mea, in nullo discedens ab ejus fidei regula, quæ evidenter à nostris vestrisque est defensa Majoribus.* Propterea etiam serm. 13. de Pass. Dom. dicit, quod *nihil ab antiquis significationibus in Christiana Religione diversum inveniatur.*

Forent autem non pauca diversa, si nova facta doctrinalia, in verbo Dei scripto vel tradito non contenta, post Romani Pontificis, vel Ecclesiæ definitionem, ad Christianam pertinerent Religionem, seu divinam & Catholicam fidem. Hoc quippe dato Christiana Religio, fidesque Catholica, nova quotidiè susciperet incrementa. Quòd cum Sanctis Patribus negant Theologi passim omnes, sicut & Theologorum Princeps S. Thomas 2. 2. *q.* 1. *a.* 7. ubi docet, quòd *quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum; quia quædam*

ex-

explicitè credita ſunt à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicitè.

IV. Si Eccleſiam in decidendis factis novis doctrinalibus, non revelatis, infallibilem credidiſſet Baſilius Magnus, non contradixiſſet definitioni Concilii Oecumenici Sardicenſis, & Julii I. in cauſâ Marcelli, Epiſcopi Ancyrani. Contradixit autem: cùm enim iſtius Epiſcopi Libros Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, in Concilio illo accuſaſſet, velut hæreticam doctrinam continentes, re diligenter examinata, *deprehenſa eſt Euſebii doloſa res* (ait Concilium in Epiſtola Synodica) . . . . *recitatis illis quæ antecederent & conſequerentur in illis quæſtionibus, inventa eſt bona & recta fides viri illius.* Idem fuit ſolemne judicium Julii I. Romani Pontificis eadem in cauſa, ad ſe delata Judicio nihilominus tam ſolemni privatum judicium ſuum D. Baſilius opponens, non ſolùm ei contradixit, (quia, inquit, *hujus experimentum ac demonſtrationem reconditi apud me iniquæ Syngraphæ Libri continent*) ſed & eos redarguit, qui ipſum ad Eccleſiæ receperunt communionem; Patres utique Sardicenſes & Julium Papam, tametſi Marcelli adverſus Aſterium *de ſubjectione* liber, ex quo hæreſim ipſius demonſtrari credidit Baſilius; ille idem ſit, qui à Concilio Sardicenſi examinatus fuit & approbatus, prout obſervat eruditiſſimus Benedictinus Collect. nov. to. 2. diatr. de cauſa Marcel. Ancyr. c. 4. Librum verò à Concilio Oecumenico examinatum, & declaratum in doctrina orthodoxum, Baſilius non cenſuiſſet hæreticum, nec judicio ipſius ſuum oppoſuiſſet, nec *de ignorantia veritatis* ipſum redarguiſſet, ſi ipſum in dijudicando vero libri illius ſenſu inerrabile cenſuiſſet. Si enim in ea quæſtione inerrabile fuiſſet, librum, hæreſim continentem, velut orthodoxum non approbaſſet.

V. Eidem Concilio pariter contradixerunt, ipſius proinde hac in re judicium infallibile non crediderunt Chryſoſtomus *Homil. 2 in epiſt. ad Hebr.* Theodoretus, *l. 2. hæretic. fabul. c.* 10. Marius Victorinus *l. 1. adverſus Arium*, Marius Mercator *ad anath.* 12. *Neſtorii*

storii: quia & ipsi, non obstante sententia illa Concilii Sardicensis, & Julii I. Marcellum vel Photino junxerunt, vel Sabellio. Et revera Photini Magister fuit.

VI. Ejusdem Marcelli, sicut & Photini hæreses in Secunda Synodo Oecumenica, Constantinopolitana I. can. 1. profligatæ sunt, prout Cabassutius refert in Notitia istius Concilii, per istud proinde Concilium reformatum fuit judicium Concilii Sardicensis. Ergo judicium istud irreformabile seu inerrabile non censuit Concilium I. Constantinopolitanum.

VII. Ecclesiæ, seu plenarii totius Orbis Concilii, in definiendis factis novis (quæ per Scripturam, vel Traditionem, seu divinam revelationem non innotescunt, sed per humanum experimentum, vel investigationem) fallibilitatem reformabilitatemque Augustinus tradit l. 2. de Bapt. c. 3. clarissimis hisce verbis: *Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam, tam veteris quàm Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteroribus Episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrùm verum, vel utrùm rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est? Et ipsa Concilia, quæ per singulas Regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere*: IPSAQUE PLENARIA CONCILIA SÆPE PRIORA POSTERIORIBUS EMENDARI; *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflatæ cervicis arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.* Ubi S. Doctor non loquitur de emendatione eorum quæ à plenario totius Orbis Concilio

lio

lio definita ſunt circa fidei myſteria, ſed circa ea quæ ſub humanum experimentum cadunt. Dicit enim plenaria Concilia priora poſterioribus emendari, *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat &c.* Circa ea itaque contingit etiam plenarium totius Orbis Concilium ſubinde errare, ſecundùm Auguſtinum. Unde etiam l. 2 contra Creſconium c. 21. dicit, quòd *Chriſtus ſemper veraciter judicat; Eccleſiaſtici autem Judices plerumque falluntur.*

VIII. S. Columbanus deceptum credidit Concilium generale V. ſicut & Vigilium Papam in condemnatione trium Capitulorum. Aliàs iſti condemnationi non contradixiſſet, uti nec ſanctus Monachus Secundinus: quod tamen ab utroque factum, videri poteſt in vita S. Gregorii Magni, à Benedictinis Congregationis S. Mauri nuper latinè reddita *l. 2. c. 5. & l. 4. c. 1.* Et in tantum contradixerunt, ut S. Columbanus epiſt. ad Bonifac. IV. hiſce verbis Vigilium redarguerit: *Vigila itaque, quaſo, Papa, quia fortè non benè vigilavit Vigilius, quem caput ſcandali iſti clamant, qui vobis culpam injiciunt.* Secundinus verò, ſcientia & ſanctitate celebris, in defenſionem trium Capitulorum Apologiam confecit, quam Theodolinda, Longobardorum Regina piiſſima, & apprimè Catholica, Gregorio Magno (cui Secundinus acceptiſſimus fuit) miſit, ut ei reſponderet, quòd tamen impeditus non fecit. Nec ſolus S. Columbanus cum Secundino, ſed & Epiſcopi ferè omnes Africæ, Iſtriæ, Liguriæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Hiberniæ, Lombardiæ &c. cum laudata Theodolinda, & Childeberto Galliarum Rege, Concilium V. deceptum crediderunt, in condemnatione trium Capitulorum, & propterea illud non receperunt, & culpabiles exiſtimarunt Romanos Pontifices, qui illud approbarunt. Sanctus quoque Iſidorus. Hiſpalenſis Epiſcopus, in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, contra definitionem Concilii V. Theodorum Mopſueſtenum laudavit, & in Chronico Juſtinianum Imperatorem vituperavit, quòd *omnes in Regno ſuo Epiſcopos tria Concilii Calcedonenſis capitula damnare compuliſſet.*

Nec ipse ergo infallibilem censuit definitionem Concilii V. etiam diu post ipsius approbationem à Vigilio, Pelagio I. & II. Gregorio Magno &c. quibus diu posterior fuit S. Isidorus anno 636. mortuus. Estque observatu dignum, quòd nequidem post istius Concilii approbationem à Concilio Generali VI. laudatisque Romanis Pontificibus, Concilium Toletanum XIV. anno 684. celebratum (uti nec alia pleraque Hispanica Concilia) mentionem ullam fecerit Concilii V. imò post professam observantiam quatuor primorum Conciliorum, post Concilium Calcedonense à cunctis admitti jusserit Concilium VI. duas definiens distinctas & inconfusas in Christo voluntates, per hoc quasi insinuans admittendum necessariò non esse Concilium V. in causa facti, non fidei, congregatum, in causa proinde illa errori obnoxium. Quam etiam ob causam Cassiodorum istud Concilium non approbasse, Baronius ad annum 556 inde colligit, quòd cùm cetera recenseret Oecumenica Concilia, nullam hujus habeat mentionem.

IX. S. Bernardus *l.* 2. *de consid. c. ult.* Eugenium III. alloquens dicit, Romanis Pontificibus adeò frequentem contingere deceptionem ex facilitate credulitatis, ut ipsorum vix ullus, si ullus, à vitio isto sit immunis: *Est vitium* (inquit) *cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi, ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis, me judice, solitarius. Quia veraciter, singulariterque levasti te supra te, juxta Prophetam. Facilitas credulitatis hæc est, cujus callidissimæ vulpeculæ Magnorum neminem comperi satis caviisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ; inde innocentium frequens addictio; inde præjudicia in absentes &c.* Cui dubium esse potest, facilitatem istam procedere etiam in judicio de factis doctrinalibus, obscuris & controversis, particularium personarum; cùm judicium istud valde frequenter ex falsa fiat informatione hominum, quibus Pontifex nimis facilè fidem habet? Unde epist. 327. ad Innocentium II. sit scribit: *Nec mirum, nec novum est, humanum animum* (etiam Papæ) *posse falli & fallere.*

Mo-

Monachi venerunt ad Vos in ſpiritu mendacii, & ſpiritu erroris, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Verbum iniquum conſtituerunt adverſus Epiſcopum, cujus converſationis & vitæ bonus odor fuit hactenus in omni loco. Qui ſunt iſti, qui contra legem maledicunt ſurdo, qui ut canes mordent, qui dicunt bonum malum, qui ponunt lucem tenebras? Quare, Domine, iraſceris in filium tuum? Quare latificaſti inimicos ejus? Ubi eſt illud Apoſtoli: „ Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpi- „ ritus, ſi ex Deo ſunt? *In Domino confido, quia diſſipabitur conſilium eorum, &, cùm apparuerit quod verum eſt, evacuabitur quod ex falſo eſt.*

SECTIO II.

Suam in ejuſmodi fallibilitatem Romani Pontifices, etiam ex ipſis Sanctiſſimi, agnoſcunt.

IMprimis Leo Magnus ubi ſuprà, cùm doctrinalem epiſtolam ſuam, in materia facti, ad judicium revocari permiſit, & epiſt. ad Maximum Antiochenum dixit, *Quidquid præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum* (cauſas utique fidei) *ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi*, id eſt (interprete Pelagio II.) *ad judicium revocandi, habere rationem.*

Deinde Anaſtaſius II. epiſt. ad Anaſtaſ. Imperat. (quæ refertur to. 4. Concil. pag. 1235.) dicit, quòd *judicium Dei ſolum falli non poteſt.*

Vigilius Papa circa tria capitula, à Concilio V. damnata, tam varius non fuiſſet, nunc ea cum Concilio iſto improbando, nunc cum Concilio Calcedonenſi approbando, eorumque damnationi uſque ad duriſſimas diuturni carceris ærumnas (in quo ipſum Juſtinianus Imperator, fune ad collum alligato, modico duntaxat pane & aqua paſtum, indigniſſimè detinuit) reſiſtendo, ſi Concilium V. accedente conſenſu ſuo (quem ante iſtius Concilii inchoationem pollicitus fuerat, prout in

duabus primis collationibus enarratur) inerrabile censuisset.

Nec Vigilii successor Pelagius I. nec Pelagius II. nec Gregorius Magnus, seipsos inerrabiles credidérunt.

Et Gregorius quidem Magnus, jam Pontifex, *Dial. l. 1 c. 4. Quid miraris*, inquit, *quia fallimur, qui homines sumus? ..... David, qui prophetiæ spiritum habere consueverat, contra innocentem filium Jonathæ sententiam dedit. . . . . Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum verò est, quòd uniuscujusque Præsulis* (maximè Præsulum Præsulis) *mentem curarum densitas* (hominumque in spiritu adulationis adstantium fallacia, & ipsorum Præsulum in credendo facilitas) *devastat: cùmque animus dividitur ad multa, sit minor ad singula*; per consequens *facilè ei in una qualibet re* (etiam proinde in factis doctrinalibus) *subripitur*.

Pelagium etiam I. & II. Divumque cum ipsis Gregorium non credidisse inerrabilitatem Concilii V. etiamsi à se approbati in trium Capitulorum damnatione, nonnulli probant ex hoc quòd trium Capitulorum defensores à Concilio V. anathemate damnatos, Africæ utique, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Istriæ &c. Episcopos, pro anathemate damnatis non habuerint, sed ad Communionem suam invitaverint, receperintque, etiam in eorumdem Capitulorum defensione perstitentes.

Verùm quia ex dicendis apparebit, solos illos trium capitulorum Defensores à Concilio V. anathemate damnatos fuisse, qui in capitulis illis Nestorianam agnoscentes hæresim, eam defendebant; non eos, qui hæresim illam cum Ecclesia universa damnantes anathematizantesque, eam in capitulis illis non credebant contineri. Ideo melius illud ipsum argumentis sequentibus probatur.

1. Quia laudati Pontifices solemniter declararunt, quæstionem de tribus capitulis ad fidem non pertinere, sed ad quæstiones superfluas, nulliusque ad fidem momen-

menti. Cujuſmodi profectò non ſunt, quæ authoritate infallibili, divinis in promiſſionibus fundatâ, authoritate proinde divina definiuntur. Ad fidem quippe pertinent, uti demonſtratum eſt ſect. 1. probat. 2.

2. Quia Pelagius II. epiſt. ad Epiſcop. Iſtriæ (in qua conſcribenda D. Gregorium ipſi amanuenſem fuiſſe, eruditi cenſent) cum Leone Magno docet, ſolam fidei definitionem ex vi authoritatis, irreformabilem, adeóque infallibilem eſſe; ceteras verò Synodorum, etiam generalium, definitiones ad judicium revocari poſſe: *Specialis Synodalium Conciliorum cauſa eſt fides; quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, oſtenditur, quia nihil obſtat ſi ad judicium revocetur.* Atqui facta trium Capitulorum, licèt doctrinalia, ſunt *præter fidem.* Unde illa *extra fidem* vocat Pelagius I. epiſt 12. ad Childebertum Regem, ſicut & Pelagius II. epiſt. citata, & frequenter Gregorius Magnus; ea igitur Pelagius II. cum Leone Magno cenſet ad judicium revocabilia, etiam poſt Concilii Oecumenici V. definitionem, authoritate proinde infallibili non definita.

3. Pelagius II. & Gregorius Magnus eadem in epiſtola rurſus aiunt, quòd licèt epiſtola Ibæ à Concilio Calcedonenſi approbata fuiſſet, in materia tamen ad fidem non pertinente retractari potuiſſet, ac reprehendi: *Licenter tamen unuſquiſque eam reprehenderet, etiamſi Epiſcopi in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſubſcriptionibus approbaſſent. Quia, B. Leone docente, jus retractandi & dijudicandi conceditur*, in iis quæ ad fidem non pertinent. Quia *cuncta res, quæ retractari non debet, ſola eſt profeſſio fidei.* Quid clarius? Extra fidei ergo profeſſionem omne Epiſcoporum, etiam Epiſcopi Epiſcoporum judicium, *authoritate* irreformabili *vacuatur*, id eſt tali, quæ impediat judicii reformationem juſtâ de cauſâ fieri.

SECTIO III.

Continuatur traditio Romanorum Pontificum, suam & Ecclesiæ fallibilitatem in factis non revelatis dijudicandis agnoscentium.

LEone Magno, Anastasio, Vigilio, Pelagio I. & II. Gregorioque Magno concinens Leo IV. aliàs III. *can.* Nos si incompetenter 2. *q.* 7. Sanctionum suarum extra materiam fidei fallibilitatem, emendabilitatemque, ingenuè fatetur, cùm dicit: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in abditis justa Legis tramitem non conservavimus* (manifestè ergo supponit hoc fieri posse) *vestro ac vestrorum Missorum cuncta volumus emendari judicio. Quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certè non veritatis discipuli, sed, quod dolentes dicimus, erimus præ ceteris erroris Magistri.* Leo ergo IV. non credidit promissam Romanis Pontificibus infallibilem sancti Spiritus assistentiam, ne contra justitiæ tramitem errent in judiciis & sanctionibus suis. Inde verò consequens est nec promissam ipsis infallibilem S. Spiritus assistentiam, ne contra veritatis tramitem errent in judiciis, seu definitionibus factorum non revelatorum, sive personalium, sive doctrinalium. Quo enim Scripturæ loco promissa legitur infallibilis assistentia illa, ne contra veritatis tramitem errent in judiciis ejusmodi factorum, potiùs quàm ne contra justitiæ tramitem errent in conditione legum, seu Sanctionum suarum?

Pari ingenuitate Alexander III. *cap.* Si quando *de Rescript.* Romanos Pontifices prava Aulicorum, seu Consiliariorum suorum suggestione subinde falli fatetur: scribens namque Archiepiscopo Ravennensi: *Si quando,* inquit, *aliqua Tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter suscipias; aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem cau-*

sam

ſam prætendas. Quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum. Quod procedere videtur in omnibus, in quibus rationabiliter prætendi poteſt, Mandatum ſeu Judicium Romani Pontificis fuiſſe ipſi prava inſinuatione ſuggeſtum.

Similiter Innocentius III. *cap.* A nobis, *De ſent. excom.* agnoſcit judicium Eccleſiæ non ſemper eſſe verum, cùm dicit: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli. Propter hoc contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiæ ſit ſententiâ innodatus.*

Adrianus VI. Romanorum Pontificum fallibilitatem, etiam in definitionibus factorum doctrinalium, jam Pontifex apertè declaravit, dum in Inſtructione data Che legato ſuo ad Germaniæ Principes Nuntio, ſenſum ſuum de doctrinali facto Lutheri, à Leone X. Prædeceſſore ſuo ſolemniter definito, ſic expoſuit: *Si quis fortè dixerit, Lutherum inauditum & indefenſum fuiſſe per Sedem Apoſtolicam condemnatum, & propterea audiri omnino debere, nec, antequam convictus ſit, condemnandum eſſe. Reſpondebis, quòd illa quæ fidei ſunt, propter Divinam authoritatem credenda ſunt, non probanda. Auſer (inquit Ambroſius) argumenta, ubi fides quæritur. Piſcatoribus creditur, non dialecticis. . . Fatemur* tamen *ei defenſionem negari non debere, in his quæ ſunt facti, id eſt, utrùm talia dixerit, nec ne, utrùm prædicaverit, aut ſcripſerit, nec ne.* Quid expreſſius deſiderari poteſt?

Paulus IV. anno 1557. rogatus ut diſpenſaret in matrimonio rato, non conſummato, Franciſci Mommorantii, & Joannæ Halluynæ Piennæ, doctiſſimos Prælatos, ad deliberandum ſuper eo congregatos, interrogavit, an id poſſet? Et *ne vos*, inquit, *teneant Deceſſorum meorum facta & exempla. . . . . Non dubito, quin Ego, & Deceſſores mei, errare aliquando potueri-*

mus, non ſolùm in hoc (nota) *ſed etiam in plurimis aliis rerum generibus.* Nec ipſe ergo promiſſam agnovit Romanis Pontificibus infallibilem divini luminis aſſiſtentiam, ne errent in non pertinentibus ad fidem.

SECTIO IV.

Romanorum Pontificum, Eccleſiaque in definiendis factis, etiam doctrinalibus, non revelatis fallibilitatem, cum Patribus tradunt antiqui omnes, præcipuique etiamnum Theologi.

PAtres ſect. 2. & 3. laudatos ſecutus S. Thomas *quodlib 9 a. ult. In ſententiis*, inquit, *quæ ad particularia facta pertinent, poſſibile eſt judicium Eccleſiæ errare.* Nec facta excipit doctrinalia, quaſi hæc authoritate infallibili definiantur, prout pauciſſimi hodie Epiſcopi, Cameracenſis, Cenomanenſis, Rupellenſis, Carnotenſis (ceteris Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis contradicentibus) prætendunt. Siquidem hoc Doctor Angelicus improbat. 1°. Dum 2. 2. *q.* 1 docet fidei articulos ſucceſſione temporum non creſcere. Quod ex ſupra dictis alioqui fieret. 2°. Dum *in* 3. *diſt.* 23. *q.* 2. *a.* 3. dicit, hoc inter Deum & homines intereſſe, quòd alterius hominis cognitio, ſeu judicium, regula non ſit judicii noſtri, ſed ſoli primæ Veritati homo rationem ſuam ſubjicere debeat. 3°. Dum *in* 4. *diſt.* 41. *q.* 1. *a.* 5. dicit, quòd *quamvis Eccleſia, in his quæ fidei ſunt, ſapientiæ dono, & authoritate divina fulciatur; in aliis tamen, in quantum eſt hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus ejus provenit, quod non eſt divinum, nec proficiſcitur ex authoritate divina, ſed errore humano.*

S. Thomæ ſuccinunt Scotus, apud Davenport in Syſtem. fid. c. 1. Joannes de Neapoli quodlib. 11. Cardinalis à Furno, *du Four*; dictus poſtea Benedictus XII. in refutatione fratricellorum, Franciſcus Pegna S. Rotæ Decanus in not. ad director. Eymerici p. 2. q. 17. S. Antonius 3. p. tit. 12. c. 8. §. 2. Gerſon tr. *An liceat*

ceat appellare à Papa. Et tr. de unit. Eccleſ. Almainus l. de poteſt eccleſ. & de laïcis c. 15. Nicolaus de Clemangis Op. pag. 61. 66. 67. Dionyſius Carthuſianus tr. de author. Papæ & Concilii l. 3. a. 16 Didacus de Payva in Defenſ. fid. l 2 pag 252. Binius in notis ad vitam Honorii Papæ to. 5. Concil. Labbæi pag. 1. Duvallius de infallibilit. S. Pontificis p 2. q. 1. Stapletonus controverſ. 3. q. 4. Wiggers tr. de Pontif. pag. 70. n. 198. Holdenus in Defenſ. formul. adverſus calumnias hæret. pag 6 Steyaert Aphoriſ. p. 2. diſp. 18. n. 17. Et frequentes Doctores Sorbonici in Theſibus ſuis, cumque ipſis Doctores Regulares ex omni Ordine.

Ex Ordine S. Benedicti Gregorius de Laude Abbas, in vita Abbatis Joachim.

Ex Ordine Prædicatorum, cum S. Thoma & S. Antonino ſuprà laudatis, cumque Cardinale de Turrecramata, Melchiore Cano, & Ceſſetæo infrà laudandis, Franciſcus à Victoria relect. 4 de poteſt. Papæ & Concilii, Joannes à S. Thoma tr. de ſummo Pontif. Gravina de præſcript. Cathol. l. 3. c. 45. Gonet in Clypeo Theol. Thomiſt tr de fid diſp. 4. a. 1. ſect 3. Contenſon Th. Ment. & Cord l. 5. in differt. præambula.

Ex Seraphico Ordine S. Franciſci cum Card. Laurea Alphonſus à Caſtro l. contra hæreſes, Joannes Firſchærus, Epiſcopus Roffenſis & Martyr, ad art. 28. Lutheri, Davenport in laudato Syſtem. fid. c. 2. aiens, communem eſſe ſententiam Theologorum, *quòd Eccleſia non poteſt infallibiliter definire, nisi quæ ſacra Scriptura, vel Traditio, certò & clarè proponunt*, quódque *in his duobus ſolùm Spiritus ſancti luſtratur præſentia.* Petrus Marchantius tribun. ſacram. to. 3. tr. 5. tit. 4. q. 3. Hauzeur in ſua Theol q. de Papa & Concil.

Ex Ord Carmelitarum Liberius à Jeſu in controverſiis dogmat. adverſus hæreſes utriuſque Orbis, anno 1701. Romæ impreſſis, to. 1. pag. 192. n. 16. ubi Vedroſio acatholico reſpondet ſic: *Theologi, qui Janſeniſta dicuntur, cum omni humilitate ſubjiciunt ſe Romano Pontifici in damnatione quinque propoſitionum, prout ſonant, & ſecundùm quæſtionem juris; ſed audiri poſtulant in quæſtio-*

ſtione facti, an videlicet illa reperiantur in libris Janſenii de verbo ad verbum, & an in eo ſenſu intellexerit Janſenius. Porro in quæſtione facti Apoſtolica Sedes non admittitur infallibilis Judex.

E Societate Generalis Aquaviva in libello ſupplici ſuprà relato. Cardinales Bellarminus & Pallavicinus infrà referendi. Sirmondus in præfat. ad Facundum, & in vita Theodoreti. Molina, 1. p. q. 1. a. 2. diſp. 1. Petavius l. 1. de pœnit. publ. c. 2. Tannerus in Anatomia confeſſ. Auguſt. diſſert. 5. & diſput. de fid. q. 4. dub. 6. quia (inquit) infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti promiſſa non eſt niſi pro definitionibus fidei, ad quas quæſtiones illæ (de factis doctrinalibus) non ſpectant. Becanus in epitome controverſ. Gretſerus in ſuo Bellarmino defenſo, Michael de Elizalde ubi ſuprà, Binetus de ſalute Origenis p. 428. Halloixius in ejuſdem defenſione, Brietus in parvis Annalib. ad annum 681. Veronus in reg. gener. fid. c. 1. §. 1. 2. & 4. Et c. 2. §. 7.

Quid plura? Adeo certum, unanimem hanc fuiſſe Theologorum omnium ſententiam, ante præſentem de facto Janſeniano controverſiam, ut Jeſuitæ, Annati ſui ſequaces, variis ſcriptis ſæpius provocati, ut vel unum deſignarent, qui decem annis ante iſtam controverſiam, Papam aſſeruerit in ejuſmodi factis infallibilem, ne unum quidem hactenus deſignare potuerint, ne ex ipſis quidem Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vel epiſcopis, utpote qui, communi calculo tradunt Papæ, imo & Eccleſiæ fallibilitatem in definiendis ejuſmodi factis, videlicet Cardinalis de Turrecremata l. 2. de Eccleſia c. 93. dicens, Concilium VI. generale erraſſe in Honorii condemnatione, *ex non intellectis ejus epiſtolis.*

Cardinalis Oſius, Concilii Tridentini Præſes, l. 2. de legit. judic. rer. eccleſ. & de Oecum. Concil ubi diſertè aſſerit, Concilia Oecumenica errare poſſe in iis quæ ſunt facti, licèt non in dogmatibus fidei. Et l. 4. de trâdit. *Credere nos oportet omni verbo Dei, & ſoli verbo Dei. . . . Quia Deus eſt verax, imò potiùs veritas ipſa; ſed omnis homo mendax.*

Car-

Cardinalis Baronius ad annum 681. ubi ut Honorium Papam, à Monothelitarum hæreſi à ſexta Synodo generali condemnatum, purget, duo dicit. 1. Acta illius Synodi corrupta fuiſſe, verùm id prorſus incredibile eſt. Primò quia ad hoc ſuſtinendum, neceſſe foret ſuſtinere, Acta illius Synodi decem in locis corrupta fuiſſe: cùm Honorii nomen totidem vicibus repetatur. Secundò, quia neceſſe etiam foret, non ſolùm Honorii nomen, ſed & epiſtolam, epiſtolæque examen & condemnationem iiſdem actis falſò inſertam fuiſſe. Tertiò, non unum duntaxat, ſed exemplaria quinque ejuſdem Concilii falſificata fuiſſe: cùm ex ſeſſ. 8. conſtet, totidem exemplaria in Concilio ipſo, præſente Imperatore, fuiſſe confecta; unum pro Romano Pontifice, quatuor reliqua pro Patriarchis Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolimitano. Hoc autem moraliter impoſſibile eſt. Quartò, Legati S. Sedis, inſignem fraudem illam, ſe præſente ipſo in Concilio factam, haud dubiè advertiſſent, detexiſſentque, & Leonem II. de ea certiorem feciſſent. Per conſequens Leo II. Honorium, Deceſſorem ſuum, & ipſe cum Concilio non anathematizaſſet, prout ſe feciſſe Imperatori, Hiſpaniæque Epiſcopis ſcripſit. Quintò, ne Concilio quidem VIII. falſificatio illa cognita fuit, ſed Honorii condemnatio agnita ut à Concilio VI verè facta, prout conſtat ex ipſius ſeſſ. 7. Sextò, ſi ſophiſticas hujuſmodi ſolutiones ſemel admittamus, multò majora inconvenientia ſequentur, quàm ſi fateamur, Honorium fuiſſe hæreticum; per illam namque Baronii ſolutionem deſtruitur authoritas duarum vel trium Synodorum generalium; imò & omnium, ſi ſemel admittatur, licitum eſſe aſſerere exemplaria Conciliorum eſſe depravata, abſque evidenti probatione. Septimò tandem, in collectionibus omnibus Conciliorum, ſive græcis, ſive latinis, antiquis & novis, manuſcriptis, & impreſſis etiam Romæ, in Manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ, Act. 12. Concilii VI. leguntur litteræ Honorii ad Sergium, in quibus unam agnoſcit Chriſti *voluntatem*, parique paſſu rejicit *unam vel duas energias*. Et iſtæ litteræ cum epi-

epiſtola Sergii Act. 13. damnantur, tanquam *conformes falſis hæreticorum doctrinis, & contrariæ dogmatibus Apoſtolicis.* Eademque Act. 13. leguntur aliæ litteræ ejuſdem Honorii, in quibus Catholica fides duarum in Chriſto operationum velut *ineptia* rejicitur.

Et propterea non ſolus Leo II. ſed & Adrianus II. in ſua ad Concilium VII. epiſtola fatetur, Honorium à Concilio VI. verè ac rectè anathematizatum fuiſſe, velut de hæreſi accuſatum, & in vetuſto Manuſcripto, cujus inſcriptio erat, *Diurnus Romanorum Pontificum* in Profeſſione fidei, quam Romani Pontifices in ſui conſecratione facere ſolebant, Honorium cum aliis Monothelitis à Concilio VI. anathemate juſtè percuſſum agnoſcebant.

Vidit ergo Baronius primam illam ſolutionem ſuam vix aut ne vix quidem defenſabilem eſſe, & (præter dicta) ex ea conſequens eſſe, quòd etiam VII. & VIII. Synodum Deus in quæſtione facti doctrinalis, errare permiſiſſet, pro veris ac ſinceris Actis VI. Synodi acta ſpuria, pluribuſque in locis falſificata accipiendo. Quæ tamen haud magis falſificata fuerunt quoad litteras Honorii, quàm quoad litteras Sergii, Monothelitanæ hæreſeos defenſoris præcipui; utpote quas Honorius (à Sergio conſultus ut Papa, non ut Doctor privatus) laudat & approbat, in ſuis illis ad ipſum litteris. Quas proinde ſi intellexerit in hæretico Monothelitarum ſenſu (prout intellexiſſe Concilium VI. cenſuit) contra Catholicam fidem erravit, hæreſim laudando & approbando: & ideo juſtè anathematizatus fuit. Si in ſenſu Catholico (prout exiſtimat Petavius) erravit errore facti doctrinalis: & ſic Papa infallibilis non eſt in judicio de factis doctrinalibus privatorum Authorum.

Vidit (inquam) eminentiſſimus Baronius primum illud dictum ſuum undique rimas agere, & ideo maluit agnoſcere Concilii VI. errorem in facto doctrinali litterarum Honorii, quàm Honorii errorem in fide.

Dicit itaque 2. ſextam Synodum erraſſe in intelligentia litterarum Honorii ad Sergium: *Honorius* (inquit)

non

non aliunde eſt condemnatus hæreticus, quàm quòd ejus prior epiſtola, ad Sergium ſcripta, hæretica fuerit exiſtimata. Atqui conſtat illam eſſe orthodoxam (ecce judicium ſuum opponit judicio VI. VII. & VIII. Synodi, pluriumque Romanorum Pontificum, Synodis illis conſentientium) *& proinde Synodum ſextam, cum in condemnando Honorio, tum in condemnanda ejus epiſtola erraſſe.*

Sed dicat aliquis (proſequitur n. 30.) *ſi verè aſſentimur ita de Honorio decretum eſſe à S. Oecumenica Synodo, haud fas erit in controverſiam rem deducere, & aliter quàm ſtatutum eſt à S. Synodo velle decernere.* Reſpondet: *idipſum dixerim in iis quæ ad fidem ſpectant, ut planè religio ſit, vel latum unguem ab iis quæ in S. Synodo ſunt ſtatuta recedere. At in iis quæ ad perſonas pertinent, & ſcripta ipſarum, non ita rigidè reperitur cuſtodita cenſura. Nam patens exemplum eſt de V. Synodo, quæ tria Capitula condemnavit, de quibus à Sacro Sancto Calcedonenſi Concilio videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto &c. In his quæ ſunt facti unumquemque poſſe falli, nemini dubium eſt.*

Cardinalis Bellarminus *de Rom. Pontif. l. 4. c. 2.* CONVENIUNT *omnes Catholici* (nota bene) *....poſſe Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum ſuo Cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent* Unde tametſi Honorius (uti conſtat ex dictis) à VI. VII. & VIII. Synodo generali, nec non à Leone II. Adriano II. aliiſque Romanis Pontificibus condemnatus fuerit ut hæreticus, ſicut & ipſius ad Sergium epiſtola, tantæ authoritati ſuum Bellarminus non ſolùm non ſubmittit judicium, nec religioſum defert ſilentium, ſed & palam contradicit, aiens: *In epiſtolis illis Honorii nullum contineri errorem. . . Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione; ac proinde eo in judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare . . . . . in dogmatibus fidei definiendis; tamen errare poteſt*

test in quæstionibus de facto (etiam doctrinali, cujusmodi fuit factum Honorii) *itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.*

De Patribus VII. Synodi similiter dicit, *secutos illos esse Synodum VI. errantem.* Ex ea deceptum quoque Adrianum Papam. Denique *Leonem secutum esse judicium Legatorum Agathonis*, quæ in VI. Synodo Honorium cum reliquis Patribus condemnaverant.

Cardinalis Pallavicinus *Hist. Conc. Trid. l. 7. c. 14.* authoritatem quidem Papæ nobiscum inerrabilem tuetur *in fidei morumque decisionibus. . . . . In aliis verò rebus, quæ vel ad rem gestam, vel ad jus humanum spectant,* QUINAM SUNT, inquit, INTER CANONUM INTERPRETES, NEGANTES ERRORI PONTIFICEM SUBJACERE? Ad jus verò humanum, sive ad institutionem, usum, & consuetudinem pertinent quæstiones de critico & grammaticali sensu, seu significatione vocum. Non enim à Deo, sed ab hominibus, ad hoc vel illud significandum institutæ sunt, vel usu receptæ. Regulæ etiam, secundùm quas de vocum & textuum grammaticali significatione judicandum est, jure humano, non divino continentur, & à Grammaticis, non à Canonicis Scriptoribus traduntur. Unde l. XI. c. 18. idem Eminentissimus vir docet, controversiam de tribus Capitulis, à Synodo V. definitam, *non esse de articulo fidei, & qui ad Ecclesiæ authoritatem nulli obnoxiam errori spectaret.*

Cardinalis de Laurea, cùm esset *Ponens*, seu Referendarius in Causa Formularii Archiepiscopi Mechlinienſis, circa quinque propositiones Jansenii, & Archiepiscopus iste prætenderet, eos qui Alexandrinum jurant Formularium non tantùm jurare debere in reverentiam Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. debitam, sed etiam in veritatem earum, & non tantùm in veritatem eorum quæ in prædictis Constitutionibus spectant ad quæstionem juris, sed etiam in veritatem ejus quod spectat ad quæstionem facti. Cùm (inquam) in causa ista foret *Cardinalis Ponens*, typis mandavit scriptum,

ptum, præferens hunc titulum : *Diſcuſſio de Formulario Archiepiſcopi Mechlinienſis.* In quo ad quæſtionem; An ex denegata Archiepiſcopo permiſſione, quam poſtulabat, hoc addendi Formulario, inferretur aliquod præjudicium *poteſtati & infallibilitati Papæ?* Reſpondit quòd non: *nam neque Papa, neque ullus pro eo ſcribens, etiam ex aſſentantibus, docet, aut prætendit, eſſe infallibilem circa facta non revelata, ſaltem implicitè, ut apertè docet Card. Bellarminus l. 4. de Rom. Pontif. c. 2. . . . Et in c. XI. . . . Idem docet Baronius ad annum 681. . . . . Card. Pallavicinus idem docet l. 7. c. 14. quòd ſcilicet tam Canones, quàm* OMNES THEOLOGI *concedunt Papæ poteſtatem infallibilem in definiendis controverſiis fidei & morum, non ſic in controverſiis factorum humanorum &c. Superfluum puto alios ſic docentes adducere:* CUM OMNES NATIONES, OMNESQUE UNIVERSITATES, NULLA EXCEPTA, SIC DOCEANT. *Itemque ipſe to. 1. de fid. diſp. 8. ad ſatietatem de hac materia ſum locutus. Hinc eſt quòd nullum Concilium univerſale, nulluſque Pontifex de humanis factis non revelatis definitionem fide divina credendam edidit &c.*

Cardinalis Aguirius ad Concil. Tolet. XI. *to. 2. Collectionis Conciliorum Hiſp. pag. 669.* reddens rationem, cur in Toletano illo Concilio facta fuerit mentio quatuor primorum Conciliorum generalium, non Concilii V. dicit rationem hanc fuiſſe. *Quoniam in eo potiùs de tribus Capitulis. . . . quàm de dogmatibus fidei tractatum fuit. . . . . Non enim tractabatur quæſtio juris divini, ſeu dogmatis, ſed ſolius facti non revelati, circa ſcripta quædam Theodoreti, Theodori Mopſueſteni, & Ibæ, an damnanda eſſent cum Authoribus ſuis. . . . Eccleſia verò juxta Cardinales Baronium & Bellarminum,* OMNESQUE THEOLOGOS ALICUJUS NOMINIS, *nullatenus definit judicio irreformabili & infallibili ejuſmodi controverſias, etiam intra Concilium generale, ut ſæpe oſtendunt iidem Scriptores pluribus exemplis, præſertim Honorii Papæ, & epiſtolarum quarumdam ipſius.* Nec ſolùm Concilium iſtud Tolet. XI. ſed & XIV. mentionem nullam facit Concilii V. ſed immediatè poſt Calcedonenſe recipiendum

dum obſervandumque dicit Concilium, duas in Chriſto definiens voluntates, ſextum utique, prout ſuprà obſervavi.

Prætereo alios Cardinales non paucos, Cuſanum, Perronium, Richelium &c. ut veniam ad Epiſcopos ſcientia & vitæ ſanctimonia celebres, idipſum ſentientes. Sunt autem Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſis, *l. 5. c. 5. concluſ. 3.* id inter cetera probans ex eo quòd Eccleſiæ judicia eſſe nequeant firma & certa, niſi pro quanto fundantur in principiis firmis & certis; quæſtia non ſunt quæ *petuntur ab incertis hominum teſtimoniis*, ſeu informationibus; à quibus peti ſolent judicia de factis obſcuris, doctrinalibus, non revelatis.

Nicolaus Cœffetæus, Epiſcopus Maſſilienſis, *in examine oppoſitionum pag.* 388. Malderus Epiſcopus Antverpienſis, *diſp. 7. de fide q. 1.* Antonius Godellus Vencienſis Epiſcopus *lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. ad annum 553. n. 12.* Petrus de Marca Archiepiſcopus Tholoſanus, deinde Pariſienſis, *in Diſſert. ſuper Decret. Vigilii Papæ.* Gilbertus de Choiſeul, Epiſcopus Convenarum, poſtea Tornacenſis, in epiſt. ad Regem Chriſtianiſſimum de 21. Januar. 1664. & epiſt. ad Innocentium XI. ubi doctrinam hanc certiſſimam vocat & *inconcuſſam*. Adrianus & Petrus de Wallenbourg Epiſcopi, controverſiſtæ celeberrimi, *to. 2. controverſ. in fin.* Joannes Jaubertus de Barrault, Epiſcopus Vazatenſis, poſtea Archiepiſcopus Arelatenſis, in ſua Reſponſ. ad object. Molinæi de facto Honorii. Quatuor Epiſcopi laudatiſſimi, Nicolaus Pavillonus, Epiſcopus Alectenſis (ab Eminentiſſimo Cardinale le Camus, Epiſcopo Gratianopolitano, dictus *Epiſcoporum Pater*, magniſque encomiis ab Innocentio XI. commendatus) Franciſcus Stephanus Cauletus, Epiſcopus Apamienſis; Nicolaus Chouart, Epiſcopus Bellovacenſis; Henricus Arnaldus, Epiſcopus Andegavenſis, in ſuis de formulario Inſtructionibus paſtoralibus. Cumque ipſis alii novemdecim ex præclarioribus Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis, qui quatuor Epiſcoporum proximè laudatorum cauſam ſuſcipientes, in epiſt. ad Clementem IX. 1. Decembris 1667. conſcripta, iſtud impri-

primis de eximia ipſorum virtute teſtimonium perhibent: *Impetrabit vel ab inimicis excellens horum quatuor Epiſcoporum virtus hoc teſtimonium, non alios eſſe, qui* Epiſcopalem *Ordinem noſtrum magis exornent; & Eccleſiam magis edificent, qui populorum ſaluti, & commiſſi ſibi Gregis curæ vigilantiùs incumbant, qui omnes denique Epiſcoporum partes cumulatiùs expleant: ita ut* Rex Chriſtianiſſimus (uti proſequuntur in epiſt. ad ſuam Majeſtatem) in ipſis agnoſcere valeat *velut benedictionem è cœlo ſingularem, dignos habere ſe in Regno ſuo Sanctorum illorum ſucceſſores, quorum hodie pietatis exempla rediviva nobis exhibere, per ardentem, eque ac puram, ac ſua minimè quærentem charitatem.*

Ipſorum deinde erga Sedem Apoſtolicam obſervantiam adverſus obtrectatores ſic conteſtantur: *At nos præterea & ſpondere, & confirmare poſſumus, non minimam ab eis pietatis ſuæ partem in eo poni, ut Apoſtolicæ Sedi ea quæ par eſt demiſſime ſubſint, ejuſque dignitatem debita veneratione proſequantur.* Unde *quod ab ea* (veneratione) *quidam* (nonne vos, ô Socii?) *ipſos in ſuis de ſubſcriptione Mandatis diſceſſiſſe crimimentur, alieniſſima* (ab ipſis, Beatiſſime Pater) *& inanis ſuſpicio eſt. Quid enim in illis eſt Mandatis, quod vel à Catholicæ doctrinæ norma, vel à Romanæ Sedis reverentia tantillum deflectat?* NOVUM ET INAUDITUM *apud nos nonnulli* (utique Socii) *dogma protulerunt, Eccleſiæ nempe decretis, quibus quotidiana facta deciduntur, certam & infallibilem conſtare veritatem; adeoque ipſa, non minus quàm revelata in Scripturis & Traditionibus dogmata, fide eſſe tenenda. Hoc verò dogma, Beatiſſime Pater,* QUOD AB OMNIBUS ANTIQUIS, RECENTIBUSQUE THEOLOGIS PERÆQUE DAMNATUM EST, *ex Deceſſoris veſtri Conſtitutionibus iidem, qui illud invexerunt, temerè ſtabilire nitebantur. Huic malo ut occurrerent prædicti Epiſcopi, ſimul ut quorumdam ſcrupulis mederentur, oppoſitam* HUIC MANIFESTISSIMO ERRORI *doctrinam* COMMUNISSIMAM SIMUL AC CERTISSIMAM *Mandatis ſuis expoſuerunt, humana nimirum nec divinitùs revelata facta, non omnimoda & infallibili certitudine ab Eccleſia deſigniri, adeòque in ejuſmodi rebus nihil*

hil aliud ipsam à fidelibus exigere, quàm ut sua decreta reverenter, ut par est, habeant. Quid in hac doctrina, Beatissime Pater, in Romanam Sedem irreligiosum & injurium? Cùm non modò à summis Apostolicæ Sedis veneratoribus, ejusque accerrimis vindicibus, Baronio, Bellarmino & Pallavicino, asserta & tradita sit, sed eo nomine potissimùm constabilita, quòd eam ad vindicandam Ecclesiæ authoritatem in sanciendis fidei dogmatibus, & ad hæreticorum criminationes repellendas perneceſſariam judicarint. Ita sentire si criminosum existimetur, hoc non proprium ipsorum, sed omnium nostrûm, imò totius Ecclesiæ crimen fuerit.

Animadversione verò digniſſimum eſt, laudatos novemdecim Epiſcopos Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe lumina, atque ex ipſis Felicem Vialart, Epiſcopum Catalaunenſem, miraculis jam clareſcere; illamque ipſorum epiſtolam, ſicut & alteram ſimilis tenoris ad Regem (eodem tempore conſcriptam) à generali Conventu Cleri Gallicani probatam fuiſſe, dum anno 1675. & 1681. librum approbavit ſapientiſſimi Doctoris Sorbonici Gerbaſii *De cauſis majoribus*: in eo quippe duæ illæ novemdecim Epiſcoporum litteræ continentur.

Et aliud præſenti veritati teſtimonium eodem anno 1681. idem generalis Conventus perhibuit, dum per tres Archiepiſcopos, Remenſem, Ebredunenſem, Albigenſem, tres item Epiſcopos, (una cum libro illo Gerbaſii) examinari fecit delatum ad ſe librum D. David *De judiciis Canonicis Epiſcoporum*: in quo cum Author iſte ſuſtineret, *Papam, etiam in factis, eſſe infallibilem*, propoſitionem iſtam laudati Commiſſarii *periculoſam* cenſuerunt, declarationemque D. David retractatoriam Cœtui generali exhibuerunt, ab ipſo Pariſiis 24. Aprilis ejuſdem anni 1681. ſubſcriptam, qua ſuam illam propoſitionem fatebatur eſſe *extravagantem; eò quòd ab homine ſani judicii ea Papæ tribui nequeat infallibilitas, quæ ne ipſi quidem Eccleſiæ univerſali tribui poteſt.*

Die vero 2. Maii Cœtus generalis eorumdem Commiſſariorum probavit Judicium libri D. Gerbaſii commendatorium, declarationemque illam D. David acceptata-

tavit, iſti reſolutioni ſuſcribentibus Archiepiſcopis ſeptem, & triginta quatuor Epiſcopis.

Denique ut à pluribus Epiſcopis recenſendis ſupersedeam, Illuſtriſſimus D. de Harlai, Archiepiſcopus Rothomagenſis, poſtea Pariſienſis, anno 1668. Eminentiſſimo D. Cardinali Patrono Roſpiglioſo ſcripſit, Eccleſiam *numquam credidiſſe infallibilitatem judiciorum ſuorum in condemnatione librorum.* Qua in ſententia, cum Illuſtriſſ. D. de Choiſeul Epiſcopo Convenarum in epiſt. ad Regem Chriſtianiſſ. & in altera ad Innocentium XI. Godello, Epiſcopo Vencienſi in Hiſtor. ad annum 553. & 681. & Eminentiſſimo D. Cardinale Noaillio, moderno Archiepiſcopo Pariſienſi, etiamnum perſiſtunt omnes pene Epiſcopi Galliarum, pauciſſimis exceptis, quorum ſententiam oppoſitam ex ſupra deductis conſtat prorſus eſſe novam, ſingularem, totique Antiquitati contrariam. Porro novitas & ſingularitas characteres non ſunt veritatis. Unde ne ab ipſis quidem Jeſuitis eam hodiedum adſtrui, niſi pro caſibus & circumſtantiis, in quibus id poſtulant res Societatis, conſtat non ſolùm ex ſæpius commemorato libello ſupplici, quem Paulo V. obtulerunt, ſed & inſuper ex eo quod non ita pridem Innocentii X. tempore contigit. Cùm enim Sanctiſſimus ille anno 1646 quo Congregationem Generalem Societas habebat, auditis Congregationis Patribus, ad inſtantiam plurimorum ex ipſis, ad reformandos abuſus in regimine Societatis emergentes, Conſtitutionem edidiſſet ſapientiâ & æquitate plenam, qua ſub pœna excommunicationis ipſo facto, nec non ſuſpenſionis à divinis, privationiſque vocis activæ & paſſivæ, & inhabilitatis ad quodcumque officium, indiſpenſabiliter incurrendæ, in perpetuum ſtatuebat, Congregationes generales ſingulis novenniis exactè celebrari, novoſque Aſſiſtentes in iis ſemper eligi, Provinciales verò, Viſitatores, Rectores, alioſque officiarios inferiores nonniſi per triennium in officiis iſtis permanere, eoque elapſo per annum ac dimidium ab iis ceſſare debere. Adverſus Conſtitutionem iſtam, pro magno Societatis bono tam ſapienter emanatam, Pater Aven-

dano in Thesauro Indico *to. 2. c. 4.* insurrexit, causatus, eam Societati pernicioſam, inconvenientem, contra ordinem fabricatam, Prædeceſſorum Conſtitutionibus, & juri communi contrariam eſſe, allegata cauſa iſta, quòd *diſpoſitiones hujuſmodi juxta informantium teſtificationem ſoleant emanare, & . . . . quandoque accidat, quòd Conſtitutio aliqua, etiam poſt ſeriam deliberationem, minus conveniens vel etiam diſconveniens emanet. Et ſicut intimè adſtantis alicujus vitio pernicioſa emanare poteſt Conſtitutio; ita & aliorum non vera ſuggerentium. A quo malo neque ipſa Apoſtolica Sedes exempta reperitur.*

Poſtea duas aperit vias abſque formali prævaricatione agendi contra Pontificiæ Conſtitutionis tenorem: *Si quid enim aliquando acciderit, quod & videatur contrarium, vel bonæ agitur fidei, vel probabili opinioni aſſenſu præſtito. Quod* (inquit) *minimè condemnandum neque enim intelligendum*, per Conſtitutionem illam eſſe *ſublatam interpretandi facultatem*, niſi *ut nihil apertè contra illam fiat, quo ſuo robore privaretur.* Ecce quomodo Pontificiæ Conſtitutiones, ſumma licèt æquitate editæ, Socii recipiunt ac venerantur, dum ad ſalivam non ſunt. Neque enim liber ille ſine licentia, imò de licentia Provincialis provinciæ Toletanæ anno 1668. Antverpiæ prodiit, cum approbatione plurium gravium eruditorumque Societatis Doctorum, prout idem Provincialis teſtificatus eſt.

SECTIO V.

Eamdem fallibilitatem ratio non una demonſtrat.

PRima ratio. Certiſſima eſt Doctorum omnium ſententia, Papam, ſecundùm ſe præciſè conſideratum, abſque infallibili Sancti Spiritus aſſiſtentia, errori eſſe obnoxium, cum ſit homo, & *omnis homo mendax.* Certiſſima proinde ſententia eſt, ipſum infallibilem non eſſe, niſi in iis in quibus ipſi promiſſa eſt infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti. Atque hæc ipſi promiſſa non

eſt,

est, nisi ne erret in definitionibus fidei & morum ad jus divinum pertinentium. Aliàs novos fidei articulos condere posset, prout sect 1. probat. 2. est demonstratum. Hoc autem negant Sancti & Theologi omnes.

Secunda ratio, prioris confirmativa. Infallibilis assistentia Spiritus Sancti, Papæ & Ecclesiæ, solùm à Christo promissa est in definiendis necessariis ad salutem fidelium, cujusmodi non sunt definitiones factorum particularium (de quibus in Scriptura & Traditione propterea nihil dicitur) sed solæ definitiones fidei & morum, de quibus scriptum est: *Docete omnes gentes. . . . omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego*, ne in istis definiendis erretis, *vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. Et Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, in iis quæ fidelibus credenda propones. Et Joan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, ad fidem utique, & doctrinam meam pertinentem. Neque enim Apostolos docuit facta, etiam doctrinalia, particularium personarum, quæ quotidie in Ecclesia contingunt; eò quòd eorum cognitio necessaria non sit ad salutem, nec ad eam necessaria sit divina revelatio; sed per sensum, experientiam, rationemque & investigationem humanam sufficienter cognoscantur. Et ideo Christi promissionem ad ea non extendere, Sancti & Antiqui omnes tradiderunt, prout suprà ostendimus; solumque se extendere ad ea quæ necessaria sunt ad salutem fidelium, docent expressè S. Thomas *Quodlib. 9. a. 16.* hisce verbis. *Judicium eorum qui præsunt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si persona eorum tantùm respiciantur. Si verò consideretur divina providentia quæ Ecclesiam suam Spiritu Sancto dirigit, ne erret, sicut ipse promisit, Joan. 16. . . . . de necessariis scilicet ad salutem, certum est quòd judicium Ecclesiæ universalis errare, in his quæ ad fidem pertinent, impossibile est. In aliis verò sententiis, quæ ad facta particularia pertinent*, scitu non necessaria ad salutem . . . . *possibile est Ecclesiæ judicium errare.* Gerson. 1. p. considerat. 1. to. 1. novæ edit: *In his quæ sunt juris divini, de necessitate salutis agnoscendi, cujusmodi*

sunt veritates fidei. . . . . Deus assistit specialiùs. . . . quàm in aliis, in quibus non necessariò stat salus. Concilium Basileense in epist. Pastor. anni 1432. *Ecclesia . . . . errare non potest in his quæ ad salutem necessaria sunt.* Abulensis in Defensorio : *Universalis Ecclesia errare non potest , scilicet in necessariis ad salutem.* Almaïnus de potest. Eccles. & Laic. c. 16. *Concilium generale dirigitur specialiter à Spiritu Sancto in omnibus necessariis;* non in aliis. Dicit enim in lib. de authorit. Eccles. & Concil. c. 10. quòd *non illustratur à Spiritu Sancto, speciali illa assistentia, nisi in necessariis* Melchior Canus l. 5. c. 5. *Patribus Synodi Spiritus veritatis non est præsens in omnibus, sed in rebus solùm ad salutem necessariis.* Davemportus in System. fid c. 2. *Ecclesia in Conciliis solùm declarat sensum Scripturæ & Traditionum, scilicet necessarium, non probabilem; vel elicit conclusiones necessarias tamquam in principiis suis virtualiter inclusas, & in his duobus solùm Spiritus Sancti illustratur præsentia: adeo ut si. . . . . ulterius procedant , ut homines agunt, & errare possunt.* Sic etiam passim reliqui Doctores.

Tertia ratio. Sanctorum & Antiquorum omnium traditio, Christi promissiones de infallibili assistentia Spiritus Sancti, sic semper intellexit, ut solùm extendantur ad infallibiliter definienda illa, quæ divinitùs revelata sunt, vel adeo necessariam cum revelatis habent connexionem, ut probari possint velut tradita, saltem virtualiter per Scripturam , vel Traditionem. Atqui facta etiam doctrinalia particularium personarum, in Ecclesia quotidie emergentia , nec divinitùs revelata sunt, nec adeo necessariam cum revelatis habent connexionem, ut probari possint, velut tradita virtualiter per Scripturam , vel Traditionem . . . Igitur ad ea, juxta Sanctorum & Antiquorum omnium traditionem, in superioribus probatam, se non extendunt Christi promissiones.

Quarta ratio. Facta illa indifferentia sunt, ut sint vel non sint, post revelationem veritatum omnium , quæ in Scriptura & Traditione divina continentur, ex iisque

que plurima nonnisi pluribus post veritates illas sæculis contingunt, nihilque de veritatibus revelatis deperit, sive facta illa sint, sive non sint, & sive Romani Pontificis, vel Ecclesiæ de illis judicium verum sit, sive falsum. Necessariam ergo cum veritatibus revelatis (pro quarum duntaxat definitione promissa est infallibilis assistentia Spiritus Sancti) connexionem non habent, sed indifferentia sunt, ut cum illis connectantur, vel non connectantur. Nihilque magis adversatur rationi, quàm asserere, quòd factum, quod per sexdecim sæcula realiter separatum fuit à veritatibus revelatis, hodie id est per hodiernam definitionem, factum sit necessariò cum illis connexum, ab iis proinde inseparabile.

Quinta ratio. Juxta Tridentinum sess. 4. *Fons omnis & salutaris veritatis, & morum disciplinæ . . . continetur in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* Igitur ad alia definienda & declaranda, necessaria Ecclesiæ non est infallibilis Spiritus Sancti assistentia. Absque necessitate ergo & fundamento promissio illius ad alia extenditur, ad facta utique nova & quotidiana, etiam doctrinalia, Authorum particularium, de quibus nihil in fonte illo omnis salutaris veritatis & morum disciplinæ continetur, de eo v. g. quòd privatus aliquis scriptor hunc vel illum sensum expresserit vi terminorum vel textuum suorum, v. g. Honorius Monotheliſmum, vi terminorum vel textuum suæ ad Sergium epistolæ. Quod innotescere nequit per Scripturam vel Traditionem (quæ de eo nihil dicit) solùm proinde innotescere potest per informationem vel testimonium hominum, vel per naturale lumen intellectus humani, intelligentiamque regularum artis critices & grammatices, pro quarum intelligentia promissa non est infallibilis assistentia Spiritus Sancti.

Sexta ratio. Ecclesia & Pontifices infallibilis non sunt authoritatis in judiciis suis, seu definitionibus factorum personalium, non revelatorum, nec necessariam

cum revelatis connexionem habentium, prout adversarii fatentur: similiter ergo infallibilis non sunt authoritatis in judiciis suis, seu definitionibus factorum doctrinalium non revelatorum, nec necessariam cum revelatis connexionem habentium.

Cùm enim doctrinalia non magis revelata sint, nec magis necessariam connexionem habeant cum revelatis, quàm personalia, nulla est ratio vel necessitas infallibilem Ecclesiæ authoritatem pro istis definiendis tribuendi, quàm pro istis, nec major est ratio vel necessitas infallibilem Sancti Spiritus assistentiam extendendi ad illa definienda, quàm ad ista. Neque enim illorum definitio magis fundatur in depositio Apostolis & eorum successoribus commisso (pro cujus solius custodia promissa est infallibilis illa assistentia) quàm definitio istorum. Denique infallibilis authoritas Ecclesiæ non magis necessaria est pro illis, quàm pro istis definiendis. Non magis, inquam, necesse est, quòd Papa, vel Ecclesia infallibilis sit authoritatis in judiciis factorum doctrinalium, v. g. num talis vel talis in tali libro doceat hæresim, quàm in judiciis factorum personalium, v. g. num talis vel talis inciderit in crimen hæreseos, vel simoniæ &c. Si qua enim inconvenientia sequantur ex fallibilitate ipsius in judiciis factorum doctrinalium, eadem vel similia, imò majora sequuntur ex fallibilitate ipsius in judiciis factorum personalium; utpote ex qua subinde contingit, quòd Deus, cujus bonitatis & sapientiæ infinitus est thesaurus, eousque Ecclesiam sponsam suam deserere videatur, ut in sinum suum hæreticos recipiat, filios verò humiles ac fideles abjiciat, & in ea Christus mactetur, dum Barrabas dimittitur; impius & atheus ut membrum legitimum agnoscatur, dum justus & innocens à Christi corpore projicitur. Quo argumento licèt satis ostendatur æquè magnum, imò majus inconveniens esse, personas per errorem condemnare, quàm earum scripta vel libros; propter illud nihilominus Ecclesia non desinit esse Christi Sponsa, nec Satanæ fit Synagoga: quia dum similes errores ipsi contingunt, ex malitia non contingunt, sed ex infirmitate humana,

quâ

quâ fit, ut Ecclesiæ Ministri immunes non sint à deceptione, in librorum vel actionum hominum examine.

Et hinc culpandum non est Concilium Viennense, si fortè erraverit in facto Templariorum, tametsi error iste causa fuerit extinctionis totius Ordinis, & vivicomburii quàm plurimorum nobilium membrorum ipsius, ex quibus plerique erant primæ nobilitatis. Certè factum istud personale longè majoris haud dubiè momenti fuit, quàm factum doctrinale Jansenii v. g. Si ergo Deus absque præjudicio infinitæ suæ erga Ecclesiam sponsam suam bonitatis, eam permittere potuerit in facto illo errare (uti permisisse plurium opinio est) à fortiori permittere potuit, Papam in facto Jansenii v.g. errare, absque præjudicio &c. Neque enim quæstio de illo Templariorum facto superflua fuit, ac nullius momenti, prout de facto trium Capitulorum, simili Jansenia-no, quæstionem *superfluam* vocavit Pelagius II. & *nullius momenti* Gregorius Magnus.

Septima ratio. Si ultra terminos rerum divinitus revelatarum, vel cum revelatis necessariò connexarum, extendere liceat Papæ vel Ecclesiæ promissam à Christo infallibilem Sancti Spiritus assistentiam, non erit ubi cum solido fundamento sistatur; quia non erit v. g. cur potiùs extendatur ad definitiones quotidianorum factorum doctrinalium personarum particularium, quàm ad definitiones aliarum rerum, in quibus S. Thomas (sect. 4 laudatus) exemplificat, cùm docet Ecclesiam, in iis quæ divinitùs revelata non sunt, esse fallibilem. Tria namque S Doctor ad id profert exempla. 1. petitum à judicio de possessione boni alicujus; 2. petitum à judicio de crimine; 3. petitum à conjunctione, seu matrimonio contracto cum impedimento occulto.

Docet itaque S. Thomas, docent cum S. Thoma Theologi omnes in his dijudicandis Ecclesiam subinde errare, *errore humano*; ad ea proinde se non extendere promissam à Christo infallibilem assistentiam Spiritus Sancti. Solidum verò fundamentum afferre nequeunt adversarii, cur potiùs extendatur ad Ecclesiæ judicia de quotidianis factis doctrinalibus particularium personarum.

Neque enim Scriptura vel Traditio, nec ratio magis id asserit de istis, quàm de illis. Vel ergo dicendum ad illa non extendi, vel extendi etiam ad ista, contra manifestam experientiam, & Theologos omnes.

Octava ratio Vel facta doctrinalia, de quibus in præsenti agitur, evidentia sunt & notoria, atque ab omnibus admissa; vel sunt obscura, ambigua, atque inter ipsosmet Catholicos viros eruditos controversa? Si primum, eorum notorietas & evidentia sufficit Ecclesiæ, ad ferendum de iis judicium certum & moraliter infallibile. Quia dum ob evidentiam terminorum omnes homines conveniunt de grammaticali eorum sensu, ei contradicere non possunt, nisi fatui & extravagantes, iis similes, qui Romam negarent existere, vel Ludovicum XIV. Galliæ Regem esse. Tunc proinde necessaria Ecclesiæ non est supernaturalis infallibilitas per assistentiam Spiritus Sancti, ad ferendum de iis judicium, cui moraliter impossibile sit subesse falsum. Si secundum, ne tunc quidem Ecclesiæ necessaria est infallibilitas supernaturalis. Quia etiamsi Ecclesia erraret in dijudicando ejusmodi facto, errorem fidei contrarium Authori innocenti, vel scriptis ipsius tribuendo, non erraret in dogmate fidei, sed in facto prorsus distincto, dogmatis errorem secum non trahente. Eo quòd Ecclesia tunc equidem textum seu propositionem, vel propositiones illius libri, vel Authoris, damnaret in sensu verè damnabili, in quo propositionem vel propositiones illius libri vel Authoris intelligeret, quemque damnare principaliter intenderet, velut Catholicæ fidei contrarium. Hoc autem sufficit ad securè servandum commissum sibi fidei depositum; utpote cujus conservatio non dependet ab eo quòd talis vel talis propositio contineatur vel non contineatur in libro cujusquam privati Doctoris, nec in sensu ab eo intento, sed à sola Christi promissione, qua infallibilem Sancti Spiritus assistentiam Ecclesiæ suæ promisit, ne erret in judicio de dogmatibus fidei. Si quando verò Ecclesia erret in judicio de facto doctrinali, hæresim particulari Authori innocenti, vel libro ipsius tribuendo, non ideo errat in fi-

dei

dei dogmate, uti manifeſtè patuit in Concilio Sardicenſi, à quo Marcelli Ancyrani fides, per errorem facti (uti Patres, Theologique non pauci cenſuerunt) judicata fuit ſana & orthodoxa, ob libros ipſius non benè intellectos, ſimulatamque fidei profeſſionem ab ipſo factam, tametſi libri iſti Photinianam hæreſim revera continerent. Ob iſtius tamen facti errorem nullum præjudicium paſſa eſt, ſed integra manſit fides populi Chriſtiani; ſicut & in cauſa Honorii, per errorem facti (ut pleriſque videtur) à Concilio VI. de hæreſi Monothelica condemnati. Neque olim populus ideo ſecutus eſt Monothelicam hæreſim, ipſi à Concilio iſto attributam. Neque Origenis errores, ipſi à Concilio V. adſcriptos. Nec populus Chriſtianus ſequitur errorem quinque hæreticarum propoſitionum, Janſenii *Auguſtino* à tribus Romanis Pontificibus adſcriptum, licèt non deſint viri eruditi, qui ab errore propoſitionum illarum ipſius *Auguſtinum* vindicare conantur. Quia prout in ſimili rectè Picus Mirandulanus in Apologia infrà laudanda, *Pro fide hoc facit, contra hæreticos, non pro hæreticis, qui non parum tanti viri*, à pleriſque Doctoribus Catholicis plurimum laudati, *teſtimonio errorem ſuum firmarent*. Qui ſi validis argumentis oſtendatur errorem illum non tradidiſſe, ipſius patrocinio hæretici privantur.

Nona ratio. Etiamſi ſupponeretur, hæreſim quinque propoſitionum v. g. in Janſenii *Auguſtino* non extare, nec damnatum earum ſenſum, illum eſſe, quem Janſenius intendit, adhuc equidem non deeſſent Eccleſiæ (licèt in judicio ejuſmodi factorum fallibili) media ſufficientia ad impediendam iſtius hæreſis propagationem, cuſtodiendumque fidei depoſitum. Igitur ad hunc finem Eccleſiæ neceſſaria non eſt aſſerta ab adverſariis infallibilitas. Antecedens probatur, quia ſi Eccleſia, vel Papa animadverteret, librum illum ſenſu damnato à fidelibus intelligi, vel periculum eſſe ne ſic intelligeretur; in errorem proinde fideles ex libri illius lectione inducerentur, ipſius lectionem velut periculoſam, Eccleſia, vel Papa, juſtè tunc interdiceret, decla-

rando sensum illum erroneum esse, eoque titulo ab Ecclesia damnatum; libri tamen authorem non videri eum intendisse. Interdictio quippe libri, cum tali declaratione facta, justissima, saluberrima, ad eroremque impediendum foret sufficientissima, sicut & turbarum multarum sedatrix convenientissima. Ad impediendum proinde ne error velut cancer serperet assecurandumque fidei depositum, non solùm Ecclesiæ necessaria non est infallibilitas judicii, quo error ille Jansenii Augustino tribuitur; imò attributio ista, Pici Mirandulani judicio, plus contra fidem facere videtur, quàm pro fide, dum errori non parvæ authoritatis Patronus tribuitur, ad eumque tuendum moventur homines, apud quos Patronus iste in pretio est.

Decima ratio. Moraliter impossibile est, quòd fides populi Christiani periclitetur, ex hoc quòd contingat (uti contingere potest) Ecclesiam errare circa intelligentiam obscuri & controversi textus cujuspiam Authoris particularis. Quandoquidem ad hoc necesse foret quòd populus ex toto ignoraret sensum damnatum, quem textui illi Ecclesia tribueret. Casus porro iste metaphysicus est, non moralis. Quia Ecclesiæ de fide doctrina, alligata non est obscuris textibus ejusmodi, sed clarè semper innotescit, independenter ab illis. Nam etiamsi sexta Synodus fortè erraverit in intelligendo sensu litterarum Honorii (prout erasse censent Baronius, Bellarminus, aliique non pauci) non ideo fideles errarunt in fide duarum in Christo voluntatum, nec ideo Synodus illa frustrata fuit fine suo principaliter intento, cùm errorem fidei illi contrarium extirpare principaliter intenderit, dum litteras illas, Honoriumque damnavit. Et idem est de aliis casibus omnibus, in quibus Ecclesiam, vel Papam errare contingit, errorem privato cuipiam authori vel libro ipsius tribuendo. Quippe dum errorem v. g. quinque propositionum tres Pontifices Jansenii Augustino tribuerunt, ideoque librum illum damnarunt, principalis intentio ipsorum haud dubiè fuit, errorem illum damnare, fideique dogmata errori illi contraria firmare, de manda-

torum possibilitate, de indifferentiæ libertate, de gratia non necessitante, de Christi pro omnibus morte: quæ dogmata fide credenda, certò fidelibus innotescit independenter ab obscuris & æquivocis Jansenianis libri textibus. Manifestum est ergo, fidem non periclitari ex hoc quòd Papa, vel Ecclesia errorem illum authoritate infallibili Jansenianò libro non tribuerit. Infallibilitatem proinde Ecclesiæ in ejusmodi necessariam non esse ad securitatem dogmatum fidei.

Undecima ratio Papa vel Ecclesia, absque præjudicio securitatis dogmatum fidei, errare potest in intelligentia sensus grammaticalis librorum, vel textuum, obscurè & ambiguè scriptorum in lingua v. g. Polonica, Sclavonica, Chinica, Turcica, Anglica, Flandrica &c; utpote de quibus judicium ferre non potest, nisi fundatum fallibili relatione, seu informatione particularium hominum, linguas illas callentium, à quibus decipi potest, non verò fundatum intelligentia propria (neque enim donum habet linguarum omnium, prout habuerunt Apostoli) ergo similiter errare potest in intelligentia sensus grammaticalis librorum vel textuum, obscurè & ambiguè scriptorum in lingua latina: Cur enim minus? Si quia libri scripti in lingua latina esse possunt contagiosi & periculosi populis latinè loquentibus, an non etiam libri scripti in lingua polonica, sclavonica &c. esse possunt contagiosi & periculosi populis polonicè, sclavonicè &c. loquentibus? Ergone si Jansenius in patria linguâ sua *Augustinum* suum vulgasset, liber ille (supposito quòd quinque damnatarum hæreseon errorem contineat) populis hollandicè, seu flandricè loquentibus minus contagiosus periculosusque fuisset? Non ideo tamen Ecclesia in judicando grammaticali sensu libri illius infallibilis fuisset. Ergo nec in judicando grammaticali sensu libri ejusdem latino idiomate conscripti. Nimis quippe absurdum foret, asserere, quòd Episcopus ille assistentiam infallibilem Spiritus Sancti Romanis Pontificibus, vel Ecclesiæ abstuliisset, si in idiomate à Romanis non intellecto scripsisset. Per consequens absurdum est asserere, quòd ideo

infallibilem aſſiſtentiam illam non abſtulerit, quia latinè ſcripſit. Nec ad hoc recurrere neceſſe eſt, ad ſalvandum fidei depoſitum. Tametſi enim ſemper moleſta ſit condemnatio librorum, ſicut & perſonarum innocentium. Chriſti promiſſio ſecuros nos facit, quòd ſi quando id contingit, vel per deceptionem eorum quibus libri vel perſonæ commiſſum eſt examen, vel per non adhibitam ab iis quorum intereſt ſufficientem applicationem, ſeu diligentiam, ad detegendam veritatem, ſeu detegendum verum libri ſenſum, Spiritus ſanctus equidem non permittet, quòd ejuſmodi librorum vel textuum condemnatio nocumentum adferat fidei depoſito; utpote ſemper concomitantem habens notorietatem ſufficientem, ad hoc quòd fideles videant, per ejuſmodi condemnationem, damnatam non eſſe fidei doctrinam, ſed doctrinam à fidei doctrina diverſam. Quod ſufficit ad ſalvandum fidei depoſitum. Ad id proinde neceſſe non eſt, quòd Eccleſia vel Papa infallibilis ſit in intelligentia textuum quacumque in lingua ſcriptorum. Enimvero ſi in intelligentia illa ſe infallibilem agnoſceret, maximè in intelligentia breviſſimi textus hujus *King-Tien*, Cœlum colito; de cujus ſenſu tanta à ſexaginta annis controverſia eſt inter Jeſuitas una ex parte, & alios Imperii Chinenſis Miſſionarios ex parte altera. Se verò in ipſius intelligentia infallibilem Papa non agnovit, dum poſt tot annorum diſputationem quam ex infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia ſolus brevi tempore infallibiliter dirimere potuiſſet, ſi eam ſibi non defuturam credidiſſet, litemque ea ſuper re pleniſſimè inſtructam, judicium ſuum proferre diſtulit, in re ſummi momenti, in qua de Chriſtiana Religione maximè agitur. Si enim per *cœlum*, cœli Imperator intelligatur, prout Jeſuitæ prætendunt, textus ille pietatem ſpirat, & religionem. Si cœlum materiale, ipſiuſve virtutem, prout ceteri Miſſionarii volunt, abominatio eſt deſolationis, à defenſoribus illius textus in Sanctuarium introducta, certiſſima proinde idololatria. Nihilominùs ne ipſi quidem Jeſuitæ Pontificiæ circa textus illius intelligentiam definitionis in-

infallibilitatem agnoſcunt ; cùm in ea deceptum Pontificem vociferentur , definitioniſque revocationem poſtulent.

Duodecima ratio. Eccleſiæ conceſſum non eſt infallibilitatis ſupernaturalis donum , ad judicandum de factis multum conducentibus ad notorietatem dogmatum fidei, fideleſque proinde certificandos de eo quòd dogma iſtud vel illud Papa vel Eccleſia fide credendum eſſe definierit , v. g. quinque propoſitiones arbitrii libertatem , Redemptioniſque generalis beneficium deſtruentes , eſſe hæreticas ; cùm ad notorietatem illam cognoſcendam lumen naturale ſufficiat. Ergo donum illud multò minus Eccleſiæ conceſſum eſt ad judicandum de factis , ad notorietatem dogmatum fidei non conducentibus , cujuſmodi ſunt quòd hæreticas propoſitiones , arbitrii libertatem , Redemptioniſque generalis beneficium deſtruentes, in Auguſtino ſuo, per propriam ſignificationem grammaticalem terminorum ſuorum, Janſenius expreſſerit. Sive enim illas expreſſerit, ſive contrarias potiùs , perinde equidem notum eſt, propoſitiones illas hæreticas eſſe, perinde notorium, ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. definitum, quòd tales ſint, & pro talibus à fidelibus omnibus habendæ.

Decima tertia ratio. Ad conſervandum in populo Chriſtiano fidei depoſitum, impediendumque illius naufragium, haud minùs neceſſaria eſt populo intelligentia expreſſionum, quibus fidei doctrinam ipſi Eccleſia proponit, quàm Eccleſiæ neceſſaria ſit intelligentia & electio terminorum , aptorum ad doctrinam illam exprimendam , populoque tranſmittendam. Neque enim minùs neceſſe eſt , ut populus rectè intelligat , quàm ut Eccleſia rectè loquatur ; nec ſufficit Eccleſiam à Spiritu Sancto dirigi ad fidei doctrinam populo proponendam terminis , ſeu expreſſionibus , in proprio ſenſu eam ſignificantibus , ſi populus expreſſiones ipſius non intelligat in propria earum ſignificatione , ſed in peregrina & falſa. Tametſi enim veritatem Eccleſia tunc ipſi aptè annuntiabit , populus errorem intelliget. Tamet-

metsi Ecclesia populo escam offeret salutarem, eam ipse convertet in virulentam. Infallibiliter proinde peribit, profanaque novitas ab ipso accipietur velut dogma salutare, doctrinaque sana velut novitas profana. Ipsum quidem Ecclesia non seducet, seductio tamen universalis non ideo in populo non sequetur; prævalentiaque portarum inferi adversus corpus universum populi Dei, ipsum inducendo in naufragium fidei. Vel ergo ad hoc impediendum populo Christiano tribuendum erit supernaturalis infallibilitatis donum, ad rectè intelligendam propositam sibi ab Ecclesiâ fidei doctrinam; vel Ecclesiæ tribuendum non erit, ad eam terminis atque expressionibus aptis convenientibus populo proponendam. Vel si evidens & notoria significatio naturalis terminorum populo sufficiat ad eam rectè intelligendam, Ecclesiæ pariter sufficiet ad eam rectè & convenienter exprimendam, populoque docendam.

Decima quarta ratio. Si Christus providentia sua dignum, vel expediens censuisset, infallibilitatis supernaturalis donum Papæ, vel Ecclesiæ suæ largiri ad securè judicandum de aliis punctis, quàm de revelatis; donum istud potiùs largitus fuisset, ne erraret in probationibus, quibus suas firmat de fide decisiones, quàm ne erraret in judicando de factis ad fidem superfluis, qualia Pelagius II. censuit, vocavitque facta doctrinalia trium Capitulorum, aliaque proinde istis similia. Atqui Theologi generatim omnes uno consensu velut certum tradunt, infallibilitatis supernaturalis donum Ecclesiæ à Christo concessum non esse, ne in probationibus illis erraret; multò ergo minùs (quia multo minùs necessarium) ne erraret in doctrinalibus ad fidem superfluis.

SECTIO

SECTIO VI.

Ultima ratio, petita ab exemplis Romanorum Pontificum, quas in suo de factis non revelatis, etiam doctrinalibus, judicio providentia divina errare permisit, ut sese homines esse, humanaque deceptioni obnoxios meminissent.

EX dictis perspicuum est Angelicè S. Thomam, apud Illustrissimum Cameracensem in sua Instruct. Pastorali IV. p. 2. c. 7. dixisse, quòd extra circumscriptos infallibilitatis promissæ limites, Ecclesia non est, nisi *hominum congregatio, quæ potest contra authoritatem divinam errore humano labi* (sicut & Pontifex Ecclesiæ caput) *& verum pronuntiare id quod falsum est.* Et hoc est quod Innocentius III. cap. A nobis, *de sentent. excom.* non illibenter agnoscit, hisce verbis: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli. Propter hoc contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiæ sit sententiâ innodatus.*

Romanorum etiam Pontificum non raram in suis judiciis de factis non revelatis deceptionem sequentia manifestant exempla.

Apollinarem hæresiarcham Damasus Papa, & Timotheum Apollinaris Discipulum Anastasius successor ipsius, per errorem facti, velut orthodoxos ad suam communionem recepit, prout narrat Facundus l. 7. c. 3.

Basilius Magnus, apud eumdem Damasum, in hæresis suspicionem tam gravem innocens venit, ut Delegati, quos pro sui justificatione Basilius quater Romam misit, constanter repulsam ab ipso passi fuerint.

Joannem Maxentium, presbyterum Antiochenum, & Scythiæ Monachos Hormisdas Papa erroris veneno in-

infectos pronuntiavit, ob doctrinam quam Joannes II. catholicam esse postea definivit, totaque Ecclesia probavit, *unum* scilicet *de Trinitate esse passum.*

S. Paulinum, à tot Sanctis tam mirificè commendatum, valde malè habuit Siricius Papa, Ministrique Aulæ ipsius, quibus nimis facilè Siricius aures præbuit. De hoc gravissimè Sanctus ille conqueritur epist. 5. ad Severinum. Sanctos Episcopos, Erotem Arelatensem, & Lazarum Aquensem (à quibus Pelagius & Celestius primùm delati sunt in Concilio Af icano) Zosimus Papa velut Ecclesiæ perturbatores admodum vexavit, deceptus ex informatione falsissima, inquit Baronius.

Africanos Patres atque inter ipsos S. Augustinum, idem Pontifex velut hæreticos culpavit, quòd Pelagium & Celestium hæreticos crederent, quorum fidem ipse ab iis deceptus, velut catholicam laudaverat. Sic refert Facundus l 7. c. 30.

S. Hilarius Arelatensis à sanctissimo Papa Leone Magno tantam sustinuit persecutionem, ut apud Valentinianum III. Imperatorem delatus fuerit, velut adversus S. Sedem rebellis.

S. Mamertum, Archiepiscopum Viennensem, Hilarius Papa, Leonis Magni Successor, malâ informatione deceptus, plurimùm afflixit.

Julianum Pomerium, Archiepiscopum Toletanum, Benedictus II. gravi notavit censura, velut qui articulos quatuor tradidisset suspectos, Apostolicisque Constitutionibus adversantes. Quos tamen Successor ipsius, duobus post annis sanos & orthodoxos declaravit, editâque Apologiâ (à Sergio Papa plurimùm laudatâ) ipsemet Julianus (approbante Concilio Toletano XVI. vel XVII.) eorum orthodoxiam demonstravit.

Ista exempla Baronius profert in Annalibus suis, Romanis Pontificibus compatiens, quòd finistris informationibus circumventi, innocentes frequenter persequantur, dum ex justitiæ zelo agere se arbitrantur.

Et istud est, de quo etiam gravissimè quiritatur S. Thomas Cantuariensis (apud eumdem, ad annum 1170) epist. 20. de Romana Curia dicens: *Nescio quo pacto*

pacto pars Domini ſemper mactetur in Curia, ut Barrabas evadat, & Chriſtus mactetur authoritate Curiæ: jam in finem ſexti ami proſcriptio noſtra, & Eccleſiæ calamitas protracta eſt.

Ad annum quoque 1147. Baronius exemplificat in S. Bernardo, qui ab Innocentio II. (per Sanctum illum egregiè adjuto in acquirenda pacifica Pontificatus ſui poſſeſſione) durè admodùm exceptus fuit.

Ludovicum Alemannum, Concilii Baſileenſis Præſidem, Eugenius IV. publico Diplomate *filium perditionis* nuncupavit; quem tamen Clemens VII. in Beatorum numerum retulit.

Joannem Picum, Comitem Mirandulanum, Innocentius VIII. ob nonnullas propoſitiones ſiniſtrâ nota perſtrinxit, damnavitque. Verumenimverò, viſa Apologia ipſius, Alexander VI. ipſum per Breve Apoſtolicum 18. Junii 1403. innocentem, *nullaque exiſtimationis, nulla hæreſis ſpecie, vel ſuſpicione, nulla ſiniſtra nota* dignum judicavit.

Et quis neſcit in judiciis ejuſmodi factorum Romanos Pontifices ſequi ſolitos judicia Cenſorum, omni exceptione non ſemper majorum? Quis neſcit quòd S. Caroli Borromæi Concilium Mediolanenſe IV. Romæ uſque adeo reſciderant deformarantque Romani Cenſores, ut ne unum quidem Decretum ipſius ab ipſis illæſum permanſiſſet, niſi Sanctiſſimus ille Cardinalis, hoc audito Romam convolans, ea tam validè defenſaſſet, ut, ipſo audito, omnia, nullo excepto, inventa fuerint, nedum approbatione, ſed & omni laude digniſſima, erroremque ſuum Cenſores faſſi fuerint.

Porrò negari non poteſt facta Joannis Maxentii, Juliani Pomerii, Pici Mirandulani &c. doctrinalia fuiſſe, in judicio proinde ejuſmodi factorum, Hormiſdam, Benedictum II. & Innocentium VIII. deceptos fuiſſe.

Nec id mirum, cùm enim Prophetæ non ſint (prout D. Gregorium ſuprà dicentem vidimus) curarumque ac negotiorum mole ſint obruti, malâ intimè adſtantium, adulantium, mentientium, & ſua quærentium in-

informatione, non infrequenter decipiuntur. Nam, dum eorum *mentem curarum densitas vastat, & animus ad multa divisus, fit minor ad singula, facilè ei in una qualibet re subripitur.* Enimverò *lumen illud Spiritus Sancti, quòd summo Pontifici adest, cùm explicanda sunt fidei mysteria, & tradenda morum*, seu divinæ legis *præcepta, non perpetuò illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adulationes, improborum mendacia, calumniatorum impostoras, detegit* (inquit doctissimus Author Libri Romanæ Aulæ probatissimi, *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, l. 2. c. 3.) *non adversus ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium Consilia immotum servat*, nec ab omni prævention, sicut nec ab omni peccato facit securum. *Nec enim altitudo & sanctitas solii sanctum facit.*

SECTIO VII.

Objectionum solutione hactenus dicta roborantur.

OBjicies 1. Si Papa, vel Ecclesia errare posset in judicio factorum non revelatorum, de multis ejusmodi factis dubitare fas esset, de quibus certum est dubitari non posse. Ut 1. de Sanctitate Sanctorum Canonizatorum. 2. de veritate librorum Canonicorum, quòd utique Biblia, quæ habemus, vera sint Biblia, non spuria. 3. de authoritate Vulgatæ 4. de Oecumenicitate Concilii Tridentini: cùm ista omnia sint facta non revelata, uti & quòd S. D. N. Clemens XI. canonicè fuerit electus: verus proinde sit Pontifex, Petri Successor.

Respondeo 1. argumento isto nimium (adeoque nihil) probari, utique Papam, vel Ecclesiam infallibilem esse in judicio factorum personalium, non revelatorum, in quo fallibilitatem ipsius adversarii fatentur. Quòd enim S. Franciscus v. g. fuerit Sanctus, quòd Concilium Nicænum, vel Tridentinum, fuerit œcumenicum, quòd Clemens XI. in Papam legitimè fuerit electus, facta sunt personalia.

Ref-

Reſpondeo 2. negando ſequelam, quia ut de factis illis dubitare nefas ſit, ſatis eſt quòd à Papa, vel Eccleſia, deciſa fuerint infallibiliter, infallibilitate morali, vel quòd facta illa certa ſint per evidentiam & notorietatem, vel per unanimem totius Eccleſiæ conſenſum plurimorum ſæculorum. Quòd autem Sanctus Franciſcus v. g. fuerit verè ſanctus, Papa, conſentiente univerſa Eccleſia, definivit infallibiliter infallibilitate morali (etſi non omnino ſupernaturali) fundata utique in eo quòd poſt longiſſimum diligentiſſimumque examen (quo majus humanitùs adhiberi non poteſt) Sanctitas ipſius argumentis omne morale dubium excludentibus fuerit comprobata, Deo etiam quodammodo ad eamdem probationem concurrente per miracula, in ſignum Sanctitatis ipſius patrata. Quapropter etſi de fide non ſit S. Franciſcum eſſe Sanctum (prout videtur Gerſonio, Melchiori Cano, Driedoni, Tannero, Luiſio Turriano, aliiſque pleriſque Theologis) id tamen *piè credendum* docent S. Thomas Quodlib. 9. 6. ult. S Antoninus 3. p. Sum. tit. 12. c. 8. Cajetanus opuſc. de indulg. c. 8. Bannez 2. 2. q. 1. a. 10. dub. 7. concluſ. 2. ubi dicit hæreticum quidem non fore qui id negaverit, fore tamen temerarium, ſcandaloſum, & ſapientem hæreſim. Quia Sanctorum Canonizatio, etſi non fiat authoritate ſupernaturaliter infallibili, ſit tamen authoritate medium tenente inter authoritatem ſupernaturaliter infallibilem Papæ in definiendis rebus fidei, & authoritatem moraliter fallibilem ipſius in definiendis cauſis civilibus & criminalibus, prout S. Thomas tradit loco citato.

Quidquid tamen de eo ſit, à Sanctorum Canonizatione, utpote facti perſonalis definitione, ad definitionem factorum doctrinalium non revelatorum arguendum non eſſe, cenſent ipſemet Bellarminus & Duvallius; tametſi enim ſupernaturalem Eccleſiæ infallibilitatem agnoſcant in Sanctorum canonizatione, eam non agnoſcunt in factorum doctrinalium definitione, prout viſum eſt ſuprà.

Supernaturalem etiam infallibilitatem Eccleſiæ neceſſariam

ſariam non eſſe, ad excludendum omne morale dubium de Conciliorum Oecumenicitate, Bellarminus to. 2. controverſ l 2. c. 9. inde probat, quòd ad hoc ipſi humana ſufficiat certitudo, in facti notorietate fundata, prout eadem ſufficit ad certum judicium, quòd v. g. Opera S. Athanaſii, S. Cyrilli, S. Auguſtini &c. verè ipſorum ſint Cùm enim unanimi ſapientum omnium per tot ſæcula conſenſu pro talibus agnita ſint, ſi quis hoc negare veliet, rationis uſum perinde cenſeretur amiſiſſe, ac ſi negare vellet, Philippicas eſſe Ciceronis; Æneidem vel Georgica Virgilii &c. Nec minùs mente captus cenſeretur, qui negaret Concilium Nicænum v. g. vel Tridentinum, Oecumenicum fuiſſe, quàm ſi negaret Conſtantinum Magnum Imperatorem fuiſſe. Siquidem *contra omnes ſapere, deſipere eſt.* Philoſophus 6 Ethic. 11. Et *publicam mundi linguam ſolus impius vult evertere.* Chryſoſtomus in pſal. 28.

Eadem humana certitudo, in facti notorietate fundata, ſufficit ad obligationem agnoſcendi S. D. N. Clementem XI. ut Papam legitimum, ipſique ut tali debitam reddendi obedientiam ac ſubmiſſionem. Id tamen de fide eſſe, Sedente Clemente VIII publicis Theſibus, præſide Gabriele Vaſquez, negarunt Jeſuitæ Complutenſes hiſce verbis: *Non eſt de fide, hunc numero Papam, eſſe verum Papam.* Similiter Jeſuitæ Barcinonenſes in Theſibus die 4. Januarii 1606. diſputationi publicæ paratis concluſ. 7. aſſeruerunt ſola *morali certitudine Paulum V. eſſe verum Pontificem.* Quod & aſſeruerunt Card. Turrecremata, Card. Cajetanus, Bannez, Lenſæus, Torres, Gaſpar Hurtado, & plerique alii; ex quorum nihilominus opinione conſequens non eſt, fide certum non eſſe, quòd hic numero Pontifex, v. g. Clemens XI. pro tali ab Eccleſia tota agnitus, de fide eſſe definit. Tametſi enim de fide non ſit, Concilium Tridentinum v. g. Oecumenicum fuiſſe, fide tamen certa ſunt, quæ Concilium Tridentinum de fide eſſe definivit. Videri poteſt vel ipſe Diana *p.* XI. *tr. ult. reſol.* 8. Ubi bene oſtendit, ſequelam illam non eſſe legitimam.

Fatendum igitur Eccleſiam certò definire poſſe facta quædam non revelata, certitudine rationabile omne dubium excludente, fundata in eorum notorietate, etſi non certitudine fundata in promiſſa ſibi à Chriſto infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti. Nec in ea Tridentinum fundavit ſuam de authenticitate Vulgatæ definitionem, ipſiuſque cum textu originali in rebus ſubſtantialibus & momentoſis conformitatem, ſed in unanimi Sanctorum Patrum, Theologorumque omnium Eccleſiæ Latinæ conſenſu, à tempore D. Hieronymi; eam proinde fundavit in teſtimonio duodecim ſæculorum, conſenſuque Paſtorum omnium, qui licèt eam legerint, ac præ manibus habuerint, nihil unquam in ea deprehenderunt fidei, vel bonis moribus contrarium, nihil non conforme fidei omnium ſæculorum.

Et quid Tridentino opus fuit, ut ſe Oecumenicum, atque in Spiritu Sancto legitimè congregatum definiret? Ad excludendum omne de eo rationabile dubium nihil neceſſe erat, niſi aperire oculos, atque in Sancta Synodo illa videre nationum omnium Epiſcopos, Italos, Gallos, Hiſpanos, Luſitanos, Germanos, Hungaros, Polonos &c. qui zelo fidei, Eccleſiæque periclitantis amore, per Bullam omnibus notam ab Eccleſiæ Capite convocati, illuc convenerant ex toto Orbe Chriſtiano. Nihil aliud poſtulat Bellarminus ubi ſuprà: *Concilium aliquod eſſe legitimum*, inquit, *iis qui tunc adſunt præſentes, evidens eſſe poteſt, ſine alia probatione. Vident enim in unum conveniſſe Epiſcopos; qui habentur ab omnibus veri Epiſcopi, & conveniſſe ex variis Provinciis, & vocatos ab eo qui habet authoritatem, & ſi quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre poſſunt. Nihil enim inviſibile requiritur: Poſteris autem, vel abſentibus, idipſum eſt notum ex humana fide, ſed certiſſima, & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit. Nam, exempli gratia, Nicænum Concilium fuiſſe legitimum, non ſolùm unus aut alter Hiſtoricus teſtatur, ſed multi & varii Scriptores ejus temporis, & temporum conſequentium, & Eccleſia, quæ nunc eſt, idipſum aſſerit, nec eſt; aut unquam fuit,*

qui

qui contrarium sentiat, aut senserit. Quare quemadmodum fuisse quemdam Consulem, Ciceronem; Julium Cæsarem, Dictatorem; Octavium cum Antonio prælio navali decertasse, & alia id genus, etsi ex humana fide pendeant, tamen adeò certa sunt, ut evidentiam quamdam habere videantur: sic etiam Concilia Ecclesiæ, quæ nos legitima fuisse dicimus, tot habent testimonia omnium ætatum, ut nihil dubitationis in animis nostris relinquant, quominùs credamus talia fuisse, qualia dicuntur, etiamsi divina id fide non credatur, uti dicit l. 6. c. 8.

Novi verò Testamenti libros à Christi Discipulis conscriptos fuisse, fide divina credimus, tamquam verbo Dei tradito revelatum. Eos verò quos habemus, ab Ecclesia probatos, ab hæreticis corruptos non fuisse, simili certitudine ac fide credimus, quâ Vulgatæ authenticitatem, de qua suprà.

Sunt igitur facta quædam non revelata, per Ecclesiam definita, quæ licèt fide divina non credantur, sunt nihilominus adeò certa & evidentia, ut de iis rationabiliter dubitari nequeat, ut quòd in Arii, Calvini, Lutheri &c. libris hæreses ab Ecclesia damnatæ contineantur. Sunt & alia pariter definita, sed obscura & ambigua, & ideò controversa, quia argumentis moraliter infallibilibus, & omne rationabile dubium excludentibus non probantur. Et ideò de iis dubitare Ecclesia non prohibet, cujusmodi sunt facta Theodoreti, Honorii &c. de quibus suprà, & copiosiùs infrà.

Objicies 2. Si Ecclesia non foret infallibilis in judicio factorum non revelatorum, nihil foret certum & extra controversiam in judicio Ecclesiæ adversus Arium, Nestorium, Eutychetem &c. Nullus proinde finis foret controversiarum contra hæreticos.

Imbelle argumentum: quia errores quos Hæresiarchis illis Ecclesia tribuit, & propter quos ipsorum libros & personas damnavit, etiamsi quoad attributionem istam certi non sint certitudine fidei, seu supernaturalis infallibilitatis, fundatæ in promissione Christi &c. certi sunt certitudine notorietatis, & quasi evi-

den-

dentiæ, tantæ, ut dogmata, quæ ipſis Eccleſia tribuit, ipſimet hæreſiarchæ illi pro ſuis agnoſcant, nec id diffiteantur ſectatores ipſorum. Lutherani namque & Calviniſtæ, cum ſuis infernalibus Patriarchis, pro dogmatibus ipſorum agnoſcunt, v. g. dogma negans Tranſubſtantiationem in Euchariſtiæ Sacramento.

Objicies 3. Quidquid Romanus Pontifex ex cathedra definit, authoritate infallibili, divinis in promiſſionibus fundatâ definit. Atqui ex cathedra definivit, quinque famoſas Janſenii eſſe, atque in ſenſu libri ipſius damnatas. Ergo. Negatur minor: quia Romanus Pontifex ex cathedra ſolùm definit veritates divinitùs revelatas, vel certè cum revelatis neceſſariò connexas, ſive in revelatis virtualiter, licèt non formaliter contentas. Quinque verò propoſitiones illas Janſenii eſſe, vel in ſenſu libri ipſius damnatas, non eſt veritas ſeu formaliter, ſeu virtualiter revelata. Quia de eo nihil Scriptura, formaliter vel virtualiter dicit, nec Traditio. Omnis autem veritas formaliter vel virtualiter revelata, vel in Scriptura formaliter, aut virtualiter continetur, vel in Traditione.

Ad hujuſce ſolutionis evidentiam valde obſervandum, Romanos Pontifices dupliciter conſiderari poſſe, vel tamquam veritatum revelatarum cuſtodes, ac teſtes irrefragabiles, apud quos depoſitæ ſunt Chriſtianæ veritates, ac facta divinitùs revelata, quæ ad nos, ſive per Scripturam, ſive per Traditionem derivantur, nobiſque à Romano Pontifice, & Eccleſia proponuntur, & explicantur. Alio modo conſiderari poſſunt, vel tamquam ſupremi Legiſlatores Eccleſiaſtici, ſupremique Judices rerum particularium, quotidie in Eccleſia geſtarum, ſicut & factorum in dies emergentium, de quibus nihil in Scriptura, nec in Traditione reperitur. Ea quidem quæ Romani Pontifices priore modo conſiderati docent ex cathedra S. Petri, authoritate infallibili docent, fide proinde divinâ credenda ſunt. *Neque enim ſua ſunt quæ dicunt* (ait Auguſtinus epiſt. 105. aliàs 166.) *ſed Dei, qui in cathedra veritatis doctrinam poſuit veritatis.* Quod uſque adeò verum Auguſtinus cen-

censet, ut ibidem addat, quòd etiam de Ecclesiæ *Præpositis malis plebem securam fecerit, ne propter illos doctrinæ salutaris Cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere*, Sancti Spiritus assistentia ipsos ab errore infallibiliter præservante.

Ea verò quæ Romani Pontifices posteriori modo considerati definiunt, *ex Cathedra S. Petri* non definiunt (ad quam non pertinent nisi quæ S. Petrus à Christo accepit, & quæ ipsi Pater cœlestis per Spiritum Sanctum, non quæ caro & sanguis revelavit) sed *ex Tribunali* dumtaxat, id est non tamquam Doctores veritatum divinitùs revelatarum, sed tamquam Judices controversiarum, veritates revelatas non concernentium. Et ipsis hoc modo consideratis infallibilis assistentia Spiritus Sancti certa ac perpetua lege promissa non est, prout hactenus est demonstratum, sed priori modo consideratis dumtaxat. Unde nec in iis quæ hoc modo definiunt, semper sequuntur lumen & ductum Spiritus Sancti, sed humanæ rationis ac informationis, nec aliter se gerunt, quàm ut humani Judices (licèt inter Ecclesiasticos supremi) humano scilicet modo (fallibili proinde) veritatem perquirentes, ac dijudicantes. Non quòd superno lumine subinde non illustrentur, sed quòd non semper id contingat, imò plerumque non contingere probant exempla sect. præced. producta. Et propterea iis quæ taliter definiunt, non semper inest certa & indubitata veritas, sive certitudo rationabilem omnem excludens dubitationem; utpote quæ ab humana authoritate, pastoralique potestate fallibili non profluit, sed ab humanæ scientiæ cognitionisque principiis, ingenio, doctrina, accurata lectione, subtili judicio &c. in quibus Ecclesiastici Judices, etiam supremi, eorumque Consiliarii, aliis omnibus Doctoribus, istis in rebus optimè versatis, non semper antecellunt, ut notorium est.

Enimverò præcellentia cognitionis non semper conjuncta est cum præcellentia authoritatis, lumenque naturale, quo veritates naturales deteguntur, non eo ipso majus est in homine, quo major est dignitas ipsius,

ſius, nec eo ipſo majus in Papa, quàm in ceteris hominibus, quo ipſe dignitate major eſt ceteris hominibus: imò ſubinde minùs. Tametſi enim Eugenius IV. in Bulla de præeminentia Cardinalium declaret, Cardinales, à tempore S. Petri, eam ſupra Epiſcopos ſemper habuiſſe præeminentiam, quam modò habent: eruditi potiùs credunt Bellarmino, docenti quòd Cardinales presbyteri pluſquam per octo ſæcula præeminentiam non habuerint, niſi poſt Epiſcopos. Tametſi etiam Nicolaus I. Epiſcopos omnes compellere voluerit ad recipiendas veterum Pontificum Decretales, tamquam veras; probationes Centuriatorum Magdeburgenſium (tametſi hæreticorum) in contrarium, eruditi magis credibiles cenſent, quàm ipſius Pontificis. Tertiò, quamvis Zacharias Papa erroneam declaravit Virgilii ſententiam, *alios eſſe ſub terra homines*, id eſt Antipodes: contrarium jam tenent omnes, velut indubitatum, argumentis irrefragabilibus, experientiaque convicti. Quartò, quamvis Leo IX. ſolemni Diplomate (poſt examen, inquit, diligentiſſimum) definierit, S. Dionyſii Corpus è Gallia Ratisbonam eſſe tranſlatum, Galliſque prohibuerit contrarium aſſerere, vel ſentire; ipſi nihilominus Galli non credunt, nec ad credendum ſeſe obligatos agnoſcunt: eò quòd apertâ ipſius Lypſanâ, in ea Corpus ipſius etiamnum inveniant, prout Gallici Scriptores tradunt.

Iſta & alia argumenta plurima demonſtrant, recurrendum eſſe ad diſtinctionem proximè obſervatam, nec infallibilitas Romanorum Pontificum ultra id quod Scriptura, Traditio, ratio & experientia, ſeu exempla ſuperiùs adducta docent, extendenda eſt. Papale namque faſtigium errare poſſe in judicio de juſtitia legum humanarum, quas condit, paſſim ubique, etiam Romæ docetur. Videatur doctiſſimus author memorati libri De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, Romæ probatus, loco relato. Poſſe quoque errare in judicio de factis perſonalibus, pauci ſunt, etiam ex Jeſuitis, qui in dubium revocant. Sed hoc ipſo doctrinæ conſequentiam non tenent, quo id ipſum de factorum do-

ctrinalium, paritèr non revelatorum, judicia non tenent. Cùm & facta ista personalia Pelagius II. & Gregorius Magnus appellent, & hoc ipso quòd Jesuitæ Papalem infallibilitatem extendunt ultra limites earum definitionum, quibus Pontifices ex Cathedra S. Petri proponunt exponuntque fidelibus veritates divinitùs revelatas, absque authoritate & ratione eam potiùs extendunt ad facta doctrinalia, quàm personalia, vel ad judicia purè Ecclesiastica. Nullæ siquidem authoritates, nullæ rationes unum potiùs quàm alterum probant. Nec solii altitudo ipsos ab humanis præventionibus, aliisque cognoscendæ veritatis impedimentis ac defectibus magis præservat in istis, quàm in illis, prout nec olim summos Sacerdotum Principes præservavit; qui licèt à veritate aberrare non potuerint in iis quæ docebant ex Cathedra Moysi, & secundùm doctrinam ipsius; secus in iis quæ docebant & statuebant ex Tribunali, & secundùm Traditionem suam, visamque sibi rationem; atque adeò secundùm judicium purè humanum. Et ideò filii Israël jussi sunt quidem *facere quæcumque docuerunt secundùm legem ejus*, Dei scilicet ac Moysi (Deuteron. 17.) non tamen omnia, quæ docuerunt & judicarunt ex Tribunali, secundùm doctrinam & traditionem suam. In qua quia non infrequenter aberrarunt, Matth. 16. & Marci 8. Salvator dixit: *Cavete à fermento*, id est à doctrina Pharisæorum; non obstante eo quòd Matth. 23. dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo* (quæ ex Cathedra illa) *dixerint vobis, facite*. Et quis nescit, errore facti doctrinalis, non revelati, summum Pontificem Caïpham, cum magno suo Scribarum, Pharisæorum, ac seniorum populi Concilio terribiliter errasse, dum verba verissima ejusdem Salvatoris, se Dei Filium asserentis, accepit, non ut verba Dei Hominis, sed puri hominis, id mendaciter asserentis, adeoque blasphemantis? Quam ob blasphemiam, ex Tribunali, non ex Cathedra Moysi, Salvatorem reum mortis cum eodem Concilio pronuntiavit.

Objicies 4. Ecclesia fallibilis non est in intelligenda Tra-

Traditione, nec in intelligendis Patribus, quorum doctrina Traditionem constituit; ex unanimi namque Patrum consensu Traditio petenda est. Atqui Sanctos Patres scripsisse, sensusque, quo scripserunt, facta sunt posteriora revelatione Apostolis factâ.

Respondeo, Traditionem non esse SS. Patrum, sed ipsiusmet Christi, seu Spiritus Sancti doctrinam, viva voce ad nos transmissam, à fideliumque & Pastorum cordibus, velut vivo Ecclesiæ Archivio receptam. Qui si omnes, aut ferè omnes, uno animo in aliquod dogma conspirent, istiusque conspirationis origo nulla post Apostolorum tempora assignetur, divinitùs traditum censetur. Porrò ne Ecclesia erret in intelligenda ejusmodi conspiratione, ac per consequens in dogmatis definitione, etiamsi non adesset ipsi evidentia, adest specialis Spiritus Sancti assistentia, etiamsi non semper impediat ne erret in critica intelligentia sensus aliquorum Patrum.

Ista fusiùs prosequi compulit necessitas eorum convincendi pervicaciam; qui sub infundatæ infallibilitatis prætextu, Virorum bonorum, eam non agnoscentium, famam lacerant, & lacerando ipsos persequuntur. Nec id, uti confidimus, S. Sedi displicebit; utpote quæ falsis nec indiget, nec delectatur honoribus, tot verissimis, & tam magnificis decorata prærogativis. *Honor* quippe *Regis judicium diligit*: nec ipsi honorem, quin potiùs injuriam faciunt, qui commentitiis titulis ipsi adulantur. Verissimè namque Cassianus: *Quod non ita dicitur ut est, etiamsi honor videatur, injuria est.*

ARTIFICIUM DECIMUM QUARTUM.

Novum fidei articulum, toti Antiquitati, Patribusque omnibus incognitum, ausu plusquam temerario procudere, novumque consequenter hæreticorum genus, ut colorem aliquem semper habeant, Theologos, novitatibus suis, laxioribusque opinamentis adversantes, apud populum & Potestates impunè calumniandi.

SECTIO PRIMA.

Status quæstionis.

NOn mirum, quòd tanta hodie contentione Socii pugnent pro papali in factis doctrinalibus, non revelatis, infallibilitate; utpote sine qua subsistere nequit novitius Jesuiticæ incudis articulus, quo factum Jansenianum fide divina credendum vociferantur, non in reverentiam S. Sedis, sed in majorem gloriam, promotionemque rerum Societatis. Eo namque articulo corrupte, imaginaria corruit hæresis, novæ pariter incudis ipsorum, cujus larvâ odiosos populo ac Potestatibus reddere non cessant viros integerrimos, ob id solùm, quòd, post accuratissimum examen Jansenii libri, cui titulus *Augustinus*, dicant, in eo se non invenire damnatas quinque propositiones, imò prorsus contrarias; ideóque cœca obedientiâ credere se non posse, eas isto in libro contineri, vel saltem se non posse de eo non dubitare, etiam post Constitutiones trium Romanorum Pontificum; quandoquidem oppositum sibi ad oculum ex accurata libri illius lectione constet, vel saltem gravissimam habeant de eo dubitandi rationem, quam fallibilis illorum Pontificum authoritas prorsus vincere nequeat, maximè attentis circumstantiis quæ Constitutiones illas extorsisse videntur; licèt interim Constitutiones illas toto corde & ore, in iis quæ ad fidem pertinent, amplectantur, & quinque propositiones illas, velut hæreticas, ubicumque extent, sincerè damnent ac detestentur, semperque damnaturi sint ac detestaturi. Parati insuper à sua dubitatione discedere (neque enim illi pervicaciter adhærent) Jansenii que Augustinum ea in re damnare, cùm primùm ratione, sensibilive demonstratione, non sola fallibili authoritate docebuntur damnandum esse. Quod solum, & nihil amplius, à trium Capitulorum bona fide defensoribus olim Romani Pontifices Pelagius II. Gregorius Magnus &c. exegerunt. Nec quidquam amplius

amplius Ecclesia hodie exigit à defensoribus Origenis, Honorii, Abbatis Joachim &c. estque non paucorum opinio, ampliùs exigi non posse: cùm juxta divinam legem, *Nolite judicare, nolite condemnare*, sine manifestis indiciis (quæ sola fallibilis authoritas, vi sua præcisè, subministrare non potest, fas esse non videntur Catholicum Episcopum, de Ecclesia benè meritum, atque in ejus obedientia & communione defunctum, in libro suo de hæresi damnare, civiliterque proinde occidere.

SECTIO SECUNDA.

Refellitur Jesuiticum pro novo illo hæreticorum genere argumentum.

ISte est status solemnis illius controversiæ, quæ à tot annis perdurat, semperque perdurare, Socii existimant è re sua. Propterea novitiam hæresim, hactenus inauditam comminiscentes, tales hæreticos esse vocibus magnis ubique proclamant, ut rem suam promoveant. Nec alio argumento illam novæ suæ incudis hæresim fulciunt, nisi isto: Quinque famosas propositiones Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. in Jansenii Augustino extare, & in sensu obvio, quem liber iste exprimit hæreticas esse definierunt. Et ista (inquiunt) evidenter est quæstio juris, cùm quæstio de sensu propositionum sit quæstio juris. Porrò de fide est, Ecclesiam (quæ definitiones illas recepit) falli non posse in materia juris, quodque hæreticum pronuntiat, hæreticum esse. Certum proinde est, doctrinam oppositam ad fidem Catholicam pertinere. Igitur certum est, hæreticos esse, qui negant, vel in dubium revocant Catholicam istam veritatem. Quia certum est hæreticos esse, qui Catholicæ fidei articulos evidenter propositos, vel negant, vel in dubium revocant, vel de iis dubitari posse asserunt.

In deridiculo argumento isto (quod certissimum est sophisma) plus nimiò confisus Jesuita Stephanius, seu

P. Stephani; Leodiensi in Seminario S. Th. Professor temerariis declamationibus, quàm scriptis eruditis clarior, perilluſtrem Ecclesiæ Leodiensis Canonicum Theologum in libello (quem veriùs Ecclesiæ *Pseudodefensionem*, quàm *Veram defensionem* inscripsisset) indignissimè quavis occasione velut hæreticum insipienti audacia traducit, dum ne intelligit quidem discrimen inter quæstiones Theologicas de fidei dogmatibus, & quæstiones criticas de factis non revelatis. Ad sobriam ergo mentem rediens, videat ipse, videant & Socii ipsius, sophisma simile: Nestorianæ hæreseos sensum in tribus Capitulis contineri Concilium V. œcumenicum definivit. Sicut & Monothelitarum hæresis sensum in Litteris Honorii Papæ ad Sergium continere definivit Concilium generale VI. Et ista est evidenter juris quæstio: cùm quæstio de sensu trium Capitulorum, deque sensu Litterarum Honorii, sit quæstio juris. Porrò de fide est, Ecclesiam (quæ definitiones istas recepit) falli non posse in materia, seu quæstione juris, quodque hæreticum pronuntiat, hæreticum esse. Certum proinde est, doctrinam oppositam ad fidem Catholicam pertinere. Igitur certum est, hæreticos esse, qui negant vel in dubium revocant, vel revocari posse asserunt Catholicam istam veritatem. Quia certum est hæreticos esse, qui fidei Catholicæ articulos, evidenter propositos, vel negant, vel in dubium revocant, vel de iis dubitari posse asserunt. Sophisticum esse istud argumentum inde constat, quòd si legitimum foret, eo probaretur id quod certissimè alienum est à veritate, omnes nempe trium Capitulorum defensores (utique Africanos Episcopos ferè omnes, sicut & Istricos, Liguricos, Italos, Hispanos, Gallos, Hibernos, S. Columbanum, S. Secundinum, S. Isidorum, Childebertum Galliarum Regem, Theodolindam Longobardorum Reginam, omnes item defensores Litterarum Honorii, Cardinales Turrecrematam, Baronium, Bellarminum, Pallavicinum, sicut & famosos Jesuitas, Petavium, Sirmondum, totque alios Catholicos Scriptores, qui (Ecclesia permittente) etiamnum vel Theodore-

doretum & Ibam, ſeu eorum ſcripta, vel Honorii litteras ab hæreſi defendunt, omnes (inquam) iſtos, hæreticos fuiſſe & eſſe, fideique articulum evidenter propoſitum negaſſe, vel in dubium revocaſſe &c. At iſtud aſſerere, deſipere eſt, Pelagioque I. & II. ac D. Gregorio contradicere, qui laudatos Epiſcopos, eorumque bona fide ſequaces, pro Catholicis ſemper habuerunt, ipſoſque à fide non deviaſſe, quæſtionem denique iſtam ad fidem Catholicam non pertinere palam declararunt, prout Artificio præcedenti ſect. 2. demonſtravimus, & ampliùs infrà demonſtrabitur.

Ad frivolum proinde Jeſuitarum Argumentum in forma Reſpondeo, negando ſubſumptum, quia dum quinque famoſas propoſitiones in Janſenii Auguſtino extare, atque in ſenſu libri illius hæreticas eſſe Pontifices illi definierunt, ſive definitionem ſuam, per unam duabus æquivalentem; ſive per duas propoſitiones expreſſerint, duo equidem prorſus inter ſe diſtincta, & ſeparabilia, atque ad diverſas materias, revelatam unam, alteram non revelatam ſpectantia, duplici judicio definierunt, propoſitione quidem fortaſſis formaliter una, ſed virtualiter duplici, ſive ex duabus complexa.

Primum judicium Theologicum fuit, quo quinque illas propoſitiones qualificarunt, eas hæreticas eſſe definiendo, in ſenſu *quem illarum verba præ ſe ferunt, uti* Clemens XI. (modò feliciter regnans) loquitur in Conſtitutione ſua *Vineam Domini Sabaoth*. Alterum judicium criticum fuit, & grammaticale, quo ſenſum illum Janſenii Auguſtino attribuerunt, dicendo, ſenſum illum in Janſenio intentum fuiſſe in libro illo, eſſeque proprium ac naturalem ſenſum verborum textuumque libri illius.

Porrò judicium iſtud ideò *criticum* vocatur, quia non pertinet ad quæſtionem Theologicam, quæ ex principiis revelatis definiri poſſit, ſed ad quæſtionem merè criticam & grammaticalem, quâ (incolumi fide, & illæſa Eccleſiæ diſciplina ad tranſmittendum fidei depoſitum neceſſariâ,) ſolùm quæritur quid hic vel

ille Scriptor privatus in libro suo intenderit, & sub qua grammaticali significatione certa quædam verba, verborumque contextus usurpaverit: quod profectò ex Theologiæ & fidei principiis definiri non potest, sed ex artis criticæ & grammaticæ regulis, attentis scilicet antecedentibus & consequentibus, attenta proinde variorum textuum inter se collatione, attento etiam scopo & fine Operis, attentis denique aliis circumstantiis loci, temporis, & opinionis quam adstruere voluit, sicut & contrariæ opinionis, quam voluit destruere In quibus indagandis quantò quis sagacior est, tantò in expiscanda secundùm artem criticam in libro obscuro Scriptoris mente magis idoneus est censendus. Itaque prorsus diversa sunt utriusque judicii principia. Ad judicandum namque quòd doctrina v. g. de gratia necessitante sit hæretica, comparanda est cum Scriptura & Traditione cui contradicit. Ad judicandum verò quòd doctrina illa contineatur in libro Jansenii, legendus examinandusque est liber ipsius.

Porrò prius judicium, quo sensus proprius & naturalis vocum ac textuum qualificatur, sive hæreticus vel Catholicus esse declaratur, ideò *Theologicum* dicitur, quia ex Theologiæ regulis, seu principiis, Scriptura scilicet & Traditione dependet, in iisque fundatur, pertinetque ad quæstionem juris divini & revelati, in qua Ecclesiæ promissa est infallibilis assistentia Spiritus Sancti ne erret. Et ideò hæreticus est quisquis Ecclesiæ de ejusmodi quæstionibus judicium in dubium revocat: tametsi secus dicendum sit de iis qui judicio ipsius corde & ore sese humiliter submittentes, in iis omnibus quæ pertinent ad quæstionem juris divini & revelati, justa de causa illud in dubium revocant in quæstione aliqua, non Theologica, sed critica & grammaticali, de qua suprà. Neque enim infallibilis assistentia Spiritus Sancti ad hoc Ecclesiæ promissa est, ut Spiritum accipiat grammaticum, aut criticum (sicut nec ut accipiat spiritum geometricum, historicum &c.) sed ut spiritum accipiat Theologicum seu *Ecclesiasticum*, & *Catholicum* (utpote solum ad salutem necessarium) pro definiendis proinde

proinde fidei quæſtionibus, non pro definiendis quæſtionibus criticis, grammaticis, ſicut nec geometricis, arithmeticis, hiſtoricis, medicis &c; nec per conſequens pro definiendis quæſtionibus, quas Theologi paſſim vocant facti humani non revelati, non juris divini nec facti revelati. Ad quod certo certiùs eſt non magis pertinere Romanam definitionem de proprio ac naturali ſenſu, quem Janſenius intendit in Auguſtino ſuo, quàm Concilii V. definitionem de proprio ac naturali ſenſu trium Capitulorum, vel definitionem Concilii VI. VII. & VIII. de ſenſu naturali litterarum Honorii &c. Per conſequens certo certius eſt, haud magis eſſe de fide, poſt definitionem Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. quòd ſenſus hæreticus quinque propoſitionum ſit ſenſus proprius verborum ac textuum libri Janſenii, quàm de fide ſit, poſt definitionem Concilii V. quòd ſenſus hæreticus Neſtorii ſit ſenſus proprius trium Capitulorum; vel hæreticus Monothelitarum ſenſus, poſt definitionem Concilii VI. VII. & VIII. ſit ſenſus proprius litterarum Honorii. Ex quo tandem manifeſte concluditur, haud magis eſſe de fide, quòd ſenſus hæreticus quinque propoſitionum fuerit à Janſenio intentus, vel quòd hæreſis earum extet in Auguſtino ipſius, quàm de fide ſit, quòd hæreticus Neſtorii ſenſus intentus fuerit à Scriptoribus trium Capitulorum, vel quòd Neſtoriana hæreſis extet in tribus Capitulis illis, & hæreſis Monothelitarum intenta fuerit ab Honorio, extetque in litteris ipſius.

SECTIO TERTIA.

Haretica est Jesuitica assertio, dicens hæresim esse, negare, vel in dubium revocare quinque famosas propositiones in Jansenii extare Augustino, hæreticasque esse in sensu à Jansenio intento.

PRobatur, quia assertio ista fidem catholicam subvertit, subverso ipsius fundamento dum novum fidei articulum procudit, de objecto non revelato, nec in Scriptura vel Traditione contento. Quod profectò est subvertere fundamentum, seu objectum formale, essentiamque fidei Catholicæ.

Unde cùm anno 1661. die 12. Decembris Pater Jacobus Coret (teste Platelio in Synopsi p. 3. c. 1. n. 137. edit 3.) in Parisiensi Collegio Claromontano Thesim propugnasset, concluf. 19. & 20. hæc verba complectentem; Christus *primùm Petro, deinde Successoribus. . . . eamdem, quam habebat ipse, infallibilitatem concessit. . . . . tum in quæstionibus juris, tum facti. Unde, post Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, fide divinâ credi potest, librum, cui titulus, Augustinus Jansenii, esse hæreticum, & quinque propositiones ex eo decerptas esse Jansenii, & in sensu Jansenii damnatas:* sicut credi potest & debet Verbum esse incarnatum. Novitatem inauditam tota exhorruit Gallia, eamque velut hæreticam, ac totius Christianæ Religionis fundamentum subvertentem, validè statim repressit liber inscriptus: *La nouvelle heresie des Jesuites, soutenue dans le College de Clermont.* Thesi quidem isti suppetias ferre conatus fuit P. Annatus; sed & ipse statim repressus fuit altero libro, cui titulus fuit: *Les Illusions des Jesuites dans leur écrit intitulé, Expositio Theseos.* Inconcussa proinde manserunt argumenta prioris libri, demonstrantia novam hæresim in Thesi memorata contineri.

Et ecce eam, magna cum audacia & temeritate, more suo, renovare conatur P. Stephani in libello citato,

to, ne *gry* quidem reſpondens ad argumenta illa. Renovarunt & non ita pridem variis libellis Jeſuitæ Belgii, Socios ſuos ſecuti, nedum Pariſienſes, ſed & Burdigalenſes, qui anno 1660. de fide eſſe aſſeruerunt, Eccleſiam non errare, dum definit facta ſingularia, v. g. talem librum doctrinam hæreticam continere, eſſeque pernicioſam hæreſim, aſſerere quòd errare poſſit in ejuſmodi definitione.

Ita ipſi in libello, cujus inſcriptio fuit: *Lettre d'un Theologien à un Officier du Parlement, touchant la queſtion, ſi le livre intitulé*, LUDOVICI MONTALTII EPISTOLÆ *&c. eſt heretique.*

Sed non ita Societas anno 1606. in libello, quem Paulo V. obtulit, uti viſum eſt in principio Artificii XIII. cujus concluſio fuit: *Antiqui Pontifices, cùm de privato aliquo Authore agunt. . . . nunquam ipſum hoc vel illud ſenſiſſe. . . . tamquam fidei dogma proponunt. . . . Quis igitur* velut hæreticum *damnet eum* (uti damnare audet P. Stephani) *qui ambigere ſe dicat, quid de propoſitis quæſtionibus exiſtimaverit* hic vel ille privatus? . . . . *Quamobrem facti, quod aiunt, humani quæſtio. . . . ſub fidei definitionem cadere nullo modo poteſt.* Hactenus Socii, qui ſi in hac opinione permanſiſſent atque ab Antiquitate in Novitatem non declinaſſent, *prætenſos Janſeniſtas*, de quibus ſuprà (neque enim aliter ipſos vocat Innocentius XII. in altero Brevi ſuo ad Epiſcopos Belgii) velut hæreticos inſipienti novitate traducendo, novam hæreſim, juſto Dei judicio ipſi non feciſſent, prout cum iis fecerunt, de quibus Gregorius Magnus l. 9. Regiſtri epiſt 30. dicit, multos eſſe qui *imperito zelo ſuccenduntur, & dum ſæpe quoſdam quaſi hæreticos inſectantur, hæreſim ipſi faciunt.* Enimvero dum novum fidei articulum de objecto, nec explicitè, nec implicitè in Scriptura, nec in Traditione contento, divinitùs proinde non revelato, procudere moliuntur, non ſolùm in fide novatores ſunt, ſed & fidem religionemque Chriſtianam (prout dixi) ſubverſo ipſius fundamento, ſubruunt. Quapropter *ab ipſis non purgari hæreſim, ſed fieri* idem Gregogius Magnus in perſimili Martiani-

ſtarum cauſa ait. Nullum quippe aliud eſt Chriſtianæ fidei ac Religionis fundamentum, nullum aliud fidei objectum formale, niſi verbum Dei ſcriptum, & traditum, quo nobis velut divinitùs revelata proponuntur, quæ à Chriſtianis credenda ſunt. Unde nec ullum aliud aſſignant Patres, & Theologi omnes: *Fides ex auditu* (inquit Apoſtolus) *auditus autem per verbum Chriſti.* Rom. 10. Iſtud proinde primum eſt fidei noſtræ fundamentum, formaleque & eſſentiale objectum. Iſtud eſt quod fidem noſtram divinam facit, & tam firmam, ut contra eam portæ inferi nequeant prævalere: quia ſcilicet ea quæ credimus; non propter verbum, ſeu teſtimonium hominis vel hominum credimus, ſed propter teſtimonium Dei, quod majus eſt, & nec falli, nec fallere poteſt. Et hoc eſt quod idem Apoſtolus repetit 1. Theſſal. 2. *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei.* Fidem itaque Chriſtianam verbo hominum non inniti, ſed ſoli verbo Dei ſcripto vel tradito, de fide eſt, primariumque fidei noſtræ caput & fundamentum. Intolerabilis proinde inſolentiæ atque arrogantiæ eſt, inter fidei articulos reponere, quod nec verbo Dei ſcripto, nec tradito continetur; nec minoris periculi aliquid revelatis fidei veritatibus addere, quàm ſubtrahere; cùm ſcriptum ſit Apoc. 22. *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus; ſi quis apoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Et ideo ſolas veritates verbo Dei ſcripto vel tradito revelatas ad fidem pertinere Patres omnes, cumque ipſis Theologi omnes tradunt, uti de Patribus oſtenſum eſt Artificio præcedenti. Eorum teſtimoniis ibi productis ſolum hic adjungo teſtimonium D. Hieronymi, qui in Pſ. 86. ad illa verba, *Dominus narrabit in Scripturis populorum: Videte* (inquit) *quomodo Scriptura Sancta Sacramentis plena eſt. . . . Videte quid dicat: qui fuerunt, non qui ſunt, ut exceptis Apoſtolis, quodcumque aliud poſtea dicetur, abſcindatur à Catalogo* credendorum, *non habeat poſtea*

poſtea credendorum *authoritatem. . . . Quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum & Principum eorum qui fuerunt, non qui ſunt in ea.* Cui concinens Chryſoſtomus in L. de adorando ſpiritu: *Si nobis annuntiatur aliquid, quod non contineatur in Evangelio, non credamus:* quia *ſicut Jeſus Chriſtus eſt legis & Prophetarum plenitudo; ita Spiritus Sanctus eſt plenitudo Evangelii.* Et, ut addit homil. 1. in epiſt. ad Tit. Evangelium complectitur omnia præſentia & futura, honorem, pietatem, fidem.

De Theologis idipſum oſtenditur, quia S. Thomas 2. 2. q. 1. a 1. *In fide* (inquit) *ſi conſideremus rationem formalem objecti, nihil aliud eſt quàm veritas prima: non enim fides aſſentit alicui, niſi quia à Deo revelatum. Unde ipſi veritati divinæ fides innititur tamquam medio.* Ita etiam S. Bonaventura in 3. diſt. 24. a. 1. q 2. & 12. Scotus infrà laudandus, Bradwardinus, Cajetanus, Medina, Arragonius, Wiggers, Malderus, Cardinalis Hoſius, Joannes Fiſcherus, Lenſæus, Bañez, Davenportus, & ceteri paſſim omnes, ne excepto quidem Molina Juvabit nonnullorum ex ipſis verba proferre.

Cardinalis Hoſius, Concilii Tridentini Præſes l. 4. de traditione, *Credere* (inquit) *nos oportet omni & ſoli verbo Dei.*

Lenſæus l. 6. de Eccleſ. c. 14. *Ratio formalis fidei eſt veritas divina, dum aliquid accipitur non ut verbum hominum, ſed, ſicut verè eſt, verbum Dei.*

Et infrà: *Motivum proprium & eſſentiale, & unica ratio formalis fidei eſt veritas divina, non doctrina, vel ſenſus Eccleſiæ.*

Joannes Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis, & Martyr ad art. 28. Lutheri dicit, ſe non credere, quòd Papa, etiam cum Concilio, poſſit pro arbitrio ſuo definire quidpiam ad fidem pertinere, quod antè non erat de fide. Quia, ut dicit Scotus, à voluntate ipſius non pendet, quòd aliquid ſit tale vel tale; ſed id ad fidem pertinere (Spiritu veritatis docente) declarat, quòd ad fidem antè pertinebat. Unde dum Innocentius III. cum toto Concilio definivit fide divina credendam panis Tranſlùb-

ſtantiationem, *iſta definitio* (ut optimè Scotus) *non ideo fuit vera, quia à Papa & Concilio definita; ſed ideo definita fuit, quia prius erat vera, & Spiritus veritatis Eccleſiam in iſta definitione errare non permiſit.*.

Bañez in 2. 2. poſteaquam q. 1. a. 1. concluſ. 5. diſp. 1. dixit, eſſe de fidei natura & eſſentia, quòd ſit innixa ſuper authoritate divinæ revelationis; Articulo 7. diſp. 2. inde concludit, eſſe errorem in fide, aſſerere, quòd à temporibus Apoſtolorum Eccleſia, vel Eccleſiæ Doctores plura credunt ad fidem pertinere, quàm Apoſtoli, & Scriptores Evangelici crediderunt. Et paulò poſt: Eccleſia nihil hactenus fide credendum fidelibus propoſuit, vel ut tale definivit, niſi quod divinis Scripturis vel in Traditionibus Apoſtolicis expreſſè vel virtualiter continetur. Et a. 10. diſp. 2. velut certam veritatem ſupponit, Summum Pontificem cum totâ Eccleſia condere non poſſe novum fidei articulum; ſicut inſtituere non poteſt novum Sacramentum.

Præclarè etiam Davenportus, eruditiſſimus Seraphici Ordinis S. Franciſci Theologus, in ſuo Syſtemate fidei, poſt adducta Chryſoſtomi verba ſuprà exhibita, ex iis concludit, Eccleſiam nihil proponere poſſe, tamquam de fide, niſi derivatum ex Evangelio, per illud intelligendo quidquid Apoſtoli docuerunt ex ore Jeſu Chriſti, ſive ſcriptum illud ſit, ſive non ſit. Quod confirmat ex Tertulliano, dicente, *nobis curioſitate non eſt opus poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cùm credimus* quidquid ex ore Chriſti Apoſtoli docuerunt, *nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim credimus, non eſſe quod ultra credamus.* Item ex Tridentino ſeſſ. 4. declarante, *fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ. . . . in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus contineri.* Unde Petrus Soto c. 7. *Apoſtoli* (inquit) *docuerunt affluentiſſimè ad plenitudinem uſque fidei audientium.* Et S. Epiphanius hæreſi 35. dicit veritatem divinam omni ex parte ſtabilitam per Scripturam & Traditionem, & iſtos eſſe terminos fidei noſtræ præſcriptos, fundamentaque poſita. Ex quibus Davenportus tandem conficit, quòd *Eccleſia infallibili-*

tas non ultra hos terminos protenditur. Quod in his duobus tantùm Spiritus Sancti illustratur præsentiâ. Denique quòd *Ecclesia non potest infallibiliter definire, nisi quæ Scriptura & Traditio certò & clarè proponunt.*

Propterea etiam S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. docet, quòd, quantum ad substantiam *articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem* (nec proinde per novam & novam Papæ aut Ecclesiæ definitionem) *quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè.* S. Thomam in eo reliqui sequuntur Theologi, non solùm Thomistæ, sed & Scotus, Bradwardinus &c.

Volupe erit legere ea quæ Davenportus habet c. 13. ubi, postquam dixit, bases, seu fundamenta, quibus innixæ sunt fidei conclusiones, alia non esse, nisi verbum Dei scriptum, vel traditione contentum, juxta communem doctrinam Theologorum; ex ea concludit, Ecclesiam nihil posse infallibiliter definire, nisi ex revelationibus illis antiquis, istamque esse doctrinam unanimem omnium penè Doctorum, veterum & modernorum. Juxta eam proinde nihil hodie declarari posse ad fidem pertinere, nisi realiter idem sit cum veritate olim Prophetis vel Apostolis revelata.

Et ideò, inquit, Scotus semper docet, Ecclesiam infallibiliter solùm definire posse conclusiones necessariò connexas cum articulis fidei. Si ergo cum iis solùm connexæ sint per accidens, vel ex iis solùm probabiliter deducantur, de fide esse non possunt, etiam post quamcumque definitionem. Neque enim per Concilia fieri potest, ut quod non est idem cum veritate olim revelata, nec cum ea necessariò connexum, cum ea sit idem, vel ex ea necessariò deducatur.

Hisce fundamentis semel stabilitis, manifestum est multa à nonnullis in vulgus spargi, velut ad fidem pertinentia (sub nescio quibus apparentiis, atque ex conjecturis subinde levissimis) quæ longissimè distant à sinceritate & claritate fidei Christianæ & Apostolicæ, quæque non parum obsunt verorum Religionis nostræ Mysteriorum firmitati. Utinam hoc (prosequitur Davenpor-

portus) seriò perpenderent moderni inventores, fabricatoresque novorum articulorum fidei!

Observatione dignissimum est testimonium istud Davenporti, & ideo non piguit illud adversariorum oculis subjicere, ut ea sedulò meditantes, animadvertant quàm immanè distet novitia doctrina ipsorum, ab ea quam Majores nostri, & Antiqui omnes tradiderunt, velut certum asserentes, de fide nihil esse posse, nisi fuerit divinitùs revelatum. Porrò nihil esse divinitùs revelatum, nisi quod est in Scriptura vel Traditione contentum. Omnis quippe divina revelatio, Ecclesiæ facta, verbo Dei continetur. Omne autem verbum Dei, vel scriptum est, vel traditum, & ab Apostolis ad nos continua successione per Sanctos Patres derivatum. Quidquid igitur extra & ultra hosce limites Ecclesia dicit & definit, verbum est ac definitio hominum; humanam proinde, non divinam habens authoritatem: cui certissimum est tantam non deberi submissionem, quanta divinæ debetur & redditur authoritati, utpote infinitè majori. Verbo namque, seu testimonio hominum, *testimonium Dei* infinitè *majus est*. Et quis Christianus, etiam hæreticus, non scandalizaretur, si Jesuitam audiret dicentem, æqualem submissionem reddi debere vel posse humano verbo, v. g. dicenti, *Quinque hæreses in Jansenii Augustino contineri* (quod profectò nusquam Scriptura vel Traditio explicitè vel implicitè dicit) ac verbo Dei, dicenti, *Verbum esse incarnatum?* Refugit animus hanc audire blasphemiam. Et ideò Claromontana Thesis, supra memorata, tantam in Gallia commotionem excitavit.

Non faciamus ergo verbum Papæ, vel Ecclesiæ, de non contentis in Scriptura vel Traditione, fide divinâ æquè credibile, ac verbum Dei scriptum vel traditum, ne facere videamur Papam, vel Ecclesiam, in definiendis rebus ejusmodi, æqualis cum Deo authoritatis, æqualem proinde Deo, cum gravi fidelium & hæreticorum scandalo; quorum conversionem mirum quantùm impediat novitius Jesuiticæ incudis fidei articulus. Rident quippe ac subsannant nos hæretici, cùm à Jesuitis

audiunt, ſeſe à Catholicis adhuc habendos hæreticos, etiamſi cùm Eccleſia Romano-Catholica primatum crederent Romani Pontificis, ſeptem Sacramenta, realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, Miſſæ Sacrificium, Purgatorium, ceteraque omnia, quæ Romano-Catholici credunt, niſi inſuper novum illum crederent articulum, nec in Scriptura, nec in Traditione contentum, nec ab ullo Concilio, imò nec ab ullo Romano Pontifice definitum, tamquàm fide divina credendum.

Romanis proinde Pontificibus, & Eccleſiæ injurius eſt novus articulus ille; quia ipſos & Eccleſiam hæreticorum ludibrio exponit, quaſi novos quotidie fabricent articulos fidei, & Papa, perinde ut Deus, inerrabilis ſit in decidendis factis humanis in dies emergentibus: cùm tamen Papa homo ſit, & Eccleſia congregatio hominum; ſitque *omnis homo mendax.*

Ad majorem proinde ſolius Societatis, non Dei gloriam, confictus eſt articulus ille, nullo Eccleſiæ bono; imò magno ipſius malo; cùm multorum utique fidelium perturbatione, innocentium perſecutione, ipſorum etiam hæreticorum ſcandalo; denique abſque utilitate ad finem, ob quem à Sociis confictus fuit. Nec enim probabilis eſt; utpote nullo gravi innixus fundamento, certaque contra ſe habens argumenta. Enimvero totum unicumque fundamentum ipſius Molina *Comment. in* 1. *p. q.* 1. *a.* 28. *diſp.* 2. funditùs evertit, dum cum communi ſententia Theologorum aſſerit, auxilium, quo Spiritus Sanctus aſſiſtit Eccleſiæ Catholicæ, ſummoque Pontifici Capiti ejus, non eſſe ut efficiat eſſe de fide, quod priùs non erat de fide, ſed ſolùm ut non erret in declarandis iis, quæ ad fidem pertinent mediatè vel immediatè (ad quam certè non pertinet declaratio, aſſerens Titium in tali libro, tali ſenſu, hoc vel illud docuiſſe) quare ſicut nulla eſt in Eccleſia poteſtas, nec authoritas efficiendi aliquid eſſe de fide, quod antè non erat de fide .... Sic (inquit Molina) nec faciendi Scripturam Sacram, vel librum aliquem Canonicum; nec, quod inde conſequens eſt, definitionem ullam

ullam fide divina credendam. Ecce Moliniſtarum Patriarcha illud ipſum principium in pulverem redigit, ex quo ipſius aliàs Diſcipuli novitium ſuum fidei articulum, novitiamque hæreſim comminiſcuntur, principiumque illud in pulverem redigendo, demonſtrat probabilem non eſſe articulum illum. Et, ut probabilis eſſet, fide divina credibilis non eſſet. Quia nihil fide divina credibile eſt, ſi non ſit certò, ſed duntaxat probabiliter revelatum. Innocentius quippe XI. hanc cum Eccleſia univerſa damnavit propoſitionem 21. inter 65. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis: imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* Qua in propoſitione pluſquàm damnata eſt novitia hæreſis, nuper à Jeſuitis excogitata, adverſus eos qui novum illum fidei articulum non credunt. Neque enim hæreticus eſſe poteſt, qui credere non vult articulum, quem fide divina credere nec tenetur, nec poteſt. Imo hæreticus eſt, qui veraciter ac ſincerè profitenti, ſe credere omnia, quæ Eccleſia credenda proponit, non credit, niſi & novum iſtum articulum credat, ipſumque propterea de hæreſi ſuſpectum habet, & illam ipſius profeſſionem pro ſimulata haberi vult. Quia ut Gregorius Magnus ait (*l. 5. epiſt. 16*). *veraciter confitenti non credere, non eſt hæreſim purgare, ſed facere.* Et quid hoc aliud eſt niſi Eccleſiam perturbare? Cùm teſte eodem Sanctiſſimo Pontifice: (*ibidem*) *ſi credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur... Nam cùm oris confeſſionem fieri clamet Apoſtolus ad ſalutem, qui rectæ profeſſioni credere non conſentit, in eo quòd alium improbat, ſe accuſat..... Nam nullus ambigit infidelitatem eſſe, fidem fidelibus non habere. Hoc ergo, Frater cariſſime, ſubtiliter perpendamus* (*ait ibidem epiſt. 15.*) & *ſub prætextu hæreſis affligi quemquam veraciter profitentem fidem catholicam non ſinamus: ne, quod abſit, hæreſim fieri ſub emendationis magis ſpecie permittamus.*

Dum ergo Socii, ſub commentitio prætextu hæreſis, viros integerrimos perſequuntur, dum ipſorum exiſti-

ſtimationem quoquo modo ſtudent evertere, ſuam ſe evertere, nocendi cupiditate, non vident, ait D. Proſper (*in præfat. Reſponſ. ad Capitul. object. Vincent.*) *Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt; aſſerentes, talia* in virorum innocentium *eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo.*

Hoc eſt, Beatiſſime Pater, quod à Jeſuitis pleriſque fieri, fideles deplorant; verè tamen ab ipſis fieri demonſtrant plerique libri ac libelli ipſorum. Et quis neſcit, illos etiam, velut hæreticos, vel de hæreſi atque in Eccleſiam rebellione ſuſpectos apud populum, & apud Poteſtates, Eccleſiaſticas & ſæculares, apud ipſam quoque S. Sedem traduci, qui quinque damnatarum ab Eccleſia propoſitionum hæreſim, verè hæreſim eſſe, toto corde & ore cum Eccleſia credentes, eaſque velut hæreticas palam deteſtantes, de earum duntaxat attributione ad librum Janſenii, ſive de facto duntaxat Janſeniano, certiſſimè non revelato, poſt Innocentii X. Alexandri VII. & Sanctitatis Tuæ Conſtitutiones, bona fide adhuc dubitant, ob viſam ſibi graviſſimam de facto illo dubitandi rationem; parati interim dubium deponere, ſi de facti illius veritate, *ratione duce* doceantur, prout Orthodoxos trium Capitulorum, poſt Concilii V. definitionem bona fide defenſores, Pelagium II. & Gregorium Magnum olim docuiſſe, ex variis utriuſque epiſtolis certo certius eſt.

Oblatrant quidem Jeſuitæ 1. bonam non eſſe illorum Janſenii defenſorum fidem, nec ſinceram, ſed ſimulatam profeſſionem, quâ palam profitentur, toto ſe corde credere quinque damnatas propoſitiones hæreticas eſſe, ſeſeque eas velut hæreticas cum Eccleſia deteſtari, cùm tamen aliud in corde gerant (voluntatem ſcilicet eas opportuno tempore, velut Catholicas, defenſandi) aliud ore profiteantur.

Verùm injuſta & calumnioſa eſt criminatio iſta, niſi manifeſtis eam probent indiciis: aliàs namque *conviciante magis levitate, quàm convincente veritate hæc dici,*

dici, quis mediocriter sapiens ignoret? ait Augustinus *l. de unit. Eccles. c. 5.* Nullo vero manifesto, imo ne probabili quidem indicio criminationem istam probant nec probare possunt Jesuitæ, nec de ea vel unum ex ipsis, à tot annis quibus durat contentio ista, legitimè convincere. De conviciante ergo maledicentia, & sycophantia Augustini judicio convincuntur.

2. Oblaterant, ipsis, utpote malignam habentibus in corde suo intentionem, hæresim in silentio fovendi, adhibendam non esse fidem, dum eam ore profitentur. Sed cùm malignam illam intentionem nullo unquam exteriori signo manifestarint, nec quidquam exteriùs significasse probentur, quod cum recta & orthodoxa doctrina, veracique ipsius professione conciliari non possit; nedum temerarii, sed & maligni accusatores judices sunt fratrum suorum, dum ipsis malignam intentionem illam imponunt, de eaque ipsos apud populum & Potestates criminantur. Sufficere namque apud homines debet exterior ipsorum, atque ex omni parte constans rectæ & Catholicæ fidei professio, quam absque ambiguitate ulla palam faciunt, semperque fecerunt: cùm Ecclesia nullum habere queat certius fidei interioris argumentum, nec de internis aliter quàm per externa judicare posset, nec aliter ea cognoscere: solus namque Deus scrutatur secreta cordium. Meritò proinde Gregorius suprà dicit, quòd *cùm ore confessionem fieri clamet Apostolus ad salutem, qui rectæ professioni credere non consentit, in eo quòd alium improbat, se accusat. Quia si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur.* Lex proinde divina violatur, & ordo Ecclesiasticis in judiciis servandus perturbatur, si palam & apertè profitentes, quinque damnatas propositiones sincerè, sive corde & ore à se condemnari, tametsi nullum exterius signum prodant sinceritati illi contrarium, in simulatæ professionis suspicionem vocentur, vel aliud animo occultum gerere judicentur, quàm quod ore profitentur. Sic enim nullus, quàmlibet innocens, tutus erit ab hujusmodi suspicionibus & judiciis.

Ne-

Neque ad id judicandum, vel ſuſpicandum, ſigna quælibet externa ſufficiunt, quæ ſeorſim ac ſola, ſuſpicionem aliquam meritò movere poſſent, ſi cum aliis ſignis conjungantur, quæ ſuſpicionem omnem conjunctim amoveant. Tametſi enim quis audiens hominem quempiam, Catholicam idem profitentem, ne ſemel quidem à pluribus annis Miſſæ ſacrificio interfuiſſe, ipſum meritò habere poſſet ſuſpectum, niſi ſuſpicionem ſigna alia eliderent, ſicut ſi ſimul audiret, hominem illum, toto illo tempore graviſſimo morbo afflictum fuiſſe.

SECTIO QUARTA.

Ex perpetuo Eccleſiæ uſu & ſenſu exſibilatur conficta à Jeſuitis hæreſis.

ISte eſt ſtatus Janſeniani facti defenſorum, Beatiſſime Pater: quinque damnatas à Sanctitate veſtra propoſitiones, à ſe velut hæreticas, corde & ore damnari ac rejici, ſemperque damnatas & rejectas fuiſſe, ſincerè profitentur, nec ullum ſimulatæ damnationis ſignum externum unquam dediſſe probantur. Ipſis ergo credere jubet lex divina, jubet Eccleſiaſticorum judiciorum ordo, jubet cum Apoſtolo Gregorius Magnus, jubet recta ratio.

Nec ob id ſolùm pro hæreticis, vel de hæreſi ſuſpectis, malignamque gerentibus in corde ſuo intentionem, hæreſim in ſilentio fovendi, vel pro Eccleſiæ rebellibus haberi poſſunt, quod poſt Sanctitatis Veſtræ, ſuorumque Prædeceſſorum Alexandri VII. & Innocentii X. definitionem, propoſitiones illas Janſenii libro attribuentem, ex lectura diligentiſſima libri illius juſtam exiſtimant ſe habere cauſam, de iſtius attributionis veritate dubitandi, vel etiam judicandi quòd hæreticus propoſitionum illarum ſenſus in libro illo non contineatur, ſed doctrina illius in ſenſu Catholico ab authore intellecta fuerit & explicata. Nec librum aliter ipſi defendant niſi taliter intellectum & explicatum. Eſt enim contra perpetuum Eccleſiæ ſenſum & uſum, tales

les ob id solum habere pro hæreticis, vel de hæresi suspectis &c. uti proximè videbitur. Est insuper contra rectam rationem, cùm id non sit, nec ab Ecclesia hactenus habitum sit signum sufficiens ad aliquem dē hæresi suspectandum &c. prout demonstrare videtur modus quo Ecclesia perpetuò se gessit, atque etiamnum se gerit erga eos, qui post fallibilem Ecclesiæ definitionem de factis, facto Janseniano simillimis, videlicet Origenis, Marcelli Ancyrani, Ibæ, Theodoreti, Honorii, Joachimi Abbatis, aliisque à Facundo Hermianensi Episcopo relatis, de factorum illorum veritate, licèt ab Ecclesia definita, non solùm dubitarunt, sed & Ecclesiam in iis definiendis errasse crediderunt. Quâ namque justitia, qua ratione facti Jansseniani bona fide defensores pro hæreticis, vel de hæresi suspectis &c. habentur potius quàm defensores factorum illorum? Aliam non adferunt, nec adferre possunt Jesuitæ, paucique alii cum ipsis fœderati, nisi quòd factum Jansenii doctrinale sit, seu dogmaticum, ad partem proinde dogmatis fidei pertinens, post Ecclesiæ definitionem, utpote cum ipso inseparabiliter adeò conjunctum, ut qui non credit unum, non credat & alterum. Atqui factum Jansenii, licèt doctrinale, ad partem dogmatis fidei, post fallibilem Ecclesiæ definitionem haud magis pertinet, nec cum fidei dogmate magis est inseparabiliter conjunctum, quàm facta illa; de quorum veritate post Ecclesiæ definitionem dubitantes, vel eorum definitioni judicium suum cœcâ obedientiâ non submittentes, Ecclesia hactenus ob id solùm non habuit pro hæreticis, vel de hæresi suspectis, nec pro Ecclesiæ rebellibus, vel malignam in corde suo hæresim fovendi intentionem contegentibus, nec pro hominibus Ecclesiæ de fide definitioni sese opponentibus, uti per singula facta illa discurrendo videtur posse demonstrari. Nulla ergo justitia, nulla ratio Jesuitis permittit, facti Jansseniani, factis illis simillimi, bona fide potiùs quàm factorum illorum defensores pro talibus habere, & apud populum atque Potestates diffamare.

SUB-

SUBSECTIO PRIMA.

Commentitia illa hæresis confutatur ex sensu & usu Ecclesiæ circa defensores facti Origenis.

ORigenem, ipsiusque libros, velut hæresim multiplicem continentes, publicâ sententiâ primum damnavit proprius Episcopus ipsius Demetrius Alexandrinus, prout Hieronymus scribit *l.* 2. *adverſ. Rufin.* Deinde Theophilus, Episcopus & ipse Alexandrinus, collecta ad id Episcoporum Ægypti ac Libyæ Synodo, eosdem libros & Origenis sectatores anathemate damnavit, sub annum Christi 399. Et eodem anno Anastasius Papa, prout idem Hieronymus scribit, *epist.* 71. & 78: Concilium etiam generale V. in eo à Concilio generali VI. sicut & à Vigilio, Pelagio I. & II. atque à Gregorio Magno approbatum, Origenem, & Origenis libros, velut hæresim non unam continentes, anathemate percussit.

Indubitatum nihilominus est, Origenem, & libros ipsius, post tot condemnationes, à plerisque Sanctis & Catholicis Viris fuisse defensos, & catholicè intellectos. Et libros quidem ipsius, ante Concilium generale V. defenderunt S. Posthumianus, Didymus Alexandrinus, Pamphilus Martyr, Eusebius Cæsariensis, Rufinus, Joannes Hierosolymitanus &c; post istud verò Concilium Joannes Picus Comes Mirandulanus, Jacobus Merlinus (Pœnitentiarius & Doctor Parisiensis) Genebrardus, Sixtus Senensis, atque ex Societate Stephanus Binetus, Petrus Haloixius &c. Qui non solùm contenderunt, damnatos errores Origenis Operibus ab hæreticis assutos, ideóque Origeni perperam attributos fuisse, tametsi meritò damnatos; sed & plerique ex ipsis dixerunt ea quæ ab hæreticis assuta non fuerunt, imo verè ab Origene scripta, Catholico sensu in bonam partem accipi posse ac debere.

Ita imprimis Didymus, utpote de quo Hieronymus *l.* 2. *adverſ. Rufin. to.* 4. *nova edit. pag.* 409. scribit,

bit, quòd *in ipsis Periarchon, quos interpretatus est, libris, breves dictavit commentarios, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt; sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur; & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur*, non obstante Alexandri Episcopi sui in contrarium definitione. Et epist. 41. ad Pammach. & Ocean. *sic ejus errores nititur excusare, ut tamen* (libros) *illius esse fateatur; non scriptum negans., sed sensum scribentis edisserens.* Nihilominus, etsi unus inter alios Origenis errores fuerit, quòd hæreticè de Trinitate senserit, prout idem Hieronymus tradit: Didymum tamen, qui Origenis de Trinitate sententiam catholicè intellexit, sicque intellectam defendit, Hieronymus pro hæretico, vel de hæresi suspecto non habuit, imò pro Catholico; utpote de quo *Apolog. 2. contra Rufin. c. 4.* dicit: *Quid respondebis pro Didymo, qui certè in Trinitate Catholicus est?* Igitur Hieronymi judicio libri alicujus error, seu hæresis, eo ipso non defenditur, quo liber damnatus catholicè intellectus defenditur. Ista proinde duo separabilia Hieronymus manifestè censuit: sicut & Augustinus in lib. de hæresibus, *hæresi* 43. ubi etiam Origenis factum à dogmate distinguit, separatque, dum Origenis sectatores à defensoribus distinguit; posteriores, tanquam Catholicos, nullo errore conspersos agnoscens: *Origeniani alii, qui & Adamantii. . . . . sectatores. . . . . Christum & Spiritum Sanctum creaturam dicunt. . . . . qui eum defendunt, unius ejusdemque substantiæ esse dicunt, docuisse, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum* &c.

Eodem modo Pamphilus Martyr in sua pro Origene Apologia, sensum ipsius catholicè intellectum defendit, iis ipsis in textibus, in quibus damnatus erat, damnatores redarguens, qui, *Sive per imperitiam (quia non valent sensus ejus altitudinem contueri) sive pravitate mentis dicta ejus incusant.* Nec tamen à quoquam habitus fuit hæreticus, vel de hæresi suspectus, magis quàm Didymus.

Et illi quidem Origenem defenderunt, catholicéque in-

intellexerunt, priusquam omnium Ecclesiarum consensu doctrina Origenis foret condemnata; post Ecclesiæ verò totius, & Concilii V. definitionem, quâ damnata fuit, & Origeni attributa, sæculo XV. Joannes Picus, Comes Mirandulanus, pietate, scientia & sanguine illustris, Origenis salutem, sanamque doctrinam aliquot propositionibus sustinuit; quas quidem Innocentius VIII. damnavit; sed visâ & examinatâ Pici adversùs damnationem Apologiâ, visis quoque, examinatisque propositionum illarum, quas fecerat, explicationibus, eas (sibi oblatas) Alexander VI. successor ipsius laudavit, propositionesque sic explicatas ab omni censura immunes, ipsum verò Picum Brevi Apostolico 18. Junii 1493. ad ipsum dato declaravit, *Nullam omnino propter præmissa incurrisse existimationis notam, & propter editionem declarationum, & Apologetici hujusmodi, aut aliàs, nullam hæresis speciem, vel suspicionem, aut notam sinistram incurrisse.* Tametsi ea in Apologia Origenis scripta, à tot Pontificibus, Episcopis & Conciliis damnata, sic vindicaverit, ut Ecclesiæ plurimùm interesse demonstraverit, tanti viri nomen & patrocinium errori subducere. Nec hoc esse contra primariam intentionem Conciliorum & Pontificum, qui Origenis libros damnarunt. *Fuisse enim illorum propositum, hæreses illas pessimas, & venenata dogmata, cujuscumque essent, extirpare de mundo: quia hoc ad fidem spectabat, ad religionis confirmationem, & stabilimentum Ecclesiæ. Origenis autem illa esse (ut credebatur à multis) aut non esse, parum curaturos fuisse religiosissimos Pontifices. Quin imò optabile fortè illis, & acceptissimum fuisse futurum, si certis & validis probari potuisset argumentis, hæreticas illas opiniones non fuisse ab Origene creditas. Quia pro fide hoc faceret, non contra fidem; contra hæreticos, non pro hæreticis: qui non parum tanti viri, & à Catholicis tantùm laudati, testimonio imitebantur, & errorem suum illius authoritate defendebant. Quapropter pugnaturum Pamphili* Martyris pro Origenis defensione *librum contra Theo-*

phyli Epiſcopi, & Papæ Anaſtaſii epiſtolas, Origenis librum damnantes, *ſi in illo hæreſes, quas illa accuſabant, excuſarentur. Non autèm ſi id totis in eo viribus conituntur, ut hæretici illarum aſſertores tam bono Patrono priventur, quem ſi illæ proſequuntur epiſtolæ, certum eſt quòd nonniſi illarum creditum opinionum hæreſiarcham proſequantur.*

Verba iſta conſiderationè digna videntur, Beatiſſime Pater; ut pote quæ Alexander VI. probavit, laudavitque. Ex iis porro conſequens videtur, ſicut libri Origenis, ſic & Janſenii bona fide defenſores, *pro fide facere, non contra fidem; contra hæreticos, non pro hæreticis, qui non parum tanti* viri, Iprenſis utique Epiſcopi, à Catholicis tantopere laudati teſtimonio (prout à Jeſuitis intelligitur) innituntur, erroreſque ſuos illius authoritate defendunt. Peccarent quidem, & contra fidem peccarent iſti defenſores (quos *prætenſos Janſeniſtas* Innocentius XII prædeceſſor Tuus vocat in Breviad Epiſcopos Belgii die 26. Novembris 1696. ſi in damnato Janſenii libro hæreſes ab Eccleſia damnatas tuerentur; non ita (ait in ſimili Picus Mirandulanus) *ſi id ſolum totis viribus conituntur, ut illarum aſſertores tam bono Patrono priventur.* Enimverò ſi damnata Origenis ſcripta à Pamphilo Martyre, à Didymo, à Pico Mirandulano &c, illæſa fide Catholica potuerint defenſari; non apparet cur idem dici nequeat de ſcriptis Janſenii. Et ſi damnati ſub Origenis nomine errores ſic ab Origenis defenſoribus cum Eccleſia valeant condemnari, ut illis non defenſis ſolus Origenis ſenſus, catholicè intellectus, à damnato proinde errorum illorum ſenſu diverſus, bona fide defendatur; quid ni ſimiliter &c? Quod enim de neceſſitate ſalutis ſemper credendum non ſit Eccleſiæ, propoſitiones ex talis vel talis authoris libro excerptas definienti, Picus Mirandulanus ibidem (Alexandro VI. approbante) ſic oſtendit: *Si verum eſt quod Thomas in Quodlibetis dicit, & bona dicit Theologia, non obligari nos de neceſſitate ſalutis credere. . . . . Eccleſiæ, niſi in his quæ ad ſubſtantiam fidei pertinent; adjunxerimuſque iſta ad ſubſtantiam fidei nihil pertinere, utrùm*

utrùm illarum hæreseon author fuerit Origenes, vel Jansenius, *aut aliquis alius, modò hæreses illas, hæreses esse, id est impia* corde & ore *fateamur dogmata, videtur sequi, quòd non teneatur homo fidelis & verè Christianus, de necessitate salutis, in hac quæstione potiùs Hieronymo, etiam dato quòd ad ipsum magis declinet Ecclesia, quàm. . . . . Didymo. . . . Rufino &c. credere.* Et post probatum septimum, quod sibi proposuerat explicandum, utique *non obligari in ista materia credulitatem nostram determinatione Ecclesiæ*, sic tandem concludit: *Videant isti* qui nos accusant, *& caveant ne nova credenda fidelibus pro sua authoritate instituant* (prout Socii hodie faciunt) *audiant illam prohibitionem Domini:* „ Non addetis ad verbum, quod ego „ loquor vobis. „ *Quod dictum non solùm damnat istos, qui authoritate sua nova credenda prioribus superadduut, sed qui etiam Catholicam veritatem pro hæretica refellunt.* Hactenus Picus Mirandulanus, tam catholicè, ut *nullam hæresis suspicionem, aut notam sinistram incurrerit*, prout Alexander VI. declaravit.

Et ideo Origenis libros, post Picum Mirandulanum, absque ulla etiam siniſtra nota, vel suspicione (utpote quam nullus de Ecclesia ipsis eapropter inurit, nec inurere potest, magis quàm Pico Mirandulano) defendunt Jacobus Merlinus, Genebrardus, Sixtus Senensis, & Jesuitæ plures, ut suprà dixi. Enimverò aliud est Origenis defensorem esse, quòd Catholicus putetur, seu catholicè intellexisse ea quæ scripsit; aliud errorum Origeni ab Ecclesia attributorum fautorem esse, vel sectatorem, prout observarunt Augustinus suprà & Facundus infrà laudandus.

SUBSECTIO SECUNDA.

Eadem confutatur ex sensu & usu Ecclesiæ de iis qui Marcellum Ancyranum damnant contra definitionem Concilii Sardicensis.

MArcellum Ancyræ Episcopum, libroſque ipsius, velut hæresim continentes, in Concilio generali Sardicensi Eusebius accusaverat. Sed accusationem (post multam discussionem) Sancta Synodus rejecerat, Marcellique fidem, solemni sententia orthodoxam pronuntiaverat in epistola sua Synodica dicens: *Deprehensa est Eusebii dolosa res... Recitatis illis quæ antecederent & consequerentur in illis quæstionibus, inventa est bona & recta fides illius viri.* Eadem fuerat de ipso sententia Julii I. Papæ, ad quam Marcellus fidei suæ professionem miserat. Tàm solemni nihilominus Ecclesiæ judicio Basilius Magnus cœco more submittendum non censuit privatum judicium suum, imò ei contradicendum, eò quòd ex lectura librorum Marcelli, hæresis ipsius videretur ipsi manifesta. Quapropter epist. 52. 74. 78. Marcellum velut hæreticum Sabellianum habuit: quia, ut ait epist. 52. ad S. Anastasium, *hujus experimentum ac demonstrationem reconditi apud me iniquæ syngraphæ libri continent.* Et ideo *culpandi veniunt* (inquit) *qui ab initio illum per ignorantiam veritatis in Ecclesiasticam etiam communionem receperint*, prout receperunt Julius Papa, & Patres Concilii Sardicensis. Eapropter ait, & sibi, & aliis necessarium videri, ut Marcelli condemnatio à Legatis Romanæ sedis exigatur, id est ut ab ipsis procuretur judicii à Julio I. & Concilio Sardicensi prolati revocatio.

Nec dubium, Basilium ibi loqui de Marcelli libro adversus Asterium, cui titulus, *De subjectione* de eodem proinde libro quem examinarunt probaruntque Patres Sardicenses, prout observat eruditissimus Author Benedictinus edit. nov. vitæ S. Athanasii, in Collect. nova

Pa-

Patrum Græcor. to. 2. diatr. de cauſa Marcel. Ancyr. c 4 pag. 61.

Indubitatum proinde, Baſilii Magni judicio, hæreſim contineri in libro, in quo nonniſi fidem orthodoxam contineri pronuntiaverat Concilium Sardicenſe: definitioni proinde Concilii Sardicenſis, Juliique Papæ, Baſilii Magni judicio, quoad factum iſtud, neceſſariò credendum non fuiſſe. Nec minus indubitatum, eandem fuiſſe ſententiam Chryſoſtomi *homil. 2. in epiſt. ad Hebr.* Theodoreti *l. 1. hæret. fabul. c. 10.* Marii Victorini *l. 1. adverſ. Arium*, Marii Mercatoris *ad Anath. 12. Neſtorii.* Et ipſi namque contra definitionem Julii I. & Sardicenſis Concilii, Marcellum vel Photino junxerunt (cujus Magiſter fuit) vel Sabellio.

Quid verò Epiphanius? Hæreſi 72. de Marcelli doctrina varias opiniones fuiſſe teſtatur, in eam ipſe partem viſus magis propendiſſe, quæ Marcelli doctrinam hæreticam dicit; tametſi poſt omnia rem hanc dubiam & ambiguam cenſuerit; omne proinde dubium per Julii & Concilii Sardicenſis definitionem non fuiſſe ſublatum: ſic enim concludit: *Ceterum an libellus iſte rectè ſe habeat, nec ne, legant qui poſſunt, & qui exactam eorum quæ in eo ſcripta ſunt, intelligentiam habere poſſunt, ecquid in eo vitii ſit, judicent*: Sic profectò non loqueretur, ſi Julii I. & Sardicenſis Concilii definitioni neceſſariò cenſeret acquieſcendum) *nihil enim præterquam quod ſcimus, & ad nos perlatum eſt, aſſeverare volumus. . . utcumque ſe res habeat, hæc ſunt quæ de Marcello comparare potuimus.*

Inter criticos itaque, non obſtante illa definitione, de Marcelli fide orthodoxa diſputatur, & ideo Natalis Alexander *Hiſtor. Eccl. ſæculo IV. diſſert.* 30. quaſi de re controverſa quærit, *Utrùm hæreticus revera fuerit Marcellus Ancyranus, proindeque, utrùm Synodus Sardicenſis, poſt Julium Romanum Pontificem, erraverit in facto, cùm illius fidei teſtimonium perhibuit, illumque ab hæreſeos nota abſolvit?* Et ipſe quidem cum Concilio Sardic. & Julio Papa Marcelli fidem orthodoxam fuiſſe cenſet; fatetur tamen alios contra ſentire, atque imprimis Baro-

nium ad annum Christi 374. nec unquam Theologis & Criticis negatam fuisse contra Romani Pontificis & Concilii Sardicensis de Marcello, ejusque scriptis judicium sentiendi libertatem. neque ad criticas de ejusmodi factis quæstiones pertinere promissum speciale Spiritus Sancti auxilium; nec sola vi Ecclesiasticæ potestatis post fallibilem factorum ejusmodi definitionem, induci posse credulæ obedientiæ necessitatem; cùm idoneæ suppetunt rationes de definitionis veritate dubitandi, vel etiam ab ea dissentiendi.

Unde etiam doctissimus è Societate Theologus, Petavius, assertæ de Marcello ejúsque libro definitioni licitum sibi censuit dissentire l. 1. de pœnit. c. 2. n. 4. ubi sic loquitur: *Eusebius Cæsariensis contra hunc Marcellum quinque libros scripsit, ex quibus, lociſque Marcelli quos profert, colligere est, in gravi eum errore versatum esse. Verùm histrioniam tanta arte fecit, itaque dissimulavit, ut acutissimos fefellerit, fucumque fecerit Pontificibus maximis, Episcopis, & universo Concilio generali, à quibus impetravit approbationem libri, in quo erant errores contra fidem, qui postea rejecti sunt, atque ab Ecclesia damnati* Libro etiam 1. de Trinit. c. 13. n. 2. manifestè supponit, Patres Sardicenses circa propriam significationem textus Marcelli Ancyrani deceptos fuisse. Nullus tamen ipsorum credit Sabelli vel Photini errores à Julio Papa, & Concilio Sardicensi approbatos fuisse, approbatis Marcelli libris, catholicè intellectis. Omnes ergo isti Marcelli factum à fidei dogmate separarunt, Ecclesiæque definitioni, absque ulla siniſtra suspicione, contradixerunt, vel eam in dubium revocarunt.

SUBSECTIO TERTIA.

De defensoribus facti Iba.

COndemnatis in Concilio Ephesino & Calcedonensi impiis Nestorii erroribus, tempore Justiniani Imperatoris controversum fuit, utrùm errores illi in tribus

bus Capitulis continerentur, id est in Theodori Mopsuestenſis Epiſcopi libris, in Ibæ Epiſtola ad Marim Perſam, & in Theodoreti ſcriptis adverſus S. Cyrillum. Anno 553. Concilium generale V. à Concilio generali VI. & VII. nec non à tribus Romanis Pontificibus approbatum, definivit quòd ſic; ideóque libros illos & ſcripta, eorumque defenſores anathematizavit.

Iſti tamen definitioni acquieſcendum non cenſuerunt, nec acquieverunt. Liberatus Diaconus Carthaginenſis, Facundus Epiſcopus Hermianenſis, nec reliqui Epiſcopi Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Lombardiæ, Hiberniæ, Liguriæ, Iſtriæ &c; ſicut nec Childebertus Galliæ Rex, nec Theodelinda Longobardorum Regina piiſſima, fideique Catholicæ addictiſſima, nec S. Columbanus, nec S. Secundinus, nec S. Iſidorus Hiſpalenſis (de quibus infrà) ſed Concilium iſtud, velut Calcedonenſi contrarium, rejecerunt: nec judicium ſuum ſubmiſerunt judicio Pelagii I. nec Pelagii II. nec Gregorii Magni, ſolemniter declarantium non eſſe contrarium.

Non ideo tamen à Pelagio I. nec à Pelagio II. nec à Gregorio Magno habiti ſunt pro hæreticis, vel de hæreſi ſuſpectis, nec pro filiis iniquitatis, malignam in corde ſuo hæreſim fovendi intentionem habentibus, nec pro Eccleſiæ rebellibus, ſed pro catholicis & filiis obedientibus (exceptis ſaltem quoad hoc poſtremum ſchiſmaticis) eò quòd Concilii Calcedonenſis fidem profitentes Neſtorianam hæreſim palam deteſtarentur, nec proinde errarent in fide, ſed in facto duntaxat quoad Ibam & Theodoretum obſcuro, à fide ſeparabili, prout laudati Romani Pontifices faſſi ſunt. Quomodo etiam S. Iſidorus in facto Theodori Mopſueſteni erravit, dum ipſum, & libros ipſius, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum laudavit.

Et quàm multi etiamnum Theologi, apprimè Catholici, Ibam (ſicut & Theodoretum, de quo proximè) contra memoratam Concilii V. definitionem, & Honorium Papam, contra definitionem Concilii VI. defendunt, ut Baronius, Bellarminus, Pallavicinus, Sirmon-

dus, Petavius, & frequenter Sorbonici in Theſibus ſuis. Ipſos tamen Eccleſia nec pro hæreticis habet, nec pro ſuſpectis de hæreſi, nec pro Eccleſiæ rebellibus, ſed pro Catholicis, & filiis obedientibus, etiamſi judicium ſuum nec Concilii V. nec Concilii VI. &c. judicio ſubmittant, in re obſcura & controverſa, ad fidem non pertinente, ſed à fidei dogmate ſeparabili.

SUBSECTIO QUARTA.

De defenſoribus Theodoreti & Joannis Antiocheni.

ANte Concilium Calcedonenſe Theodoretus de Neſtorianiſmo non immeritò ſuſpectus fuit, tum ob duriſſimas expreſſiones, Neſtorianiſmum ſapientes, nec illum in contextu ſatis apertè purgantes. Tum ob nimiam erga Neſtorii perſonam affectionem, atque à S. Cyrillo ipſius debellatore abalienationem, quæ animum ipſius adeò præoccuparunt, ut licèt damnatam Neſtorii hæreſim non probaret, ſed improbaret (Beatiſſimam quippe Virginem verè dei Matrem eſſe profitebatur) id à Neſtorio negatum non credens, ſed dicta & ſcripta ipſius catholicè intelligens, ipſum innocentem, atque injuſtè a Concilio Epheſino depoſitum diu exiſtimavit (uti conſtat ex epiſtolis ipſius ad Neſtorium, ad Andream Samoſatenum, & ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum, quæ videri poſſunt apud Baluzium in nova collect. Conciliorum in Synodico pag. 766. & 769) Cyrilli verò anathematiſmos, à Concilio Epheſino approbatos, hæreſim Apollinaris continere, ipſum proinde Cyrillum per errorem facti Apollinariſtam credidit: meritò proinde à Concilio Calcedonenſi anathema clarè dicere juſſus fuit Neſtorio & impietatibus ipſius (tametſi juſſus non fuerit retractare quæ adverſus laudatos anathematiſmos ſcripſerat) juſta, inquam, de cauſa: quia omnis de hæreſi meritò ſuſpectus (qualis Theodoretus erat judicio Concilii Ephelini) ſe purgare tenetur, hæreſim, & notorium hæreſeos Authorem condemnando. Impia namque Neſtorii dogmata, *erant* mi-

minimè obscura, ut quæ in epistolis & libris ejus diluciдè extarent expressa, & ex publicis ejus sermonibus clarè audita fuissent, ait Concilium Ephesinum in Relatione ad Imperatores, Anathema Nestorio & impietatibus ipsius in Concilio Calcedonensi clarè dixit Theodoretus, & ideò à Concilio judicatus fuit orthodoxus; & Sede sua dignus.

Simili modo ante Concilium Calcedonense, S. Cyrillus reconciliatus fuit cum Joanne Antiocheno & Orientalibus, qui anathematismos ipsius, à Concilio Ephesino approbatos, similiter improbabant, velut Apollinaris hæresim continentes. Tametsi enim Joannes de Nestorianismo pariter esset suspectus, imo ab ipso etiam Concilio Ephesino in Relatione ad Cælestinum Papam, habitus velut *compertus adversarius infensissimus, tum Sanctæ Synodo, tum rectæ Ecclesiarum fidei* : nihilominus Theodosio Juniore, & S. Simeone Stylita intervenientibus, S. Cyrillus ipsi & Orientalibus reconciliatus fuit, non postulatâ ab ipsis approbatione Anathematismorum suorum, licèt (ut jam secundò dixi) à Concilio Ephesino approbatorum, nec improbationis seu damnationis eorum retractatione; sed *statim atque facta dilucida confessione palam fecerunt, se profanas Nestorianorum novitates, æquè ac res condemnasse, & Anathematizasse, seque nullo unquam eas loco habuisse*, licèt Nestorii personam, necdum compertis erroribus ipsius, bona fide aliquando defendissent. Reconciliatio proinde illa facta fuit per distinctionem separationemque juris & facti. Palam quippe damnatâ ab ipsis Nestorianâ hæresi, Concilio Ephesino quoad dogma fidei acquieverunt, non quoad facti quæstionem circa dictos Anathematismos, an in iis error Apollinaris contineretur. Nec hoc ab ipsis Cyrillus requisivit, sicut nec Calcedonense Concilium à Theodoreto.

Nec ab ipsis magis quàm ab aliis in facto errantibus, Ecclesia magis exegisset ut cum errore anathematizarent erroris authorem, nisi notoriè & sine controversia talem (quo casu Authorem damnare nolle, est nolle damnare errorem) cùm in nulla Historia Ecclesiastica

legatur hoc factum in caſibus, in quibus erroris Author in Eccleſia fuit controverſus. Quippe tunc Eccleſiæ ſpiritus eſt erroris damnationem exigere, non Authoris, uti manifeſtum eſt in Theodoreto & Honorio, quos Theologi ab Eccleſia non jubentur velut hæreticos, vel hæreſim in ſcriptis ſuis tradentes damnare, tametſi Theodoretus in ſuis contra Cyrilli anathematiſmos ſcriptis à Concilio V. judicatus fuerit Neſtorii hæreſim tradidiſſe, & Honorius à Concilio VI. in ſuis ad Sergium Epiſtolis tradidiſſe hæreſim Monothelitarum.

Idem videre licèt in aliis exemplis, ex antiquitate petitis, partim ſuprà relatis, partim infrà referendis (ubi etiam de Theodoreto plura) nunquam enim, antè præſentem de facto Janſeniano controverſiam, Eccleſia à fidelibus authoritativè poſtulavit, ut damnato errore, ſimul erroris Authorem damnarent, niſi de eo adeo manifeſtè conſtaret, ut bona fide negari non poſſet. Unde illum Eccleſiæ ſpiritum non ignorans D. Hieronymus in epiſt. adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, ab ipſo non poſtulavit, ut fateretur Origenem docuiſſe errores, ipſi communiter attributos, ſed *vel nega*, inquit, *hoc dixiſſe eum qui arguitur, aut ſi locutus eſt talia* (id eſt ſi fatearis eum talia dixiſſe) *eum damna qui dixerit.* Similiter Paulinus Diaconus in Concilio Cartaginenſi, contra Celeſtium celebrato, dum necdum abſque controverſia notorii erant errores ipſius, ab ipſo ſolùm exegit, ut objectos ſibi errores damnaret, vel negaret ſe eos docuiſſe: *Unum è duobus, aut neget ſe docuiſſe; aut jam damnet iſtud.*

SUBSECTIO QUINTA.

De defenſoribus trium Capitulorum.

EX modo quo ſeſe Romani Pontifices geſſerunt cum iis, qui Neſtorianam hæreſim cum Eccleſia corde & ore deteſtantes, Capitula illa, poſt Concilii V. definitionem, in Eccleſiæ unitate defendebant, manifeſtò cogno-

cognoſcimus Eccleſiæ ſpiritum, ipſiuſque ſenſum & uſum à ſæculis ferè duodecim obſervatum erga factorum, etiam doctrinalium, non revelatorum, tametſi ab Eccleſia definitorum, in caſibus obſcuris & controverſis, bona fide defenſores.

Quod itaque Romani Pontifices nunquam (uſque ad præſentem controverſiam) ipſos authoritativè compulerint ad Capitula illa damnanda, nec ad judicium ſuum, cœco more, judicio Eccleſiæ ſubmittendum, nec pro hæreticis, vel de hæreſi ſuſpectis habuerint non ſubmittentes, imò nec pro inobedientibus & rebellibus, videtur manifeſtè probari ex eo quòd tametſi totius penè Occidentis Epiſcopi, Africæ ſcilicet, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Hiberniæ, Illyricæ, Iſtriæ &c. Capitula illa cum Concilio V. cumque Pelagio I. & II. nec non Gregorio Magno damnare noluerint, nec Concilium V. licèt ab iiſdem, atque à Vigilio approbatum recipere, nihilominus nec Pelagius I. nec Pelagius II. nec Gregorius Magnus crimen ullum objecerint Epiſcopis Hiſpaniæ & Galliæ, in Eccleſiaſticâ unitate permanentibus, & ne Epiſcopis quidem illis qui ab Eccleſiæ unitate propter Capitulorum illorum damnationem receſſerant, objecerunt crimen hæreſeos, vel ſuſpicionem illius, ſed ſolius ſchiſmatis ſeu ſchiſmaticæ rebellionis, quâ ab Eccleſiæ capite diviſi, pacem Eccleſiæ perturbabant. Legantur Epiſtolæ Pelagii I. qui licèt egerit cum Narſete, Italiæ Exarcha, ut ſchiſmaticorum Paulini & Honorati in ſchiſmate pertinaciam ſua potentia & armis compeſceret, prorſus abſtinuit ab objicienda ipſis hæreſi, de qua ſi ipſos ſuſpectos habuiſſet, epiſt. 2. to. 5. Concil. pag. 792. non ſolùm dixiſſet quòd *hoc & divinæ, & humanæ leges ſtatuunt, ut ab Eccleſiæ unitate diviſi, & ejus pacem iniquiſſimè perturbantes, à ſæcularibus poteſtatibus comprimantur*, ſed hoc ipſum dixiſſet de hæreticis, & verè dixiſſet, cùm id ipſum de hæreticis jure canonico & civili ſtatutum ſit. Similiter epiſt. 3. p. 793. poſtquàm de ſchiſmaticis Epiſcopis Liguriæ, Venetiæ & Iſtriæ dixit, quòd ſi qua ipſis difficultas occurreret circa damnationem trium Capitulorum, à

Concilio V. factam, pro ea dissolvenda ad Sedem Apostolicam recurrere debebant; *& non clausis oculis Corpus Christi, hoc est Sanctam Ecclesiam lacerare*; addit: perseverantes in sua obstinatione, *divisiones & scandala* (non addit *& hæreses*) *per potestates publicas esse opprimendos.* Et epist. 6. ad Episcopos Tusciæ p. 794. solùm ipsis objicit schisma, quódque solitam sui nominis memoriam inter mysteria reticerent; eò quòd cum Concilio V. tria Capitula condemnaret, fidei quatuor Conciliorum addens Professionem, quódque *Si quis post hac aliquem superesse credit scrupulum, ab insano tumore desinens, magis ad nos venire festinet, ut ex his qua dubitat rationabili satisfactione percepta, latus, Deo propitio, cognita veritate, universali reformetur Ecclesia.* Hoc solum, non propriæ circa tria Capitula opinionis objectionem, se exigere, in epist. ad Viatorem & Pancratium (inter editas à Luca Holstenio) de Istriæ Episcopis disertissimè dicit, ipsos utique à Romanis Pontificibus non repellendos, sed judicio suo permittendos, usquedum, ratione duce, veritatem cognoscerent, si eam intra materna Ecclesiæ viscera quærerent: *Si ipsi*, inquit, *licèt in suo sensu abundantes, intra materna tamen positi viscera quærerent veritatem, à nobis repellendi non erant, donec apud eos,* RATIONE DUCE, *veritas clareseret.* Præclara verba ista referuntur can. 34. 23. q. 1.

Eandem cum Prædecessore suo agendi rationem secutus Pelagius II. in suis ad Istriæ Episcopos Epistolis, nunquam ab ipsis authoritativè exegit, ut judicium suum Ecclesiæ judicio, seu Concilii V. definitioni submittentes, tria Capitula damnarent, eorumque damnationi subscriberent, neque eos culpavit ut rebelles hæreticos, vel de hæresi suspectos quòd ea damnare nollent, imò nec ideò eos redarguit ut rebelles & obstinatos, sed duntaxat ob animum in schismate adeò obfirmatum, ut cum damnatoribus trium Capitulorum communicare nollent, sed communionem omnem obstinatè abrumperent, & adversus Romanos Pontifices pro superfluis quæstionibus tumultuari & debacchari non cessarent, injustis suspicionibus suis plus æquò indul-

dulgentes. Conſtat hoc ex eo quòd tota ipſius ſollicitudo in Epiſtolis illis ſit de ipſis invitandis ad Eccleſiæ unitatem, & communionem cum fidelibus fratribus ſuis non abrumpendam, nulla facta de damnandis tribus Capitulis mentione, nec poſtulata ab ipſis ulla quæ à ſuſpectis de hæreſi exigi ſolet purgatione. Quinimo ut efficaciùs ipſos ad communionem, non abrumpendam invitet, ipſe potiùs ultrò ſumma charitate apud eos ſe purgat, quatuor primorum Conciliorum fidem taliter profitendo, ut nullam ne minimam quidem patiatur ſiniſtræ de fide ſua ſuſpicionis umbram.

In hoc tota verſatur prima ex Epiſtolis illis: *Neceſſarium*, inquit, *judicavimus per præſentem Epiſtolam noſtram, & ad viſcera vos Matris Eccleſiæ ut reverti debeatis cum lachrymis exhortari, & de fidei noſtræ integritate vobis ſatisfactionem noſtram mittere, quatenus nulla poſſit in cordibus veſtris de nobis remanere ſuſpicio.* Mox apertè profitetur ſe quatuor primorum Conciliorum fidem per omnia profiteri, & ſi hoc ipſis non ſufficiat ad avellendam omnem de ipſo ſiniſtram opinionem, *Manentes*, inquit, *in unitatis charitate, eligite de fratribus ac filiis noſtris, quos ad nos, inquirendo de quibus movemini, tranſmittere debeatis, & parati ſumus ſecundùm præceptionem Apoſtolicam, & cum charitate eos ſuſcipere, & cum humilitate ad placita ſatisfactionis reddere rationem.* Niſi ergo, ſatisfactione iſta percepta, ad unitatem redeant, ait prorſus inexcuſabiles futuros. *Quam ergo excuſationem apud Dominum, poſt præſentem ſatisfactionem noſtram, habere ulteriùs poteſtis, quando nulla vobis de fidei noſtræ ſinceritate & puritate contraria ſuſpicio remanebit? Cum dilectione ergo fraterna, & humilitate Deo placita, ſi cujus fortè animi ſcandalizari videntur in aliquo* (propter receptam & probatam à nobis Synodum V. trium Capitulorum damnatricem) *manens in unitatis charitate perquirat atque cognoſcat*, an juſtam à nobis acceperit ſcandali cauſam. Ecce ſeipſum purgat à ſiniſtra ſuſpicione quam Iſtrie Epiſcopi de ipſo ob dictam rationem conceperant, ipſos nullo modo culpans quòd V. Synodum ipſi non reciperent, nec judi-

cio ipsius suum submitterent ; nihil enim aliud ab ipsis exigit , nisi ut in unitate permanentes , vel potiùs ad eam redeuntes, siquid circa Synodum illam difficultatis patiantur , ab ipso satisfactionem desuper accipiant, prorsus abstinens ab exigenda ab ipsis Synodi istius approbatione , triumque Capitulorum subscripta damnatione.

Quia verò hac epistola non obstante Episcopi illi obstinatè permanserunt in schismate , epist. 2 ad eosdem (quæ 6. dicitur to. 5. Concil.) si, inquit, pacato animo, in charitate & timore Dei relegatis , quæ scripsimus vobis, *facilè sentietis , quantum sit periculum , pro superfluis quæstionibus, tam diu ab universali Ecclesia separari.* Et rursus : *Constat enim , quia dum vos ab Ecclesiæ unitate disjungitis* (non addit , judiciumque vestrum judicio ipsius in superfluis illis quæstionibus non submittitis) *omne virtutis meritum perdidistis.* Et iterum . *Quam fiduciam coram Deo habere poteritis , qui tantis temporibus , per* (legendum videtur propter) *superfluas quæstiones , ab Ecclesia Dei , quæ una est ; vos dividi duratis ?* Pro superfluisne ad fidem quæstionibus Pelagius I. & II. ipsos hæreticos , vel de hæresi meritò suspectos censuissent. Et si ipsos hæreticos censuissent , ipsosne ad communionem cum ceteris fidelibus tam sollicitè invitassent?

Ad communionem tamen illam & Ecclesiæ unitatem schismaticos illos secunda epistola ista necdum reduxit. Obstinatè negarunt de superfluis agi quæstionibus, Apologiam transmittentes, quâ conati sunt ostendere, quòd de fide ageretur, manutenendaque Concilii Calcedonensis authoritate , quam ex toto convulsam existimabant per trium Capitulorum damnationem , à Concilio V. factam. Eapropter Pelagius II. in tertia epistola sua, totam refellens Apologiam , prolixè demonstrare conatur 1. per trium Capitulorum damnationem, à Concilio V. factam , Concilii Calcedonensis authoritatem non esse convulsam 2. Nestorianam hæresim in tribus illis Capitulis esse contentam. Nec tamen ideò ab ipsis exigit , ut id credant , Conciliique V. judicio se-

se

ſe ſubmittant, ſed ſolùm ut antè, *Veſtra igitur dilectio communionem fidelium orthodoxorum fratrum non fugiat*

Ecce tota concluſio prolixæ iſtius epiſtolæ, quam librum Gregorius Magnus appellat. Ecce tota ſumma caputque deſiderii ipſius. Cetera quippe pro ſuperfluis quæſtionibus habuiſſe demonſtratum eſt. Quàm multum ergo de Eccleſiæ unitate ſolicitus fuit prudentiſſimus ille Pontifex, tam parum de ſuperflua trium Capitulorum quæſtione, dummodo Eccleſiæ unitas ſervaretur, quam *in cunctis mundi partibus* ſalvo fidei ſtatu vigentem ſchiſmaticis illis propoſuit, & verè propoſuit. Tametſi enim illo tempore nec ab Hiſpanis, nec à Gallis quinta Synodus, nec trium Capitulorum damnatio admitteretur, Eccleſiæ unitas ab ipſis equidem ſervabatur; nec lis ulla movebatur adverſus eos, qui quintam Synodum admittebant, triaque Capitula cum ipſa damnabant, nec eorum communionem refugiebant, ſicut Iſtriæ ſchiſmatici.

Denique quòd Pelagius II. ſuſpectam non habuerit fidem eorum, qui judicium ſuum judicio quintæ Synodi cœco more non ſubmiſerunt, nec ab ipſis cœcam illam exegerit ſubmiſſionem, probatur inſuper ex eo quòd eos Epiſcopos latinos non vituperaverit, imò potiùs à conſtantiâ laudaverit, qui judicium ſuum definitioni quintæ Synodi non ſubmittentes, pro trium Capitulorum defenſione diu multumque laboraverunt, & ad injurias uſque certarunt, nec definitioni illi acquieverunt, niſi dum veritatem ratione duce cognoverunt: *Latini homines*, inquit, *græcitatis ignari, dum linguam neſciunt, errorem ſuum tardè cognoverunt, & tanto eis celerius*, ab hominibus græcitatis non ignaris, *credi debuit quanto eorum conſtantia, quouſque verum cognoſceret, à certamine non quievit. Quorum conſenſum Fraternitas veſtra deſpiceret, ſi auſu præcipiti, priuſquam verum cognoſcerent, conſenſiſſent. At poſtquam diu ab ipſis laboratum, & longo tempore ad injurias uſque certatum; hinc veſtra Fraternitas penſet, quia tot labores repente non relinquerent, niſi quæ vera ſunt agnoviſſent.*

Tale

Tale de ipsis judicium Pelagius non tulisset, nec ipsos à constantia laudasset, multo minùs præcipitem fore cœcam submissionem ipsorum dixisset, si eam, antequam ratione convincerentur, ab ipsis exegisset. Quisquis enim ad cœcam submissionem tenetur, ad eam tenetur, antequam de veritate convincatur. Quisquis proinde librum aliquem, vel scriptum damnare tenetur obedientia cœca, damnare tenetur antequam propria ratione seu investigatione convincatur, eo damnabile aliquid contineri. Ad id proinde tenetur, etiamsi linguam nesciat quæ id discernere valeat. Aliàs à superbia & inobedientia excusabilis non est. Certum proinde videtur, latinos homines, judicio Pelagii II. ad cœcam illam submissionem haud fuisse obligatos, nec ad eam fideles authoritativè compellendos, dummodo corde & ore per omnia fidem Ecclesiæ profiteantur, hæresesque ab ea damnatas sincerè detestentur.

Quemadmodum ista fuit agendi ratio Pelagii I. & II. ita & Gregorii Magni, qui Pelagio II. successit, qui de tota ista causa non aliter quàm Pelagius II. sensit; utpote cujus, in conscribendis tribus illis Epistolis, adjutor & amanuensis fuit, cumque Hispaniarum & Galliarum Ecclesiis, non schismaticis, semper communicavit, tametsi non ignoraverit ab ipsis quintam Synodum, triumque Capitulorum damnationem non recipi. Satis namque ipsi fuit, quòd in Ecclesiæ unitate permanerent, nec pacem ipsius pro superfluis quæstionibus perturbarent. In horum fidem videri possunt Epistolæ ipsius ad Recharedum Regem, & ad S. Leandrum, & ad Galliarum Episcopos Simplicium Parisiensem, Syagrium Augustodunensem, Palladium Santonensem, Virgilium Arelatensem, & ad Reges Childebertum, Clotarium, Theodoricum & Theodebertum, nec non ad Reginam Brunechildem.

Ex litteris quoque ipsius ad Severum Aquileiensem constat, S. Gregorium nihil aliud à schismaticis Istriæ postulasse, nisi ut qui *pro nulla re, ab Ecclesia unitate, absque ulla justa causa secessérant*, omissa contentione ad eam redirent.

Et

Et quamvis S Columbanus trium Capitulorum damnationi ſemper obſtiterit, ſicut & S. Secundinus, ipſos S. Gregorius à ſua communione nunquam ſemovit, ſed ut filios dilectiſſimos ſemper habuit, prout videre eſt in epiſtolis ad ipſos datis. Et idem eſt de Theodelinda Longobardorum Regina piiſſima, maximè poſtquam ipſo hortante ad unitatem rediit, tametſi in trium Capitulorum damnatione rejicienda perſtiterit, *etiam Gregorio mortuo*, ut probat Mabillonius to. 1. Annal Benedictin. l. XI. pag. 300. & conſentit novus Editor operum S. Gregorii in vita ipſius l. II. c. 12. n. 3. Quia tamen Gregorius (ut ipſe proſequitur) *pro veris Eccleſiæ filiis ſemper habuit eos, qui, cùm tria illa Capitula rejicere formidarent, in Eccleſiæ tamen unitate permanſerunt, & cum ipſis benignius egit ſemper*, haud dubium quod *eos inter, præter Theodelindam*, fuerit Secundinus eximiæ Sanctitatis Monachus. Utpote quem (etſi trium Capitulorum defenſorem) Gregorius de hæreſi ſuſpectum non habuit, ſed magni ſemper fecit, prout videbit lector, ſi conſulat ipſius ad Secundinum epiſt. 52. libri IX. ubi ſic: *Dilectionis tuæ ſcripta ſuſcepi, quæ in meo ſenſu amoris melle condita ſapuerunt. O quantâ aſpiratione vitæ plena ſunt, quæ per gratiam Spiritus proferuntur! Non in eis cultus eloquentiæ, non verborum typhus apparebat, ſed ſolam veritatis atque charitatis radicem tenentia per omne quod locuta ſunt, cæleſtis patriæ amorem fragrabant.* Et quia Secundinus eum conſuluerat de tribus Capitulis, oſtendit quidem Gregorius per eorum à quinta Synodo damnationem, violatam non eſſe Concilii Calcedonenſis authoritatem, in eoſque multum invehitur, qui propter eorum damnationem, Eccleſiæ reſcindentes unitatem, *ſubeſſe Sedis Apoſtolicæ præceptis nolunt, & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt (non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*; ut alibi dicit) Sed ab ipſo autoritativè nullatenus exigit, ut Capitulorum illorum damnationi ipſe conſentiat, ſed ſolùm ne in ſchiſma propter illa abripi ſe permittat, ne tot bonorum operum fructum amittat: *Neceſſe eſt ut dulciſſima*

mihi

mulatione uſos fuiſſe. Id imprimis parùm credibile eſt; cùm conſtet damnationem trium Capitulorum viſam ipſis non eſſe neceſſariam ad fidei incolumitatem. Aliàs diſſimulare non potuiſſent (neque enim circa ſervandam fidei incolumitatem diſſimulari poteſt) ſaltem tam diu, ideſt non ſolùm à ſæculo ſexto uſque ad nonum, (quo demum quinta Synodus in Gallia, non lege, ſed conſuetudine recepta fuit;) ſed & uſque in præſens: ſiquidem uſque in præſens tria Capitula, ſaltem quoad ſcripta Ibæ & Theodoreti, à pluribus viris apprimè Catholicis, nemine contradicente palam defenduntur. Neque enim fidelis & prudentis eſſe poteſt diſpenſatoria diſſimulatio, in re ad fidei incolumitatem pertinente. Quemadmodum ergo id hodie Eccleſia non permittit ſecundùm diſpenſatoriam diſſimulationem & indulgentiam, ſed ſecundùm Sanctorum Patrum Regulam, quam ſecutus Cyprianus in re quam non cenſuit ad fidem pertinere, dixit: *Neminem judicantes, aut à jure communionis, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.* Et S. Auguſtinus: *In eadem unitate video quoſdam de hâc re diverſa ſentire. Hoc omnes Catholica unitas materno ſinu complectitur, invicem onera ſua portantes, & ſtudentes ſervare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, donec alteris eorum, ſi quod aliter ſapiebant, Dominus revelavit.* Ita nec id olim Romani Pontifices permiſerunt ſecundùm diſpenſatoriam indulgentiam, ſed ſecundùm proximè dictam Regulam: cùm non ageretur de fide, ſed de quæſtione *extra fidem*, quam exiſtimarunt *ſuperfluam* & *nullius* ad fidem *momenti*, prout ipſi loquuntur. Enimverò *in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum eſt, apertè liquet, nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum; ſed. . . . de quibuſdam ibi perſonis* ſeu perſonarum particularium doctrinalibus ſcriptis, *eſt actitatum*, inquit D. Gregorius l. 2. epiſt. 36. ad Epiſcop. Hibern. ſeu (ut aliis placet) Iſtriæ. Qui & l. 3. epiſt. 37 ad Conſtantium Mediolan Epiſcop. *In illa* (inquit) *Synodo. . . . qua quinta dicitur. . . . de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Quomodo *de perſonis tantum-*

tummodo, cùm etiam de earum Scriptis, Ibæ videlicet & Theodoreti, actum esse constet? Respondeo quia causæ omnes, quibus crimen aliquod, sive hæreseos in scripto aliquo contentæ, sive aliud alterius speciei, inter personales computantur. Verè personalis est causa, in qua non agitur de fide in seipsa, sed de fide personali ejus, cujus scripta damnantur velut hæresim continentia. Cùm per talem damnationem, ipsi hæresis, non sine nota nominis ipsius imputatur, dum eam in scriptis suis tradidisse dicitur. Verè ergo Gregorius dicit, in quinta Synodo *de personis tantummodo, non de fide aliquid gestum esse.* Verè etiam Pelagius II. to. 5 Concil. pag. 618. *Nihil ibi aliud; nisi de personis actum.* In judicio verò de causis personalibus laudati Pontifices non dubitarunt, quintam Synodum errare potuisse. Et ideò nec hæresim, nec de hæresi suspicionem iis imputari posse, qui ejusmodi judicio sese non submittunt, dummodo Ecclesiæ fidem palàm profiteantur. Unde tametsi Felix quidam tria Capitula post quintæ Synodi damnationem, non solùm defendisset, sed & ob eorum damnationem ab Ecclesiæ Romanæ communione se separasset; de ipso nihilominus D. Gregorius l. 3. epist. 14. *Præsentium lator Felix*, inquit, *cùm nullatenus in hæreticorum dogma lapsus sit, nec à Christiana fide discesserit pravis illectus adversus Constantinopolitanam Synodum* (quintam) *suspicionibus, in Illyricarum se separatione removerat. . . . Quia ergo, ut dictum est, non in hæresim incidit, sed. . . . . recta studio intentionis erravit &c.*

Ecce ergo per Gregorium Magnum, sicut & per ipsius Prædecessores Pelagium I. & II. imò & per Vigilium manifestè jugulatus est confictus à Jesuitis novitiæ fidei articulus. Imò ex eorumdem principiis manifestè sequitur nullam esse, etiam post Constitutiones Alexandri VII. & Clementis XI. hæresim Jansenianam, cùm in mera libri, etiam ab Ecclesia condemnati, defensione collocari non possit hæresis, modò error ipse ab Ecclesia proscriptus non defendatur. Si enim Scriptorum Ibæ & Theodoreti post Concilii V. definitio-

tionem defen ores. non ideò hæretici fuerunt, multò minùs libri Janſenii defenſores poſt definitionem Alexandri VII. & Clementis XI. Et ſi definitio Concilii V. factum Ibaſianum & Theodoretianum non fecit eſſe de fide, quod antè non erat de fide ; nec ergo duorum illorum Pontificum definitio factum Janſenianum fecit eſſe de fide, quod antè certiſſimè non erat de fide. Longè minùs ergo hæreticum eſt abſque ſchiſmate Janſenii factum defendere, quàm cum ſchiſmate factum Ibæ & Theodoreti, quod cum ſchiſmate Felix ille defendit ; *non* ideò tamen *in hæreſim incidit*, teſte Gregorio Magno, Pelagii I. & II. veſtigiis inhærente; teſte etiam Vigilio ; utpote qui (ut Sirmondus ait in Monito duodecim Facundi libris præfixo) *liberam eſſe* de tribus Capitulis *controverſiam intelligens, & quæ utramque in partem* (etiam poſt Concilii V. definitionem,) *vergeret, ad fidei doctrinam nihil attineret* (quod ipſum, poſt Vigilii tempora, Gregorius Magnus, *Pelagius, & alii ſæpe teſtati ſunt*) *ea interdum libertate uſus eſt*, (modò tria Capitula damnando, modò defendendo) *quam cauſa concedebat.*

Tametſi ergo veteres illi Pontifices tantum eſſe malum ſchiſma & hæreſim eſſe cenſuerint, ut ſchiſmaticos & hæreticos, *per exteras etiam poteſtates. . . debere opprimi* Pelagius I. epiſt. 3. to. 5. Concil. pag. 792. ſcripſerit, eò quòd id *& canonicæ Scripturæ authoritas* (inquit) *& paternarum regularum nos veritas docet*; facti Ibaſiani & Theodoretiani poſt Concilii V. definitionem defenſores, non ſchiſmaticos, quatuor primorum Conciliorum generalium fidem profitentes, non ſolùm cenſuerunt non opprimendos, velut Eccleſiæ rebelles, nec ad definitioni illi ſubſcribendum, vel conſentiendum cum imperio ac velut dominativa poteſtate compellendos (neque enim ignoraverunt ſibi à Petro & Paulo, imò & à Chriſto vetitam in Clero dominationem) quin benignè tractandos & ratione docendos. Iſtum quippe verum Eccleſiæ ſpiritum ſemper fuiſſe Gregorius Magnus *l.* 8. *Moral. in Job c.* 1. teſtatur dicens: *Sancta Eccleſia, ex magiſterio humilitatis inſtituta,*

recta

recta quæ errantibus dicit, non quasi ex authoritate præcipit, sed ex ratione persuadet.

Istam proinde agendi rationem cum trium Capitulorum defensoribus, non schismaticis amplexi sunt laudati Pontifices, eorumque in hodiernum usque diem successores, non dissimulatione quasi dispensatione usi, sed verum illum Ecclesiæ spiritum, suprà laudatamque Cypriani & Augustini regulam secuti. Nec dubium quin eandem cum facti Janseniani bona fide defensoribus agendi rationem, ex eâdem regula, eodemque Ecclesiæ spiritu, etiamnum sequeretur Sanctitas Tua, Beatissime Pater, nisi à Jesuitis; Jesuitarumque fautoribus de mala ipsorum fide (de qua ne unus quidem hactenus convinci potuit) perperam informata esset. Illum quippe Ecclesiæ spiritum recta ratio docet, hujusmodi utique facta, ratione non sola authoritate esse persuadenda: eò quòd eorum Veritas ratione, sensibilive demonstratione, non sola authoritate innotescat. Quòd enim ista vel illa propositio, talem naturaliter reddens sensum, in tali libro privati cujuspiam extet Authoris, ratione, & sensibili ad oculum demonstratione facilè persuadetur, si extet; frustraneus verò ad id persuadendum est usus authoritatis, si non extet.

SUBSECTIO SEXTA.

Responsio ad ea quæ ex D. Gregorio allegantur, adversus defensores trium Capitulorum contra definitionem Concilii quinti.

SUnt quibus videtur, perspicuam esse D. Gregorii doctrinam, unumquemque fidelem teneri submittere judicium suum judicio Ecclesiæ, definientis facta doctrinalia, etiam non revelata, quamlibet obscura, atque Catholicos inter Doctores controversa, cujusmodi fuit factum trium Capitulorum. Idque demonstrari putant ex epistola ipsius 24. libri I. ad Patriarchas Ecclesiarum Orientis, in qua fidei suæ faciens professionem, primò dicit, se quatuor priores Synodos œcume-

me-

menicas, velut quatuor Evangelia venerari. Deinde addit; *Quintum quoque Concilium ſe pariter venerari, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: Theodorus, Perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſiſtentiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur: Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector. Quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa, deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Quiſquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei ſit à Deo Patre per Jeſum Chriſtum Filium ejus.* Cùm verba iſta ſint Pontificis fidem ſuam profitentis, verba ſunt candidè, apertè, & abſque omni ambiguitate & cavillatione loquentis. In ſenſu proinde naturali & obvio S. Gregorius cenſendus eſt recipere & amplecti trium Capitulorum damnationem, à Synodo V. factam, & inſuper declarare eam ab omnibus ſuſcipiendam: cùm dicat, quòd ſeipſum deſtruit, id eſt æternæ damnationis reatu adſtringit, qui damnationi illi contradicit; imò & ipſi anathema dicat.

Verum enimverò de iis ibi Gregorius non loquitur, qui dictarum Synodorum fidem per omnia tenentes, extra materiam fidei, ex cauſa quam bona fide credunt legitimam, per conſequens abſque temeritate & præſumptione, abſque ſchiſmate, abſque Eccleſiaſticæ authoritatis contemptu, ſolvunt, id eſt innocentes credunt, quos Eccleſia univerſali quidem conſenſu, ſed fallibili ligat, id eſt damnat. Quod enim de ipſis non loquatur manifeſtum faciunt argumenta ſequentia.

1. Namque de iis ſolis loquitur Gregorius qui præſumptuoſè ſolvunt quos univerſali conſenſu Eccleſia ligat. Dicit enim *Quiſquis præſumit &c.* quæ expreſſio genuinè & abſque cavillatione intellecta, ſolùm verificatur in iis, qui cum præſumptione & temeritate, & mala fide, abſque cauſa legitima ſolvunt &c. prout

fre-

frequenter Theologi & Canonistæ observant, ut Cardinalis (teste Fagnano) communiter receptus in Clement. 1. q 38. & Tiraquèllus de pœn. consil. 43 aientes, bonam fidem, & rationabilem causam excusare à præsumptione; eos proindè, qui bona fide, & causa rationabili nituntur, *non censeri præsumentes*. Videri potest Fagnanus ad cap. *Ad hæc* de religios. domib. n. 71.

2 De solis hæreticis Gregorius loquitur, non de Catholicis, fidem quinque Synodorum illarum per omnia tenentibus. Solis enim prioribus anathema dicit, non posterioribus; quibus econtrariò pacem dat; uti manifestum facit finalis clausula, qua se explicat, atque ex antecedenter à se dictis sic concludit: *Quisquis ergo aliud* in fide *sapit*, quàm illæ Synodi, *anathema sit*. Quisquis verò prædictarum Synodorum *fidem tenet, pax ei sit à Deo Patre &c.* Dixi. *Quisquis aliud in fide sapit*: Quia id declarat antithesis, quam proximè subjungit: *Quisquis verò prædictarum Synodorum fidem tenet &c.* Nec certè verisimile est Gregorium anathema dicere Catholicis bona fide contra universalis Ecclesiæ consensum errantibus in quæstionibus quas vocat superfluas, & de re nullâ, ut loquitur l. 4. aliàs 3. epist. 2. ibi: *talis scissura* PRO NULLA RE *facta est.*

3. Totus Gregorii contextus manifestum facit, solos eos à S Gregorio anathematizatos fuisse, quos prædictæ Synodi anathematizaverant, Arium scilicet, Eunomium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, Dioscorum &c. eorumque sequaces, & mala fide defensores.

4. Ex dictis Subsectione præcedenti certum est S. Gregorium non anathematizasse, nec quintæ Synodi anathematibus æternæque damnationis reatu innodatos censuisse Catholicos, trium capitulorum, bona fide, ex causa visa sibi justa defensores, scilicet Episcopos Hispaniæ, Galliæ &c. Childebertum Regem, Reginam Theodelindam, S. Columbanum, S. Secundinum, &c. utpote quibuscum communionem & amicitiam magnam

gnam ſemper habuit, judicioque ſuo permittendos cenſuit, donec veritatem ratione duce cognoſcerent.

5. Non minùs certum eſt, S. Gregorium non cenſuiſſe reos æternæ damnationis, nec anathematizaſſe omnes qui ex cauſa juſta bona fide damnarunt abſolutos à Concilio Sardicenſi, vel abſolverunt damnatos à Conciliis V. VI. VII. VIII. &c. cùm prorſus incredibile ſit S. Gregorium id cenſuiſſe de SS. Baſilio, Chryſoſtomo, Theodoreto, Mario Victorino, qui Marcellum Ancyranum à Concilio Sardicenſi & Julio I. abſolutum damnarunt. Item de Anaſtaſio, Cardinalibus Turrecremata, Baronio, Bellarmino, Sirmondo, Petavio, totque aliis apprimè catholicis, qui Honorium Papam, à Conciliis VI. VII. VIII. & à pluribus Romanis Pontificibus damnatum abſolverunt, & quotidie abſolvunt, nemine contradicente.

6. Vel objecta Gregorii verba nihil probant, vel nimis probant; ſi quid enim probant, Gregorii judicio ſupradictos omnes Marcelli Ancyrani damnatores, triumque Capitulorum & Honorii Papæ defenſores, reos fuiſſe & eſſe æternæ damnationis, & anathemati ſubjectos, velut qui in iis quæ univerſali conſenſu in dictis Conciliis fuerunt conſtituta, vel ſolutos ligarunt, vel ligatos ſolverunt &c.

7. Nec ſolum iſtud inconveniens, prorſus incredibile, & à S. Gregorio certiſſimè non admiſſum ſequeretur; ſed & inſuper illud, quòd æternæ damnationis reus eſſet, Gregoriique anathemate percuſſus quiſquis negaret factum quodcumque, etiam merè perſonale, univerſali conſenſu à Concilio aliquo Oecumenico deciſum; v. g. Trithemium, & Hiſtoricos non paucos, quibus, ob rationes viſas ſibi juſtas (quarum nonnullæ videri poſſunt in Phantaſmate Janſeniſmi pag. 157. 158. 159. 160. edit. Colon. anni 1686.) perſuaſum eſſe non potuit, Templarios illos omnes, ex quibus plurimi erant nobiles, primæ etiam nobilitatis, cum ſuo Generali, reos fuiſſe horrendarum impietatum, & abominationum, quarum ipſos reos & clarè convictos Concilium Viennenſe Oecumenicum, poſt pleraque

provincialia Concilia pronuntiavit. Probatur sequela, quia Templarios illos ab illis impietatibus innocentes existimare, est solvere universali consensu ligatos: quod quisquis facit, secundùm D. Gregorium, reus est æternæ damnationis, si objecta verba Gregorii, generaliter & absque exceptione ulla procedant. Maximè cùm de solis factis doctrinalibus, sive de scriptis, Gregorius non loquatur, sed & expressè de factis personalibus, sive de personis. Dicit enim quòd quisquis personas universali Ecclesiæ consensu ligatas solvere præsumit, se ligat & destruit. Et ideò *præmiserat cunctas, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector.* Præfata verò Concilia respuunt nominatim Arium, Eunomium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, Dioscorum. Quibus Concilium V. addit etiam nominatim Theodorum Mopsuestenum, distinctim à scriptis ipsius: *Condemnamus & anathematizamus. . . . . Theodorum qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia ejus conscripta.* Porrò conveniunt omnes Theologi universalem Ecclesiæ de personis seu causis personalibus consensum, subinde esse falsum, nec ullus est qui non admittat, nec dubium quin Gregorius admiserit, dictum istud Innocentii III. cap. A nobis, extra de sent. excom. *Judicium Dei veritate qua non fallit nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur;* dum putat certam se veritatem sequi. Porrò opinionem *& fallere sæpe contingit, & falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus.* Per consequens contingit interdum, ut de personis, etiam universali Ecclesiæ consensu ligatis, aliter existimare liceat, dum scilicet ad aliter judicandum legitimæ rationes occurrunt, exempli gratia dum alicui comperta est innocentia personæ ab Ecclesia condemnatæ, vel ob impedimentum sibi notum comperta est nullitas matrimonii ejus quem matrimonio ligatum Ecclesia pronuntiavit. Siquidem, ut homil. 26. in Evang. Gregorius ait:

Sæpe

Sæpe agitur ut ab Ecclesia damnentur immeriti, vel solvantur ligati. Unde rectè per Prophetam dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Ezech. 12. Porrò de factis doctrinalibus loco objecto Gregorius eodem modo loquitur, ac de factis personalibus, eodem, inquam, modo de scriptis, quàm de personis. Et id quòd de personis dicit, v.g. de Theodoro personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separante, dicit de epistola Ibæ & scriptis Theodoreti, à Concilio V. damnatis, uti manifestum faciunt verba ista: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo & epistola, quæ Iba dicitur, erroris plena reprobatur; Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: scripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. . . . . Quia dum universali sunt consensu constituta; se & non illa destruit, quisquis præsumit &c.* ut suprà. Cùm ergo Gregorii verba quoad personas, tametsi generalia, de iis non procedant nisi qui præsumptuosè & mala fide seu intentione personas solvunt, universali consensu ligatas, ita & quoad personarum scripta, seu criticum eorum sensum. Tam enim istud, quàm illud, æquitas postulat. Et tam de scriptis, quàm de personis id Gregorius ipse satis declarat, cùm dicit, *Quisquis præsumit &c.*

8. Id ampliùs manifestum videtur ex eo quòd de iis solis Gregorius loquatur, de quibus loquuntur Concilia quæ se amplecti dicit. Concilia verò ista, ut suprà dixi, de solis loquuntur hæreticis, & eorum scripta damnato ab Ecclesia sensu intellecta, adeoque mala fide seu perversa, damnatam hæresim tuendi intentione defendentibus, prout Subject. 7. demonstrabitur.

Denique totus istius Pontificis agendi modus cum bona fide tria capitula, catholico, non hæretico sensu intellecta defendentibus, omnem hac de re difficultatem evacuat. Cùm nulla sit apparentia, quòd Gregorius anathema dixerit iis, cum quibus communionem

semper habuit ; vel quos ad communionem invitare non cessavit, nihil aliud ab ipsis postulans , nisi ut ad Ecclesiæ unitatem redirent. Hoc enim facere non potuisset, si eos à Concilio credidisset anathematizatos, velut hæreticos, vel hæresis fautores. Neque enim permittere potuisset istius Concilii anathema ab ipsis impunè floccifieri. Verùm hoc ipsum non credidisse certò certius est. Tametsi enim ex postremis verbis ipsius certum sit, eos ab ipso habitos ut hæreticos, quibus ipse cum Concilio V. anathema dixit, talem non habuit Felicem illum, de quo Subsectione præcedenti; utpote de quo l. 3. epist. 14. nunc l. 4 epist. 14. testimonium reddit, quòd *nullatenus in hæreticorum dogma lapsus sit, nec à Catholica fide discesserit, sed rectæ studio intentionis* erravit, dum rejecto Concilio V. anathematibusque illius, tria Capitula defensavit; & Theodorum Mopsuestenum innocentem credens, impia scripta ipsius, non in rigore, ut sonabant, sed in bonum, seu Catholicum sensum interpretatus est , atque adeo universali Ecclesiæ consensu ligatum solvit, &c.

SUBSECTIO SEPTIMA.

Concilii V. anathemata non feriunt Catholicos, trium Capitulorum, Catholico sensu intellectorum, bona fide defensores, sed hæreticos, qui Nestorianam in illis hæresim agnoscentes, mala fide perversaque intentione ideò defendebant, ut istius hæreseos perfidiam iis firmarent ac tuerentur.

QUatuor id argumentis demonstratur. Primò ex fine propter quem Concilium istud congregatum fuit. Secundò ex ipsorum anathematum tenore. Tertiò ex Episcoporum subscriptione. Quartò ex disciplina eo tempore ab Ecclesia & Romanis Pontificibus observata. Quæ omnia simul sumpta id prorsus convincere videntur.

Primò itaque ex fine, propter quem congregata fuit quin-

quinta illa Synodus, optimè colligitur, quinam sint, quos anathematibus suis ferire intendit. Siquidem ex causis dicendi, intelligentia colligenda est dictorum, ut D. Hilarius ait. Porrò ex sessione 8. istius Synodi constat, ipsam congregatam fuisse in remedium abusus, quo Nestorii sectatores, per scripta Theodori, Theodoreti & Ibæ, suas impietates promovere, defendere, atque simplicibus fidelibus inspirare conabantur, tamquam per scripta à Concilio Calcedonensi approbata. Hoc est enim quod ibi expressissimè asseritur. Et in forma Imperiali, quæ lecta fuit sess. 1. Justinianus Imperator, cujus jussu quinta Synodus congregata fuit, id ipsum declarat, dum damnationis trium Capitulorum necessitatem probat ex hoc quòd intentio ea defendentium erat, dicendum non esse, quòd Deus Verbum factum sit homo, quódque beata Virgo Mater sit Dei. Contra Nestorii ergo sectatores, & impietatum ejus defensores, congregata fuit Synodus illa; non contra Catholicos, impia illa dogmata cum Ecclesia detestantes, nec tria Capitula illa nisi Catholico sensu benignè intellecta defendentes.

Secundò idipsum colligitur ex ipsomet anathematum tenore. Anathema quippe duodecimum sic expressum legitur: *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum.* Addunt & alias impietates ipsius, & tunc sic: *Si quis ergo defendit impium illum Theodorum,* ET IMPIA ILLA SCRIPTA. . . . . *& non anathematizat eum,* ET IMPIA SCRIPTA IPSIUS (scripta utique enarratas continentia impietates) . . . *anathema sit.* Quod profectò non cadit in defensores scriptorum Theodori bona fide intellectorum in sensu Catholico, sed in sensu Nestoriano. Hoc namque genuinè significant verba quibus conceptum est istud anathema. Sicut & illa quæ habentur sess. 4. *Anathema Theodoro Mopsueteno. Evangelium condemnavit, Incarnationem annihilavit. Defensores ejus Judæi sunt* (quia scilicet mysterium istud negant sicut Judæi) *sequaces ejus Pagani sunt,* quia inimici sunt Incarnationis Verbi, sicut ipsi. Et at-

xende ibi sermonem non esse de nudis Theodori defensoribus, sed qui simul sint *defensores* ipsius, & *sequaces*.

Decimum tertium anathema sic expressum est: *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta qua contra fidem, & contra primam Ephesinam Sanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim ejus Capitula exposuit, & omnia qua conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, & pro aliis qui eadem cum prædictis Theodoro & Nestorio sapuerunt, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans Doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundùm subsistentiam Dei ad carnem confitentur, &* NON ANATHEMATIZAT EA, ET EOS QUI SIMILIA EIS SAPUERUNT, VEL SAPIUNT. . . . . *talis anathema sit.* Quid ad intentum magis perspicuum desiderari potest?

Decimum quartum anathema hujus est tenoris: *Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, qua abnegat Deum Verbum, de Sancta Dei Genitrice & Virgine Maria Incarnatum, hominem factum esse. . . Et defendit Theodorum & Nestorium,* ET IMPIA EORUM DOGMATA..... *anathema sit.*

Istud etiam anathema non indiget Commentario. Quod enim non feriat eos qui epistolam illam sic defendunt, ut in ea impia Theodori & Nestorii dogmata non agnoscant, sed eam cum Concilio (ut putant) Calcedonensi, Catholico intelligunt sensu, patet ex eo quòd ipsi non defendunt Theodorum & Nestorium, & IMPIA EORUM DOGMATA.

Tertiò id ipsum clarè deducitur ex Episcoporum subscriptionibus: Siquidem ad unum omnes, nullo excepto, subscriptionibus suis solùm anathematizant scripta trium Authorum, Nestoriano sensu intellectorum, *& qui similia eis sapuerunt, & sapiunt.* Solos proinde illos trium Capitulorum defensores, qui unam cum ipsis fidem, quatuor utique priorum Conciliorum, non tenebant, quos propterea eodem in Concilio, *Nestorianos, Judæos, Paganos* Incarnationis Verbi destructores appellabant.

bant: & qui (prout T. 5. Concil. p. 564. videre est) Theodori blasphemiis gloriabantur, erantque *impietatis illius defensores, injuriis contra Creatorem dictis gloriantes;* ac propterea *indigebant confusione per earum manifestationem eis inferenda*: qui denique prætendebant impiam Ibæ epistolam (Theodorum laudantem ac defendentem) à Concilio Calcedonensi receptam seu probatam fuisse, *ut per ejus nomen suam impietatem confirmarent.* Quæ certo certius est, Catholicis trium Capitulorum Catholico sensu intellectorum bona fide defensoribus non convenire. Quippe de quibus apud Facundum in epistolâ, de fide Catholica, annis aliquot post Concilium V. conscriptâ, palam fatebantur, *se unam cum ipsis* Capitula illa *non damnantibus fidem tenere*, prout videre est T. 3. Spicil. & ad calcem Optati edit. Paris. anni 1679.

Quartum argumentum petitur à disciplina à Romanis Pontificibus, & ipsismet Orientalibus tunc temporis observatâ. Ea quippe tunc inviolabiliter observabatur Ecclesiasticæ disciplinæ regula, quòd ne ipsis quidem Patriarchis communicare fas esset cum anathemate fulguritis aliquo in Concilio, saltem Oecumenico, quamdiu in anathematis causa persistebant, prout ex litteris Gelasii, Anastasii, Symmachi & Hormisdæ, in causa Acacii conscriptis, demonstratum videri potest in Apologia Portus-Regii part. 4. pag. 206. Hanc igitur regulam in aliorum exemplum ab ipsismet Romanis Pontificibus observatam fuisse, omnino est præsumendum; utpote qui ad propriarum etiam legum observantiam lege naturali adstricti sunt juxta illud: *Patere legem quam tulisti.*

Post approbatum igitur à se Concilium V. cum Episcopis Hispaniæ, Galliæ &c. cumque Rege Childeberto, Regina Theodelinda, cum Sanctis Columbano, Secundino, Isidoro &c. tria Capitula defendentibus non communicassent, si ipsos Concilii V. anathematibus irretitos censuissent. Communicasse verò certissimum est. Id igitur non censuerunt. Uti nec Orientales Episcopi, utpote qui (teste Facundo l. 2. c. 3.)

postquam in Concilio Constantinopoli anno 547. celebrato (cujus meminit Binius in Nota ad Edictum Justiniani, Tabellarumque Chronologicarum Author ad annum illum 547.) *constituerunt, ut si quis non anathematizet memoratam venerabilis Ibæ epistolam, anathema sit*: Africanos nihilominus Episcopos *sibi communicare compellebant, permanentes in ea sententia, quæ non solùm anathema ei non dicebant, sed negabant esse dicendum*: quod haud dubiè non fecissent, si ipsos suo illo anathemate fulguritos credidissent. Nec ipsi ergo hoc crediderunt. Per consequens nec Episcopi, qui Concilio V. interfuerunt: cùm illi ipsi, qui Concilio anni 547. interfuerunt (paucis exceptis, qui è vivis excèsserant) etiam Concilio V. interfuerint. Unde tametsi Theodorus, Episcopus Africanus, tria Capitula ad mortem usque defenderit, ab ipsius communione Constantinopoli (ubi à Justiniano relegatus fuit) non solùm non abstinuerunt, sed & ipsum (in exilio isto Constantinopoli, duodecim post quintam Synodum annis, in sanctitatis opinione defunctum) honorificè ibi apud SS. Confessores, ab Hunnerico Wandalorum Rege, linguis excisis, pro fide relegatos, tanquam Orthodoxum, in Ecclesiæ Communione mortuum, sepelierunt, uti referunt Victor Tunonensis in Chronico, & Liberatus in Breviario. Nec certè credibile est, quòd Cœtus tam parum numerosus Orientalium, anathema dicere intenderit Vigilio Papæ, & Episcopis prope omnibus, si non omnibus, Occidentalibus, id est plusquam medietati Episcoporum totius Orbis Christiani, salva fide tria Capitula catholicè intellecta, recta cum intentione defendentium. Minùs adhuc credibile, quòd medietatem illam *Paganam*, *Judaam*, *Nestorii sequacem*, mysterii *Incarnationis destructricem appellaverit*. Certissima proinde est assertio nostra.

Nec refert quòd Facundus, in epistola proximè memorata, dicat, quòd Episcopi Orientales *omnem procul dubio anathematizasse probantur Ecclesiam*. Hoc enim dixit ardentiori amariorique, non secundùm scientiam, zelo abreptus, adversùs Capitulorum illorum damna-

damnatores, à quorum communione, *pro re nulla* (ut B. Gregorius loquitur) ſe ſeparaverat.

Superiora quatuor argumenta quiſquis ſeriâ & non præoccupata mente perpenderit, videbit per ea validiſſimè roboratum, quod præcedenti Subſectione dixi, S. Gregorium in epiſt. ad Patriarchas, nec ſui deſtructores dixiſſe, nec anathematizaſſe catholicos trium Capitulorum bona fide defenſores, ſed hæreticos duntaxat. Si enim catholicos non anathematizavit quinta Synodus, profectò nec Gregorius. Atque ita ſentiunt tot illi Theologi qui poſt Concilium V. & D. Gregorium, tria Capitula, catholicè intellecta, hactenus defenderunt, ac quotidie defendunt.

SUBSECTIO OCTAVA.

Tametſi Pelagius I. & II. cumque ipſis Gregorius Magnus pleriſque Catholicis damnationem trium Capitulorum ratione perſuaſerint, ad credendam tamen juſtam eorum damnationem, imperio ſeu authoritate nunquam compulerunt.

PRobatur, quia hoc ab ipſis factum nuſquam legitur. Quodque laudatos Sanctos, & Reges, catholicoſque Hiſpaniæ & Galliæ Epiſcopos, non ſchiſmaticos, authoritate ſua ad id imperioſè non compulerint, tanto certius eſt, quanto verius, quòd ne ipſos quidem ad id compulerint, ſed in opinione ſua permanere permiſerint, uſquedum ratione duce veritas ipſis clareſceret, dummodo eam materna inter viſcera Eccleſiæ quærerent, uti conſtat ex dictis Subſect. 5. Enimvero iſte eſt, ſemperque fuit Eccleſiæ ſpiritus, prout ibidem S. Gregorium dicentem audivimus, treſque illi Pontifices ad tollendum ſcandalum ex facta ab ipſis trium Capitulorum damnatione exortum, magis ſolliciti fuerunt ad demonſtrandam non damnantibus fidem ſuam, quàm ad imperioſè exigendam ab ipſis Capitulorum illorum damnationem. Ideóque nunquam imperioſè, ſed magna ſemper cum benignitate veritatem ipſis ratione duce conati ſunt perſuadere, argumentaque ipſorum diſſolvere.

Id verò quod nonnulli objiciunt, Gregorium l. 3. epist. 2. proposita formula aliquos compulisse ad tria Capitula juramento damnanda; non est verum, quia hoc ibi Gregorius non dicit, sed solùm quòd Laurentius, Constantii in Episcopatu Mediolanensi Decessor, *districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ emiserit, in qua viri nobilissimi*, tamquam Laurentianæ cautionis honorarii testes, *subscripserunt. Inter quos tunc urbanam præfecturam gerens, pariter subscripsi*, ait Gregorius. Ista quidem cautio, seu formula, juratoria fuit; sed quòd trium Capitulorum fuerit condemnatoria, Gregorius non dicit; nec circumstantiæ postulant ut dicatur. Gratis proinde id asserit Parisinus Doctor qui notas eam in epistolam non ita pridem scripsit. Quinimo ex circumstantiis potiùs colligitur, quòd solùm fuerit abjuratoria schismatis, & juratoria sinceri reditus in Ecclesiæ unitatem, cum promissione ab ea ampliùs non recedendi. 1°. Quia ab eo tempore (nec enim antè legitur) cautio ejusmodi exacta fuit, quo Severus, Episcopus Aquileiensis, in schisma relapsus fuit: istius relapsus occasione Pelagius & Gregorius cautionem illam exegerunt, non ab omnibus (hoc enim non legitur) sed à revertentibus è schismate, prout Joannes Diaconus testatur in vita S. Gregorii l. 4. n. 38. dicens, quòd *eapropter* (id est propter Severi relapsum) Gregorius *neminem jam* REVERTENTIUM *sine cautione juratoria penitùs suscipere satagebat.*

2°. Per hæc verba, *neminem jam revertentium*, Joannes Diaconus dat intelligi, quòd non ab omnibus, sed duntaxat à revertentibus è schismate cautio illa exigeretur.

3°. Ex illo revertentium numero Laurentius erat, quia in schismate partem habuerat; & ideo Gregorius dicit, cautionem juratoriam ab ipso fieri debuisse. Quare? *Quia postquam talis scissura* PRO NULLA RE *facta est, justum fuit ut Sedes* Apostolica curam gereret, quatenus UNITATEM *universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret.* Ad hoc verò sufficiebat cautio schismatis ejuratoria; & juratoria nulli imposterum consentiendi adversùs universalis Ecclesiæ unitatem.

4°. Do-

4o. Doctiſſimi PP. Benedictini, Congregationis S. Mauri, in nota ad vitam latinam S. Gregorii (quæ inſerta eſt noviſſimæ editioni operum ipſius) l. 4. c. 6. n. 6. cum aliis eruditis viris, cenſent, promiſſionem juratoriam, de qua mentio fit in Epiſtolis Gregorii Magni, eam eſſe cui Firminus Epiſcopus ſubſcripſit. In ea verò ſapientiſſimus Author illius vitæ obſervat, nullam fieri mentionem Concilii V. nec condemnationis trium Capitulorum, ſed reditus duntaxat ad Eccleſiæ unitatem, perſeverantiæque in illa. Quod ipſum videri poteſt in variis formulis eo tempore uſitatis, quas refert Garnerius in Diurno Romanorum Pontificum, *tit.* 7. & 8. ubi hanc (inter alias) exhibet formulam Cautionis Epiſcopi de Langobardia : *Promitto. . . me omnem fidem, & puritatem ſanctæ fidei catholicæ exhibere, & in unitate fidei . . . . perſiſtere . . . . & nullo modo contra unitatem communis & univerſalis Eccleſiæ ſuadenti cuipiam conſentire*, abſque ulla mentione damnationis trium Capitulorum. Unam etiam de formulis iſtis S. Gregorius exhibet *l.* 10. *epiſt.* 31. Sed nec iſta aliud continet, niſi promiſſionem juratoriam non redeundi ad ſchiſma.

Epiſtola quidem 37. libri 3. cùm à communione Conſtantii (Laurentii, ut ſuprà dictum eſt, in Epiſcopatu Mediolanenſi ſucceſſoris) Epiſcopus & populus Brixiæ, aliique duo Epiſcopi ſeſe ſeparaſſent, propter tria Capitula, quæ ab ipſo damnata ſuſpicabantur, ab ipſoque (ad tollendam ſuſpicionem iſtam) exigerent, ut juraret, ſe tria Capitula non damnaſſe : Gregorius, ea de re certior factus, ſic ipſi reſcripſit : *Quòd ſi deceſſor tuus Fraternitatis veſtræ Laurentius non fecit* (idſt hoc non juravit) *à vobis quari non debet. Si autem fecit, cum univerſali Eccleſia non fuit* (ſoli namque ſchiſmatici id apud Socios jurabant, ad tollendam derelicti ſchiſmatis ſuſpicionem, dum in eam inciderunt) *& ideo cautionis ſuæ juramenta tranſcendit*, qua juravit ſe ſchiſma abjurare, & nunquam ad illud rediturum eſſe. In verbis proinde iſtis, *cautionis ſuæ juramenta tranſcendit*, nihil adverſus id quod ſuprà dictum eſt

continetur: quia in iis sermo non est de cautione trium Capitulorum damnatoria, sed schismatis abjuratoria. Quod ipsemet Gregorius insinuat, dum proximè subjungit: *Sed quia eundem virum credimus sua sacramenta servasse* (modum quo servavit exponunt verba immediatè sequentia) *atque in unitate Ecclesia permansisse* (quasi dicat, sua sacramenta servasse, *in unitate Ecclesiæ permanendo*) *dubium non est, quòd nulli Episcoporum* (etiam schismaticorum) *juraverit, se tria Capitula minimè damnasse.*

Et cur (amabo!) aliam Laurentius cautionem feciſſet, quàm alii schismatici, quos solam cautionem schismatis abjuratoriam fecisse probatum est? Cur Episcopi schismatici cautionem trium Capitulorum damnatoriam potiùs feciſſent, quàm Episcopi non schismatici, quos inter plurimos in Longobardia (sicut & alibi) trium Capitulorum defensores fuisse constat? Profectò quòd illi præ istis schismatici erant, nihil facit ad exigendam ab illis præ istis cautionem trium Capitulorum damnatricem: sed schismatis abjuratricem duntaxat.

Denique si Laurentius solitæ cautioni, quæ à schismaticis ad unitatem redeuntibus exigebatur, trium Capitulorum damnationem adjecit (quod non concedimus) jussu Pontificio id non fecit (cùm ratio non appareat cur id ipsi Pontifex præ aliis jussisset) sed motu proprio, ut Romani Pontificis gratiam certiùs obtineret, omnemque obtinendi Episcopatus Mediolanensis obicem certiùs amoveret.

5°. S. Gregorium ab Episcopis omnibus non exegisse cautionem illam trium Capitulorum damnatricem, constat ex epistola ipsius 3. libri 3. ubi non solum testatur se eam non exegisse à laudato Constantio, sed ne tria quidem Capitula nominasse, nec id necessarium judicasse: *Si enim*. inquit, *hoc esset necessarium* (suppositi ergo non necessarium) *verbis nudis vobis credi potuisset. Ego tamen nominata inter nos, neque verbo, neque scripto tria Capitula recolo.*

Nec à fidelibus omnibus trium Capitulorum defen-

sori-

ſoribus, eam à S. Gregorio poſtulatam fuiſſe, pariter conſtat ex eo quòd (teſte Hiſtorico novæ vitæ S. Gregorii l. 2. c. 8. n. 18.) *Theodelindam Reginam in Eccleſiæ ſocietatem* receperit, *tametſi non ejuraſſet tria Capitula*: quemadmodum & ex eo quòd ipſos, ad Eccleſiæ unitatem redeuntes, unà cum Prædeceſſoribus ſuis Pelagio I. & II. permiſerit in ſenſu ſuo abundare, *Uſquedum ratione duce veritas ipſis clareſceret*, prout oſtenſum eſt Subſect. 5.

Ex his ſufficienter conſtat, Epiſcopos, cautionem ſeu formulam juratoriam facti Janſeniani damnatricem, ab omnibus fidelibus utriuſque ſexus compulſivè exigentes, non eſſe fundatos in exemplo S. Gregorii. Nec oſtendi poteſt, ipſos fundatos in ullo alio antiquitatis exemplo, nec in priſco Eccleſiæ more: tametſi enim in genere verum ſit, quòd in nupera Conſtitutione ſua *Vineam Domini Sabaoth* Sanctiſſimus ait, Alexandrum VII. ſecutum eſſe *priſcum Eccleſiæ morem*, dum formularium præſcripſit; quia revera authoris, librorumque ipſius damnationem Eccleſia olim aliquando fieri voluit, non à fidelibus omnibus, ſed ab iis qui vel convicti erant, vel legitimè ſuſpecti de adhæſione ad errores ab authore illo evidenter traditos, in libroque ipſius manifeſtè contentos. Hoc proinde ſenſu verum eſt formularii uſum eſſe ſecundùm priſcum Eccleſiæ morem. Verùm ex priſco Eccleſiæ uſu nullum exemplum proferri poſſe videtur, quo fideles, de adhæſione ad errores nec convicti, nec legitimè ſuſpecti, compulſi fuerint ad jurandum ſe damnare, cum erroribus, eorum Authorem, vel Authoris librum, à quo vel in quo errores illi clarè & abſque controverſia non tradebantur. Neque enim hoc in Hiſtoria Eccleſiaſtica factum legitur; nec Alexander VII. feciſſet, ſi ſciviſſet, 1°. quinque famoſas propoſitiones in Janſenii Auguſtino clarè non contineri, ſed factum iſtud obſcurum eſſe, atque Catholicos inter Doctores valde controverſum, uti revera eſt. 2°. Nullum ex defenſoribus iſtius libri hactenus fuiſſe convictum, vel legitimè ſuſpectum de adhæſione ad illas propoſitiones, ſive ad damnatum earum

rum ſenſum, ſed de contrario duorum punctorum iſtorum Alexander VII. à Jeſuitis, Jeſuitarumque fautoribus perperam informatus fuit, ſolitiſque ipſorum artibus perſuaſus, quinque ſcilicet propoſitiones illas in Janſenii Auguſtino clarè contineri, nec id à libri iſtius defenſoribus in dubium verti, niſi mala fide, ad hæreſes illas opportuno tempore defendendas. Cùm hoc manifeſtè ſupponat Alexandrina Conſtitutio, ſicut & altera Sanctiſſimi modò regnantis, uti manifeſtum faciunt verba ſequentia, quibus declarat ſilentium in cauſa iſta nihil aliud eſſe, niſi tacitam damnatarum propoſitionum defenſionem, dum hoc veluti *pallio non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur, ad fovendam ſilentio hæreſim.*

Hoc utique eſt, quod Jeſuitæ ubique proclamant, hoc quod auribus Principum & Poteſtatum, Eccleſiaſticarum & civilium, inſuſurrant, Janſenianæ utique libri mala fide defenſoribus, veris proinde hæreticis Janſeniſtis, plenam eſſe Galliam, plenum Belgium. Verùm ſi Sanctitati ſuæ placeret injungere, ut juridica de eo per diœceſes inquiſitio fieret, haud dubio experimento illud ipſum deprehenderet, quod ſub Innocentii XII. Pontificatu palàm innotuit. Cùm enim Deſirantius Epiſcoporum Belgii adverſus prætenſos Belgii Janſeniſtas ad S. Sedem deputatus ſimiliter conclamaret, Janſeniſtis plenum eſſe Belgium, ab Hennebello Academiæ Lovanienſis ad eandem S. Sedem Deputato, coram Eminentiſſ. DD. Cardinalibus Romæ non ſemel provocatus, ut unum vel duos in toto Belgio Hiſpanico deſignaret, quem vel quos Epiſcopus aliquis de adhæſione ad damnatas propoſitiones, damnatumque earum ſenſum, convicciſſet, vel legitimè ſuſpectum inveniſſet, vel de legitima ſuſpicione convincere poſſet, ne unum quidem poſt multam inquiſitionem, multumque temporis ſibi ab Eminentiſſimis conceſſum ad inquirendum, deſignare potuit. Judicet jam Sanctitas Tua, Beatiſſime Pater, an Jeſuitæ injurii non ſint S. Sedi, ipſam

alie-

alienis à veritate informationibus circumveniendo ; pariter injurii Principibus ac populis ipſos ſycophanticis declamationibus in errorem mittendo adverſus prætenſos illos Janſeniſtas. Denique an non juſta ſit horum defenſio adverſus ejuſmodi calumnias, quibus Eccleſiam à tot annis Jeſuitæ perturbant.

SUBSECTIO NONA.

Concilium V. in ea damnatione, qua Ibæ Epiſtolam damnavit, probabiliter contrarium fuit Concilio Calcedonenſi, à quo Epiſtola illa probabiliter approbata fuit.

NOn fuiſſe quidem contrarium S. Gregorius cum Pelagio I. & II. exiſtimavit, ſed contrarium fuiſſe Vigilius in Conſtitutione ſua (quam Vigilii *Conſtitutum* vocant) cenſuit, cùm dixit, quòd in actis Concilii Calcedonenſis *dilucidè apertéque* (dicamus nos, ſaltem probabiliter, in reverentiam contrariæ opinionis Pelagii I. & II. nec non S. Gregorii) *reperimus, duabus in eadem Synodo actionibus* (nonâ ſcilicet & decimâ) *venerabilis Ibæ examinatum fuiſſe negotium, & relectâ ipſius Epiſtolâ, ipſum orthodoxum declaratum à legatis Apoſtolicæ Sedis, & Patriarchis, Conſtantinopolitano & Antiocheno, quorum locutionibus ceteri Epiſcopi non ſolùm non contradixerunt, verùm etiam apertiſſimum noſcuntur præbuiſſe conſenſum. . . . . Patreſque in ſancta Calcedonenſi Synodo epiſtolam pronuntiaſſe orthodoxam*; quam tamen quintæ Synodi Patres Neſtorianam pronuntiaverunt ; utpote *quæ abnegaret Deum verbum, de ſancta Dei Genitrice Maria Incarnatum, hominem factum eſſe.*

Neque hoc gratis Vigilius dixiſſe videtur. Nam ut legitur Act. IX. Concilii Calcedonenſis, *Paſchaſinus, Lucentius & Julianus, Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter*, (Leonis Papæ legati) *dixerunt : ea quæ geſta ſunt, quorum memoriam fecit Reverendiſſimus Ibas. . . . . proferantur in medium, ut eorum lectione, aut quid*

quid judicandum sit, aut quid definiri oporteat, cognoscamus. Et à secretario Concilii lecta sunt, specialiter Acta in Concilio Tyrio pro Ibâ.

Act. X. *Paschasinus & Lucentius Reverendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter*, tenentes locum Sedis Apostolicæ, *per Paschasinum dixerunt, relectâ epistolâ Ibam Reverendissimum à se orthodoxum judicari. Sic enim in Concilio* Tyrio (post subtilem inquisitionem, ut testantur Concilii Tyrii Acta) *pronuntiatum fuisse. Anatolius Reverendissimus Episcopus Constantinopoleos, nova Roma dixit: Dei amantissimorum Episcoporum, qui judicaverunt, fides, & lectio omnium horum, quæ sunt subsecuta, demonstrant innoxium Ibam Reverendissimum ab accusationibus quæ illatæ sunt in eum.*

Maximus Reverendissimus Episcopus Antiochenus dixit: Ex iis quæ modo relecta sunt manifestum est, quia ab omnibus ei illatis Reverendissimus Ibas innocens est repertus. Relecto quoque rescripto epistolæ, quæ prolata est ab eo qui adversarius ejus extitit, orthodoxa ejus declarata est dictatio.

Ipsis consenserunt Juvenalis Hierosolymorum Episcopus, Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Episcopus Ancyræ-Cappadociæ, Stephanus Episcopus Ephesi, Diogenes Episcopus Cyzici. Denique post plures alios nominatos, *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes eadem dicimus, Nestorium modò anathematizet, Eutychen & ejus dogmata modò anathematizet. Ibas Reverendissimus Episcopus dixit: Et jam scripto anathematizavi Nestorium, & nunc anathematizo eum decies millies. . . Anathema illi, & Eutychi &c.*

Ex his ergo Vigilius rectè videtur intulisse, *examinatum in Concilio Calcedonensi Iba negotium, & relecta ejus epistola, ipsum orthodoxum declaratum &c.* Quod & Liberatus Diaconus Carthaginensis testatur in Breviario suo, dicens, quòd ex Actis Concilii *Iba Epistola orthodoxa pronuntiata monstratur*, quódque *ex ejus tenore dignus judicatus est Ibas Episcopatum suamque Ecclesiam recipere.*

Opinio quidem Pelagii II. & S. Gregoorii fuit, Concilium

cilium Calcedonenſe Act. IX. & X. non fuiſſe legitimum, ſed deſiiſſe eſſe tale poſt Actionem VI. ſolaſque ſex priores Actiones à Leone Magno approbatas fuiſſe, non reliquas.

Sed contraria eſt opinio Vigilii, contrarius quoque totius orbis conſenſus, ſicut & Concilii Calcedonenſis editiones omnes, ac Manuſcripta à Conciliorum collectoribus diligenter conquiſita, etiam Manuſcriptum Monaſterii Acœmetarum, à Ruſtico Diacono tempore Concilii V. Vigilii juſſu (ut credibile eſt) examinatum; Divionenſe quoque à Labbæo & Coſſartio laudatum. Ex quibus omnibus conſtare videtur, Concilium Oecumenicum Calcedonenſe ſexdecim actiones complecti.

In iis quidem S. Leo improbavit ea quæ iſto in Concilio acta ſunt contra Canones Concilii Nicæni, quoad limites Sedium Patriarchalium Alexandrinæ & Antiochenæ. Sed non illa in quibus actum eſt de reſtitutione Epiſcoporum à latrocinio Epheſino per factionem Eutychianorum propter cauſam fidei depoſitorum, quos inter fuerunt Flavianus, Euſebius Doril:enſis, Ibas &c. Cùm ex Leonis epiſtolis appareat, Concilium ob eorum reſtitutionem fuiſſe congregatum, prout Vigilius in Conſtitutione ſua obſervavit. Enimvero tam Ibæ quàm Flaviani cauſa ad fidem ſpectabat, propter quam fuerant depoſiti. Videri poteſt eruditiſſimus auctor Notarum in Paſtoralem Inſtructionem I. Archiepiſcopi Cameracenſis iſta ſolidè monſtrans Nota 137.

Quódque S. Leonis ad Maximum Antiochenum epiſtola 92. aliàs 62. non improbet examen fidei Ibæ factum Act. IX. & X. Concilii Calcedonenſis, prout aliquibus videtur, ipſa iſtius epiſtolæ verba ſatis inſinuant: ſolùm enim nullius eſſe firmitatis dicit, ſi quid à ſuis eo in Concilio legatis, *præter id quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſet. Quia*, inquit, *ad hoc tantùm ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut, excuſſis hæreſibus, Catholicæ eſſent fidei defenſores.* Examen verò fidei Ibæ, ipſiuſque ob fidei cauſam depoſitio ad fidei cauſam æquè pertinebat, ac depoſitio Flaviani, & Euſebii Dorilæi.

læi. Non solas proinde priores actiones sex; sed & sequentes Leo approbavit, exceptis iis quæ acta sunt, contra Nicæni Concilii canones. Unde eadem in epistola simpliciter & sine addito non dicit: *Quidquid præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem*; sed cum addito immediatè sequenti, *Si nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam definitum.* Nec certè quidquam aliud tota ea in epistola & in aliis epistolis suis Leo in Actis Concilii Calcedonensis improbat nisi Canonem 28. propterea quòd Concilii Nicæni Canonibus opponeretur, prout eruditè observat Petrus de Marca in sua Dissert. de Prim. Const. Noluit quippe Leo magnus à Concilio Calcedonensi quidquam immutari de iis quæ apud Nicæam definita fuerant. Atque hoc in mandatis dederat legatis suis, qui propterea immutationi illi restiterunt. Sed dummodo Nicæni canones servarentur illæsi, permisit causas, etiam personales laudatorum Episcoporum, à Concilio Calcedonensi judicari. Unde & eas cum aliis Concilii Patribus Legati ipsius judicarunt, prout constat ex Actis; non judicaturi haud dubiè, si id in mandatis Leo perinde dedisset, ac circa limites Patriarchalium sedium non immutandos dederat.

Ex his itaque valde probabile videtur definitionem Concilii V. quoad epistolam Ibæ contrariam esse definitioni Concilii Calcedonensis, per quam probata fuit. Nec contrariam quoad hoc opinionem suam Pelagius II. (nec per consequens S Gregorius) certam existimavit, & indubitatam. Imò dubitabilem, ut patet ex alternativâ qua ad objectionem Episcoporum Istriæ, approbationem illam allegantium, respondens in prolixa sua ad ipsos epistola, *Quòd*, inquit, à Concilio Calcedonensi *epistola illa approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstratur.* Certè quod non admodum difficulter, colligi videtur ex præmissis.

Porro si judicium criticum Concilii V. de epistola Ibæ contrarium fuit judicio Concilii Calcedonensis de eadem, utrumque ergo judicium fallibile fuit, nec fideles ma-

magis obligati ad ſequendum unum, quàm alterum; nec proinde reprehenſibiles, qui cum Concilio Calcedonenſi non credunt Neſtorianam hæreſim in epiſtola Ibæ contineri; tametſi contrarium definierit Concilium V. Nec per conſequens etiam alia juſta de cauſa non cœco more judicium ſuum non ſubmittunt critico judicio, vel duorum Romanorum Pontificum, vel Eccleſiæ, de continentia damnati erroris in libro privati cujuſpiam Authoris, dum id evidens non eſt, ſeu notorium, ſed Catholicos inter Doctores controverſum, dummodo error ab Eccleſia damnatus ab ipſis corde & ore ſincerè damnetur. Neque enim Orientales Epiſcopi ſe crediderunt obligatos ſequi judicium criticum Concilii Calcedonenſis quoad epiſtolam Ibæ, ſed illi contradixerunt, non ſolùm in Concilio V. ſed & ante illud in Concilio non Oecumenico anni 547. de quo Subſect 7. Concilium quoque Conſtantinopolitanum I. can. I. judicio Concilii Sardicenſis contradixit quoad libros Marcelli Ancyrani.

SUBSECTIO DECIMA.

Nec hæretici ſunt, nec de hæreſi meritò ſuſpecti, nec iniquitatis filii, nec Eccleſiæ inobedientes, qui Honorii Papæ Epiſtolam, à Concilio VI. VII. & VIII. ſicut & à pluribus ſummis Pontificibus damnatam, contra Eccleſiæ definitionem Catholico ſenſu intelligunt, & ſic intellectam contra Eccleſiæ definitionem defendunt. Igitur nec qui Janſenii Auguſtinum. Nec iſti ſine calumniâ, judicioque temerario, magis dici & judicari poſſunt id maligna intentione facere, quàm illi.

HOnorium Papam à Conciliis Oecumenicis VI. VII. & VIII. à pluribus quoque Romanis Pontificibus damnatum anathematizatumque fuiſſe, velut qui Monotheliticam hæreſim tradiderit in Epiſtola ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum conſcriptâ, notum eſt omnibus in Hiſtoria Eccleſiaſtica peritis, fatenturque Ba-

Baronius, Bellarminus aliique graviſſimi Scriptores Eccleſiaſtici. Ipſum nihilominus, Epiſtolamque ipſius, adverſus Conciliorum omnium Romanorumque Pontificum definitionem (Eccleſia hoc non improbante) defendunt Eminentiſſimi ſcriptores illi poſt Anaſtaſium Bibliothecarium, Cardinalemque Turrecremata; defendunt & alii Theologi, Scriptoreſque benè multi, iique ex omni Univerſitate, Ordine & Natione præſtantiſſimi, nec pietate minùs quàm doctrina conſpicui, ſcilicet Severinus Binius in Notis ad vitam Honorii Papæ to. 5. Concil. Labb. pag. 1679. Jacobus Sirmondus Soc. Jeſu in admonitione ad lectorem, quæ habetur ibidem pag. 1758. Philippus Labbeus ex eadem Soc. in obſervatione præfixa diſputationi S. Maximi ibidem pag. 1782. Et in alia obſervatione ibid. pag. 1768. Gretzerus ex ead. Soc. in Defenſ. Bellarmini l. 4. de Sum. Pont. c. 2. Petavius ex ead. Soc. lib. 1. Dogmat. Theolog. de Incarn. c. 21. n. 11. 13 14. Brietus ex ead. Soc. in parvis ſuis Annal. ad Annum 681. Franciſcus Veronius & ipſe Jeſuita in Regula fidei Cathol. c. 1. § 4. cumque ipſo Illuſtriſſimi Fratres DD. de Walemburch, qui eximium Veronii opus ſuum fecerunt. Didacus Payva Andradius in ſua defenſ. Tridentinæ fidei l. 2 edit. Colon. anni 1580. pag. 249. Malderus Epiſcopus Antverp. diſp. 7. de fid. q. 1. Nicolaus Coeffeteau ex Ord. Prædicat. electus Epiſcopus Maſſil. in l. cui titulus *Examen des progrès & des oppoſitions* p. 388. Jacobus Jaubert de Barrault Epiſcopus Vaſat. deinde Archiepiſcopus Arelatenſis in Clypeo fidei to. 1. cap. 10. §. 17. Illuſtriſſimus Godellus Epiſcopus Vencienſis in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum 601. Stapletonius to. 1. controverſ. 3. q. 5. Dominicus Gravina in ſuo *Cherubim Paradiſi*. Joannes à S. Thoma de author. ſum. Pontif. diſp. 1. a 4. Gonet de virt. Theol. diſp. 4. a 1. ſect. 3. Contenſon in diſſert. præamb. de locis Theol. c. 2. Matthias Hauſeur in collect. totius Theol. c. 5. q. de Papa & Concil. Wiggers diſp. de ſum. Pontif. n. 222. 226. & 227.

Unius Godelli verba referre ſufficiet, qui loco memorato ſic loquitur? *Concilium VI. errare potuit* (in eoque, ut

ut antè dixit) *Doctores omnes* consentiunt *in interpretanda Honorii Epistola ; deque eo facto disceptare licet.* Et infrà : *Plurimi Scriptores Catholici purgant Honorium ab ea hæresi, cujus fuit ab Oecumenico Concilio condemnatus.*

Nonnullorum quidem, ut Joannis Garnerii & Natalis Alexandri opinio est, Honorium à Concilio VI. cum Epistola sua damnatum non fuisse ut hæreticum, sed ut hæreseos & hæreticorum negligentiâ suâ fautorem. Sed nimis perspicua sunt in contrarium Concilii VI. verba, Act. XIII. *Retractantes dogmaticas epistolas à Sergio tam ad Cyrum, quàm ad Honorium. . . . . & epistolam. . . . . ab Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitione Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem* (id est eorumdem) *impia execramur dogmata, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est Sergii, Cyri, Pyrrhi. . . . . Cùm his verò simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa Antiquæ Romæ ; eò quòd invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Propter quod rursus Act. XVIII. Honorius cum aliis hæreticis anathemate feritur : *Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio & Honorio Anathema* &c. Putantne Garnerius & Natalis Alexander Romanum Pontificem à Concilio Oecumenico aliam ob causam anathemate feriri posse, & ab Ecclesia Catholica projici, quàm ob hæreseos causam ? Negat hoc Adrianus II. cum Synodo Romana, in Concilio laudata Act. 7. Et nonne visibile est Honorium, perinde ut Sergium, Cyrum &c, à Concilio VI. hæreticum pronuntiari ?

Propterea alii existimant Concilii VI. Acta, quoad Honorium à Græcis esse vitiata & corrupta. Sed nec hoc probabile est ; ob ea quæ dicta sunt Artific. XIII. sect. 4. p.

4. p. 281. Alii denique aiunt Honorii ad Sergium epiſtolas decretales non eſſe, neque *ex Cathedra S. Petri* profectas, ſed privatas duntaxat.

Sed & hoc ibidem confutatum eſt: neque enim Honorius à Sergio conſultus fuit, ut privatus, ſed ut Pontifex Romanus, ut Epiſcopus Epiſcoporum, ut Eccleſiæ Caput, in Petri Cathedra ſedens. Nullæ proinde veterum Pontificum epiſtolæ cenſeri poſſent decretales, ſi talis epiſtola illa Honorii cenſenda non eſſet. Quidquid tamen de eo ſit, ex Honorii facto conſtat, privati Scriptoris librum, vel ſcriptum, ab Eccleſia ſeu Concilio Oecumenico condemnatum, velut hæreſim continentem, ab hæreſi abſque hæreſeos ſuſpicione, ſicut & abſque omni iniquitate & inobedientia defendi excuſarique æquè poſſe, ac Honorii ad Sergium epiſtolas; quas Eccleſia non permitteret à laudatis authoribus defendi, atque excuſari, ſi crederet hæreticum eſſe negare quòd Monothelitarum hæreſis iis in epiſtolis contineatur, poſtquàm eam in epiſtolis illis contineri Concilia ſuprà dicta, & Pontifices definierunt. Aſt hoc Eccleſia non credit: quia hoc non eſt negare veritatem divinitùs revelatam, fide proinde credendam, ſed factum non revelatum, quod admiſſâ fidei veritate negari poteſt, dicendo v. g. *Damno Monothelitarum hæreſim, ſed non credo eam in damnatis Honorii epiſtolis contineri. Damno & hæreſim Neſtorii, ſed non credo Theodoretum eam docuiſſe in ſuis adverſus S. Cyrillum ſcriptis.* Quidni ergo ſimiliter admiſſâ in omnibus fide Catholica dici queat: *Damno quinque hæreſes, ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. damnatas, ſed non credo eas in damnato Janſenii Auguſtino contineri?* Eſt enim quoad hoc ſimilis omnino trium illarum propoſitionum ratio. Non magis proinde hæreticus eſt, vel de hæreſi rationabiliter ſuſpectus, nec magis iniquitatis filius, vel Eccleſiæ inobediens eſt quiſpiam, ex hoc præciſè quòd id poſt Pontificiam definitionem de Janſenii Auguſtinò non credat, vel de eo dubitet, quàm ex hoc præciſè quòd illud non credat de ſcriptis illis Theodoreti, vel de eo dubitet, poſt definitionem Concilii V. vel de allegatis Hono-

norii epistolis post definitionem Concilii VI. Vel si hæreticus censendus sit, vel de hæresi suspectus, vel iniquitatis filius & Ecclesiæ inobediens quisquis post Pontificiam definitionem non credit quinque propositiones in Jansenii libro contineri, vel de eo dubitat, similiter hæreticus erit quisquis post Concilii V. & VI. definitionem non credit Nestorianam hæresim contineri in scriptis Theodoreti, vel Monotheliticam in Epistolis Honorii, vel qui de eo dubitat. Quo dato hæretici, vel de hæresi suspecti, atque iniquitatis filii, & Ecclesiæ inobedientes erunt Anastasius Bibliothecarius, Turrecremata, Baronius, Bellarminus, Binius, Sirmondus, Petavius, totque alii, tamque præstantes Scriptores proximè laudati. Quod cùm absque temeritate magna dici nequeat, certissimè dicendum est, de fide non esse, Honorium in duabus suis ad Sergium epistolis Monotheliticam hæresim docuisse, non obstante in contrarium Concilii VI. VII. & VIII. definitione: aliàs de fide esset, quòd eam tradidisset ut Romanus Pontifex, in Cathedra S. Petri sedens: quomodo à Sergio consultus fuit. Id consecuturum viderunt Scriptores memorati, & ideo admittere maluerunt, Concilium VI. VII. & VIII. in facto isto (licèt doctrinali) definiendo errasse, quàm Papam ut Papam, in Cathedra S. Petri sedentem, errasse in fide. Nec in eo ipsos Ecclesia reprehendit, nec pro hæreticis vel de hæresi suspectis habet, nec pro inobedientibus &c, sed ipsis in sensu suo contra *Concilium illorum* definitionem illam abundare, eique contradicere permittit. Manifestum proinde videtur, Ecclesiæ usum ac sensum non esse pro hæreticis, vel de hæresi suspectis, nec pro inobedientibus eo ipso filios suos habere, quò judicium suum de facto non revelato, obscuro & controverso ipsius Ecclesiæ judicio non submittunt, sed vel de ejus veritate dubitant, vel ei justa de causa contradicunt.

SUB-

SUBSECTIO UNDECIMA.

Idipſum oſtenditur ex eo quòd nec hæretici ſint, nec de hæreſi ſuſpecti, nec Eccleſiæ inobedientes, qui definitioni Concilii Lateranenſis IV. non acquieſcunt quoad factum Abbatis Joachim.

TAmetſi Abbatis iſtius libellum de unitate ſeu eſſentia Trinitatis, adverſùs Magiſtrum ſententiarum ſcriptum, Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. damnaverit, velut continentem ſententiam hæreticam, negantem utique quòd *una quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, quod profectò factum eſt doctrinale. Libelli nihilominus iſtius, Abbatiſque Joachim defenſionem Gregorius de Laude, Abbas & ipſe Benedictinus, ſuſcepit in vita ipſius, quam anno 1664. publicam fecit, in qua ſententiam quidem negantem quòd *una quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, & ipſe damnat, ſed eam in libello Abbatis Joachim contineri negat; judicio proinde Concilii Lateranenſis non acquieſcit.

Cúmque iſta de cauſa liber ipſius ad Tribunal S. R. generalis Inquiſitionis delatus fuiſſet, in eoque diſtrictiſſimè examinatus, indemnatus ex Tribunali illo exivit, abſque alia correctione, quàm quòd loco verborum iſtorum, *Benè tamen intendimus Joachim innocentiam defendere*, contra judicium Concilii Lateranenſis; ponere juſſus fuit, *Conabimur tamen, ſi fieri poteſt, Joachim defendere.* Cum qua ſola correctione certum eſt quòd liber ipſius indemnatus non exiiſſet, ſi judicio Eminentiſſimi iſtius Tribunalis hæreticum fuiſſet, vel de hæreſi ſuſpectum, vel contra obedientiam Eccleſiæ debitam, libellum Abbatis Joachim contra definitionem Concilii Lateranenſis defendere; quia eo dato Eminentiſſimi DD. Inquiſitores Gregorio Laudenſi permiſiſſent dicere. *Conabimur tamen, ſi fieri poteſt, hæreſim, vel aliquid de hæreſi ſuſpectum, contra obedientiam Eccleſiæ debitam defendere.* Quod cùm certo certiùs ipſi non per-

permiſerint, per conſequens certo certius videtur, quòd conari defendere illum contra definitionem Concilii Lateranenſis, non ſit hæreticum, nec de hæreſi ſuſpectum, nec contra obedientiam Eccleſiæ debitam, dummodo hæretica ipſa propoſitio nec defendatur, nec temerè, id eſt, abſque rationabili fundamento in damnato illo libro contenta eſſe negetur.

Porrò inter factum iſtud & Janſenianum, nullum quoad hoc apparet diſcrimen, nullumque revera eſſe ſolidè oſtendit liber inſcriptus: *Defenſio fidei Catholicæ adverſus illuſiones ſcripti nuperrimi &c.*

Eſtque obſervatu dignum, quòd licet Gregorius de Laude pag. 28. libri præfati dixerit, *Neminem ſcandalizari debere ex iis quæ dicturus erat, cùm ſummum ſit diſcrimen inter defenſionem propoſitionis damnatæ velut hæreticæ, & defenſionem quæ ſuſtinet, Abbatem Joachim non docuiſſe propoſitionem illam*, iſtudque poſterius ſuſtineri poſſe probaſſet ex Gravina, dicente, quòd Eccleſia errare poſſit in judicio de factis ejuſmodi. Id intactum Eminentiſſimi reliquerunt, non relicturi ſi ipſis indefenſabile viſum fuiſſet.

SUBSECTIO DUODECIMA.

Poſtremò id oſtenditur ex aliis factis à Facundo enarratis.

SUfficiunt quidem facta & exempla ſuperiora, ad demonſtrandum, quòd uſque in præſentem controverſiam Eccleſiæ ſenſus & uſus non fuerit, eos credere hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, vel Eccleſiæ inobedientes, qui bona fide vel benè ſentiunt de libro quem Eccleſia damnavit, velut hæreſim continentem; vel malè de eo quem Eccleſia abſolvit, velut nihil continentem alienum à Catholica fide; bona (inquam) fide, id eſt abſque temeritate & prava intentione viam ſibi ſternendi ad fovendum animo errorem, ſed vel quia cognita ſibi veritas ipſis perſuadet, ſequendam ſibi eſſe Regulam iſtam Sanctorum, nominatim S. Ignatii Fundatoris So-

cietatis, apud Lancitium *opusc. spir. 19. c. 4. Christianum unumquemque pium oportet promptiore animo sententiam alterius, etiam ambiguam, in bonam trahere partem, quàm damnare.* Vel quia ipsamet libri lectio ipsos ad oculum convincit. Quomodo S Basilius Marcelli Ancyrani librum, contra Concilii Sardicensis, & Julii I. judicium damnavit

Econtrario de Origenis Libris ab Anastasio Papa damnatis, contra ipsius & Concilii V. judicium, S. Posthumianus, Pamphilus Martyr, Didymus &c. benè senserunt, sicut & de tribus Capitulis S. Isidorus, S. Columbanus, S. Secundinus, torque alii, contra judicium ejusdem Concilii V. Et de Honorii epistolis Anastasius Bibliothecarius, Baronius, Bellarminus &c. contra judicium Concilii VI. VII. & VIII. Quos non ideò Ecclesia hactenus credidit hæreticos, nec in fide suspectos, nec Ecclesiæ inobedientes, arrogantes, superbos &c. Enimverò, ut optimè Facundus Hermianensis Episcopus (qui sæculo sexto floruit, atque ob eruditionem magnam à S. Isidoro plurimùm fuit collaudatus) l. 5. c. 3. *Aliud est ideo hæreticum* (hominem, vel librum) *excusare, quòd Catholicus putetur, & aliud improbare & reprehendere catholicam fidem. Nam potest castitatis approbator atque dilector, non approbata fornicatione, fornicatorem, dum in persona fallitur, approbare, &, non improbata castitate, castum, dum in persona similiter fallitur, improbare.*

Hinc l. 2. c. 4. excusat Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum, qui contra S. Cyrillum, post Concilium Ephesinum, duriùs scripserat: *Gennadius*, inquit, *de Cyrillo sic non scriberet, nisi dicentis intentionem minùs intellexisset. . . . . Potuit enim & ipse de Christianâ religione quæ recta sunt credere; non intellectum B. Cyrillum bona intentione culpare.*

Eodem modo l. 5. c 3. excusat S. Anatolium, qui perfidum Dioscorum pro fide damnatum esse negaverat: *Non ipsam perfidiam Dioscori S. Anatolius approbavit, sed eum potius ab ea perfidia fieri voluit excusatum. . . . . Nam sicut non ideo Eutychiani in sui dog-*

dogmatis crimine defenduntur, quia putantes Antiquos Patres id credidiſſe, quod ipſi peſſimè credunt, approbant eos, quorum fidem impugnant: ita non ideo Anatolio Eutychiani dogmatis crimen impingendum eſt, quòd Dioſcorum vel putavit, vel excuſavit, quaſi à culpa Eutychiani dogmatis alienum: cùm ipſum Eutychianorum dogma confutaverit atque damnaverit.

Similiter l. 6. c. 5. Joannem Antiochenum & Orientales excuſat, * qui ſanctum damnaverant Cyrillum; quia nempe *in perſona potiùs B. Cyrilli, quàm in ipſa fidei regula fallebatur. Aliud eſt enim* (ait ibidem c. 1.) *cùm de hujuſmodi perſona*, vel ſcriptis ipſius, *falsò aliquid creditur; aliud verò cùm de ipſo fidei fundamento malè ſentitur.*

Quemadmodum *aliud eſt, ſi quiſquam in hæretico dolos ſuos occultante fallatur* (ait l. 7. c. 31.) *aliud ſi ipſam hæreſim agnitam ſectetur atque defendat.* Quod variis demonſtrat exemplis, utique Timothei, Apollinaris diſcipuli, quem S. Athanaſius laudavit, & S. Damaſus, ab ipſo deceptus, in communionem ſuam recepit. Nec non Pelagii, qui Palæſtinos Epiſcopos, & Celeſtii, qui Zoſimum Papam decepit &c.

Idque maximè verum eſt, dum necdum evidens eſt ac notorium, ſed adhuc obſcurum & ambiguum, quòd talis vel talis malè ſentiat. Quia, ut optimè Pelagius II. in epiſt. ad Epiſc. Iſtriæ: *Vos ſcitis, dilectiſſimi, quòd res, quæ dubietati ſubjacet, in partem ſemper eſt interpretanda meliorem. Quid itaque obſtat, ſi dum ejus* (Theodoreti) *error occultus adhuc & dubius fuit, ab uno Patre laudatus eſt. . . . An non & malos à bonis aliquando laudatos novimus? . . . . . Quid namque Origene deterius, & quid in Hiſtoriographis inveniri Euſebio honorabilius poteſt? Et quis noſtrûm neſciat in libris ſuis quantis Origenem laudibus & præconiis attollat? Non ideo tamen Euſebium laudati Origenis culpa damnavit &c.*

Ecce quot quámque ineluctabilibus; (ut videtur) argumentis demonſtratur ſeparabilitas dogmatis fidei à facto obſcuro & controverſo, etiam doctrinali,

etiam ab Ecclesia definito, debellaturque ac funditus evertitur commentitia novæ incudis hæresis, à Jesuitis contra Antiquos omnes ad res suas stabiliendas excogitata. Ad ea ipsi solidè respondeant, si possint. Si non possint, digitum ori imponant, virisque innocentibus calumniam affingere desinant, nisi haberi velint Ecclesiæ per calumnias suas perturbatores, maledici, & agnitæ veritatis impugnatores. Quid namque evidentius, quàm duo ista: *Credere hunc vel illum hominem, vel librum*, ab errore ipsi *ab Ecclesia attributo esse innocentem*, & *credere errorem istum*, esse inter se magis distantia, & separabilia, quàm sint cœlum & terra? De veritate tam palpabili si dubitasset Pelagius II. laudatores & excusatores Origenis ac Theodoreti eo ipso credidisset sectatores errorum utriusque, defensoresque omnes trium Capitulorum eo ipso credidisset Nestorianæ hæreseos sectatores. Verùm hoc ipse non credidit, nec successor ipsius Gregorius Magnus. Aliàs uterque non dixisset, in Concilio V. de fide actum non esse, sed de personis solummodo, seu personarum textibus doctrinalibus. Nec uterque cum Pelagio I. controversiam de tribus Capitulis, *quæstionem superfluam*, & *nullius* ad fidem *momenti* nuncupasset, nec nuncupare potuisset. Imò trium Capitulorum defensores, eo ipso à fide alienos, hæreseosque defensores censuisset, quo definitioni Concilii V. contradicentes. De his tamen omnibus, Beatissime Pater, judicium sit penes Sanctitatem tuam.

SUBSECTIO DECIMA TERTIA.

Humillima ad S. D. N. Clementem XI. supplicatio.

IGitur ad Sanctitatis Tuæ pedes provoluti fideles Filii Tui, Beatissime Pater, quàm humillimè supplicant, jussu vestro distinctè examinari superiora argumenta, & quid ex iis legitimè concludatur considerari; an scilicet legitimè non concludatur, quòd Ecclesiæ usus ac sensus hactenùs non fuerit, virorum aliàs orthodoxorum fi-

fidem ideo præcisè ſuſpectam habere, vel ipſos iniquitatis filios & Eccleſiæ rebelles, ſeu inobedientes reputare, qui ipſius Eccleſiæ fidem in omnibus ac per omnia tenentes, hæreſeſque omnes ab ipſa damnatas & ipſi toto corde & ore damnantes ac deteſtantes, ſeſeque damnare ac deteſtari palàm profitentes, ideo, inquam, præcisè fidem ipſorum ſuſpectam habere &c, quòd ob cauſas viſas ſibi graviſſimas, non credant in libro privati cujuſpiam Authoris hæreſes contineri, quas in eis contineri judicio fallibili Eccleſia definiiſſe ſupponitur.

Quaſi verò nullus orthodoxus judicium ſuum fallibili Eccleſiæ judicio quoad ejuſmodi facta non revelata, cœco more poſſit non ſubmittere, niſi eo ipſo legitimè ſuſpectus de mala fide, ſeu perverſa intentione hæreſim animo fovendi. Contrarium, Beatiſſime Pater, argumenta illa totque Sanctorum, & præcipuorum Doctorum, apprimè orthodoxorum exempla clarè ac perſpicuè videntur demonſtrare, ſicut & rationes, authoritateſque Subſectione decima quarta ſubjiciendæ, ſuper quibus audiri, & ratione duce doceri, pari ſupplicant humilitate; ſperantes quòd clementiſſima Beatitudo Tua imitari non dedignabitur exemplum clementiamque Sanctiſſimorum Prædeceſſorum ſuorum Pelagii I. & II. nec non Gregorii Magni, quoad modum quo ſe geſſerunt cum Catholicis trium Capitulorum Defenſoribus; atque hoc pacto os obſtruere hæreticis loquentibus iniqua, Romanoſque Pontifices calumniantibus, quaſi haberi velint velut Dei, dominantes in cleris cum auſteritate & imperio, ſupra humanam rationem & conſcientiam, eamque velint ſibi, non ſoli Deo eſſe captivandam.

SUBSECTIO DECIMA-QUARTA.

Proferuntur quatuor Argumenta probantia, nec rationi consonum videri, nec aequitati, ob id solum viros orthodoxos de perversa intentione haresim animo fovendi suspectos, vel filios iniquitatis & Ecclesiæ rebelles seu inobedientes habere, quod ob visam sibi rationem gravissimam, judicium suum cœcâ obedientia non submittant judicio Ecclesiæ de facto aliquo doctrinali non revelato, ex se non claro, sed obscuro & inter Catholicos controverso.

ARgumentum primum. Tametsi Christiana humilitas, pietas & obedientia à cunctis fidelibus exigat, ut temerè, id est absque urgenti ratione judicium suum non opponant judicio Pastorum superiorumque suorum, Romani præsertim Pontificis & Ecclesiæ, nec absque justa dubitandi ratione in dubium revocent id quod ab ipsis solemni judicio, licèt fallibili, est definitum; à cunctis tamen fidelibus non exigit, ut iis in causis, in quibus falli possunt, ad effugiendam arrogantiæ, vel præsumptionis, aut inobedientiæ notam, judicium suum, judicio ipsorum cœco more semper submittant. Cùm de oppositio constare videatur 1. ex perpetuo Ecclesiæ sensu & usu in superioribus Subsectionibus demonstrato. 2. ex exemplis & doctrina Sanctorum. 3. ex communi doctrina & praxi magni nominis Theologorum.

Nam (quod ad Sanctos attinet) S. Cyprianus, cumque ipso tria numerosissima Africana Concilia, licèt Stephani Papæ supra se superioritatem agnoscerent, in quæstione tamen de Baptismo apud hæreticos suscepto, tunc admodum controversa, non credidit se debere judicium suum ex Christiana humilitate, pietate & obedientia, contra sibi occurrentes graves dubitandi rationes submittere judicio Stephani, quod ideò fallibile existimabat, quia pro sententia suâ nullum Scripturæ sacræ locum allegabat, sed solam traditionem, quæ Cypria-

no

no videbatur traditio seu consuetudo purè humana (non Apostolica) cui Cyprianus multa opponebat Scripturæ testimonia, quæ humanæ illi traditioni videbantur anteponenda. Stephani quoque judicio non cessit Firmilianus Cæsareæ Episcopus, cum multis Cappadociæ & Ponti Episcopis, nec S. Dionysius Alexandrinus, nec S. Basilius, ut videre est in epistola ipsius ad Amphilochium can. 1. Cyprianum nihilominus excusabilem Augustinus l. 2. de bapt. contra Donatist. cap. 4. ideo censuit, quia illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium nondum fuerat. Quippe *nec nos ipsi*, ait Augustinus, *tale aliquid auderemus* asserere (id est Baptismum ab hæreticis collatum approbare) *nisi universæ Ecclesiæ concordissimâ authoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctum, quanto citiùs ipse, cùm Concilio provinciæ suæ, universi Orbis authoritati patefacta veritate cessisset.*

Nec alia desunt Sanctorum exempla, Subsectionibus præcedentibus exhibita, sanctorum utique Basilii, Chrysostomi &c, qui judicium suum non submiserunt judicio Julii I. Concilliique Sardicensis quoad factum Marcelli Ancyrani; Sanctorum Isidori, Columbani, Secundini, totque aliorum, qui etiam judicium suum non submiserunt judicio Concilii V. nequidem post approbationem Vigilii, Pelagii I. & II. nec non Gregorii Magni, quoad condemnationem trium Capitulorum.

Et nonne Augustinus, qui supra memoratum Stephani Papæ decretum non ignorabat, loco proximè relato dixit, se equidem Baptismum ab hæreticis collatum non approbaturum, nisi sententia approbans *universæ Ecclesiæ concordissima authoritate firmaretur?* Nonne Robertus Episcopus Lincolnienſis, pietate & scientiâ celebris adversus clausulas quasdam derogatorias, à Romanis Pontificibus tunc Bullis suis inferi solitas, Papæ

scripsit se eas non recipere: *Filialiter & obedienter non obedio, contradico, rebello?*

Nonne & Episcopi Gallicani omnes (quos inter nonnulli vitæ sanctimonia illustres) in generali Conventu anni 1650. adversus Breve Urbani VIII. de anno 1631. (quo causa nonnullorum ex ipsis quatuor duntaxat Episcopis dijudicanda committebatur) solemniter, reverenter tamen, protestati sunt, in epistola ad Innocentium X. scribentes: *Hactenus inauditum haud minus quàm invisum, adeò iniquis artibus Romanæ Sedis authoritatem circumveniri, Cleri privilegia violari, temerari sua enimvero jura, Ecclesiæ verò universæ imminui Majestatem?* Nec hoc in Gallia novum; si quidem Illustriss. de Marca in suo tract. De concordia Sacerdotii & Imperii *l.* 4 *c.* 8. probat solitam olim Ecclesiam Gallicanam Synodica deliberatione sibi contra decretorum Romanorum executionem prospicere, *cùm rebus per obreptionem Romæ decretis assentiri non posset, idque ut executionem impediret.*

His accedit doctrina Sanctorum; præterquam enim quod Pelagius II. in epist. ad Episcopos Istriæ dicit, quòd epistolam Ibæ licenter unusquisque *reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio* Calcedonenli *residentes, suis illam subscriptionibus approbassent*; Augustinus l. 2. de bapt. contra Donat. c. 3. *Quis nesciat*, inquit, *Episcoporum litteras, quæ post confirmatum canonem Scripturarum vel scriptæ sunt, vel scribuntur, per sermonem fortè sapientiorem* CUJUSLIBET IN EA RE PERITIORIS. . . *licere reprehendi. . . . . sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana.* Quod quidem dicit respondendo ad objectionem Donatistarum objicientium Cypriani de hæreticorum Baptismo sententiam, Cyprianique Concilium Africanum. Docet proinde etiam post latum à Cypriano Concilioque ipsius de baptismo illo judicium, licitum esse non solùm Episcopis, pari cum Africanis authoritate præditis, sed & cuilibet ea in re peritiori illud reprehendere, si fortè à veritate deviaverit; id, inquam, fieri

post-

poſſe abſque ullo typho ſuperbiæ &c. Ipſum etiam Papam reverenter aliquando reprehendi poſſe, paulò poſt inſinuat, Cypriani factum probans, qui *Petrum laudat & prædicat, ab uno poſteriore Collega patienter concorditerque correctum.*

Cumque Donatiſtæ ſibi in animum induxiſſent, ad ſe non pertinere ſchiſmatis culpam; ſi qua eſſet, ſed totam ad Epiſcopos ſuos pertinere, quos cœca obedientia velut oves ſequebantur, *Videte*, inquit Auguſtinus, ſerm. 47. *quid eis perſuaſerint, ut dicant: Illi de nobis reddent rationem: nos oves ſumus, quò duxerint, ſequimur.* Errorem iſtum Auguſtinus refellit ſerm. 46. in cap. 34. Ezech. quia Chriſtus Matth. 15. *Terret non ſolùm cœcum ducentem, ſed & cœcum ſequentem Neque enim ait, Cadit in foveam ducens, & non cadit ſequens; ſed*„ Cœcus cœcum ducens; ambo in foveam cadunt.„ Et paulò poſt: *Securi (inquiunt) ſequimur Epiſcopos noſtros. Dicunt hoc ſæpè hæretici, quando veritate manifeſtiſſima convincuntur. Nos oves ſumus. Illi de nobis reddent rationem. Reddent planè malam de morte veſtra.*

Similiter D. Bernardus in epiſtola ſua ad Adamum Monachum, qui ſuum è Monaſterio ſeceſſum excuſabat obedientiæ prætextu, quia ſcilicet Abbatis ſui juſſu, & Romani Pontificis conceſſu ſeceſſerat. *Quid enim ad me*, inquiebat, *ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat. Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorem.* Pro ſe etiam allegabat *Romani Pontificis graviorem authoritatem, cujus* aiebat *ſe præmunitum licentiâ. Quomodo*, inquit Mellifluus Doctor, *vel Abbatis juſſio, vel Papæ permiſſio, licitum facere potuit quod purum malum fuit? . . . . Inanis eſt excuſatio de humana obedientia, ubi in Deum convincitur facta tranſgreſſio. . . . . Hanc ego nunquam æmuler obedientiam. . . . . Talis ſiquidem obedientia omni eſt contemptu deterior.*

Tunc per ironiam exagitans ipſius ſimplicitatem, ſeu ſimplicem cœcamque obedientiam: O, inquit, *iſtorum*

temporum Paule simplex! Si tamen & ille alterum se exhibuisset Antonium, ut quidquid vel leviter de labiis ejus procederet, necesse non haberes discutere, sed sine cunctatione ad omnia nihil hæsitans obedires. O Monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet seniorum verbulis ne unum quidem iota prætervolet! Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: „ Omnia probate, quod bonum est, tenete. *Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii:* „ Estote „ prudentes sicut serpentes, *sufficiente quippe quod sequitur* „ & simplices sicut columbæ. *Nec dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, ubi nihil juberi deprehenditur divinis contrarium institutionibus; sed necessariam assero & prudentiam, qua advertatur si quid adversatur; & libertatem qua & ingenuè contemnatur. Ceterum iste, nihil, inquit, habeo interrogare; viderit ille quid jusserit. Dic, quæso, si dato in manus gladio suum te armari jussisset in jugulum, acquievisses? Aut si se tuo voluisset impulsu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperasses? . . . . . O odiosa perversitas, obedientia virtus, qua semper militat veritati, adversus veritatem accingitur? . . .*

Alterum verò excusationis caput, quod Adam prætendebat ex concessa sibi à Romano Pontifice licentia, Bernardus refellit ex eo quòd adversus fallibilem Romani Pontificis authoritatem *proferatur authoritas ejus, cui animo fas non est contradicere, summi nempe Pontificis illius, qui* „ per sanguinem proprium *solus* semel introi- „ vit in sancta. *Nunc vero quis apertè non videat, quàm inhumanè humanam jussionem divinæ prætuleritis? Quod quidem audere, quis nisi amens dicere audeat bonum esse, aut bonum fieri posse, quantalibet dignitatis homine præcipiente? . . . Numquid ideò aut malum esse desit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit. . . Quod tamen summum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Ante Bernardum Auxilius l. 2. de ordin. Formosi. c. 8.

8. Stephano VII. omnes à Formoſo Papa, ordinatos jubenti iterum ordinare, ſicut & Sergio III. idipſum ſub pœna excommunicationis præcipienti ſeſe oppoſuit. Cúmque ferè omnes Sergio obtemperantes iteratam ordinationem ſuſcepiſſent, culpamque omnem, non ſibi ſed Pontifici adſcribendam prætenderent, qui ipſos primam ordinationem irritam agnoſcere, & ſecundam ſuſcipere compuliſſet: ipſos redarguit Auxilius ex hac Domini ſententia: *Si cæcus cæco ducatum præſtet* &c. atque ex eo quòd vas electionis dicit Rom. I. *non ſolùm qui prava faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte* perpetua Ipſis ergo negavit licitum, cæcis oculis obedire, & ſequi judicium illud Stephani VII. & Sergii III. addens quòd ipſos oportebat potiùs pro veritate ad mortem uſque certare.

Itaque ſecundùm doctrinam Sanctorum Chriſtiana obedientia non poſtulat, ut fideles obediant, dum id quod præcipitur contra veritatem eſt, vel contra juſtitiam. Enimverò *obedientia virtus eſt*, quæ ſemper innititur veritati, nunquam adverſus veritatem, uti ſupra nos D. Bernardus edocuit. Cujus ſententiæ rationem Apoſtolus ſuggerit 2. Cor. 13. 8. quia nullus ſuperior, ne Papa quidem, nec Eccleſia, præcipere poteſt, ut aliquid fiat, vel credatur contrarium veritati: *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Si quibus ergo evidenter appareat contrarium ejus quod Papa vel alius ſuperior credi vult eſſe contentum in tali vel tali libro, obedientia non poſtulat, ut in eo ipſi credatur. Quia vera obedientia poſtulare non poteſt ut credatur aliquid contrarium veritati evidenter cognitæ (cùm hoc ſit impoſſibile) nec id Papa præcipere poteſt; ſed tunc pietas & reverentia ipſi debita poſtulat, ut præſumatur malè informatus, ſive circumventus ab iis qui librum malè intellexerunt. Neque enim Papa per ſe legere ſolet grandes ſaltem libros, quos condemnat, ſed per Cenſores, à ſe deputatos, qui variis ex circumſtantiis vel certò, vel admodum probabiliter judicari poſſunt librum non benè in-

tellexiſſe, malè proinde Papam informaſſe; maximè dum liber, de quo agitur, longè accuratiùs ac ſæpiùs, à capite ad calcem, examinatus fuit à Doctoribus longè pluribus, iſtaque in materia magis verſatis, atque ingenii acumine æquè vel magis præſtantibus, aliæque concurrunt circumſtantiæ Cenſorum illorum adverſus librum judicium infirmantes, juſtamque proinde præſumptionem fundantes, quòd Pontificia definitio, damnatam hæreſim tali attribuens libro, in falſa ſit informatione fundata. Quo profectò caſu Pontificia definitio, vi ſua præciſè, obligare non poteſt ad credendum quòd Author iſtius libri damnatam hæreſim in eo tradiderit, ſenſumque hæreticum in eo intenderit. Quia hoc eſt in re magni momenti malè judicare de proximo, ſive de eo quod vergit in detrimentum famæ innocentiamque ipſius. Quod divina lex certiſſimè prohibet Luc. 6. *Nolite judicare. . . . . nolite condemnare.* Et 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare.* Quæ lex cùm generalis ſit, generaliter & abſque exceptione intelligenda eſt, eo ſenſu in quo eam Sancti Doctores unanimiter intelligunt, ita ſcilicet ut nobis malè judicare non liceat, niſi *de manifeſtis.* Auguſtinus l. 2. de ſerm. Dom. in Monte c. 18. Unde in Pſ. 147. *Quid agit pax in hujus regionis incertis? . . . . De incertis non judicat. . . . proclivior ad benè credendum. . . . . quàm ad malè. . . . . Si incertum eſt. . . . non tamen damnes, tamquam verum ſit. Cave ne ſis temerarius judex,* ait S. Bernardus ſerm. 12. in Cant. tunc ſolùm, ſerm. 40. malè judicare, ſeu damnare permittens, *ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat.* Non autem *quando deeſt certitudo rationis.* S Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. Non *abſque cauſa cogente*, & *ubi non apparent manifeſta judicia.* Idem ibidem a. 4. Quia (ut ad 2 ait) de homine oportet nos benè judicare, *niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.* Sine qua non ſolùm *non licet de proximo male judicare* (ait S. Franciſcus Saleſius in ſua Philothea p. 3. c. 18.) *imò ne licet quidem dubitare, aut ſuſpicari, niſi in rigore & ſtricta neceſſitate; in quantum rationes & argumenta quæ ſe offerunt, dubi-*

ta-

tare & ſuſpicari nos cogunt. Alioquin ſuſpiciones & dubia eſſent planè temeraria.

Idque Sancti extendunt ad dicta & ſcripta proximi, quæ ſecundùm Evangelicam regulam ſupra laudatam abſque judiciis certis & evidentibus non magis licet malè judicare & condemnare, quàm facta ipſius. Videri poteſt Anaſtaſius Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarius (qui ſæculo IX. floruit) in Hiſtoria Honorii ubi dicit Evangelicâ iſtâ regulâ, *Nolite judicare, & non judicabimini* &c, *nihil aliud præcipi magnis Magiſtris Eccleſiæ videtur, niſi ut ea facta* (de doctrinalibus loquitur, de ſenſu utique Honorii in Epiſtolis ſuis) *quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Quia *cum bono ea & malo fine fieri poſſint, de iis temerarium ſic judicare ut condemnemus.* Enimvero æquè iniquum eſt ſcripta proximi temerè judicare & condemnare, quàm facta perſonalia ipſius: cùm non minus vergat in detrimentum honoris & famæ ipſius. Siquidem hominem, præſertim ſanctum Epiſcopum, qui nunquam ab Eccleſiæ communione receſſit, in ſcriptis ſuis de hæreſi condemnare, ſeu judicare & credere, quòd in iis hæreſim docuerit, eſt ipſum vitâ civili, id eſt honore & fama ſpoliare. Fides namque vera eſt vita hominis Chriſtiani, juxta illud *Juſtus ex fide vivit*: & honor, in verâ fide fundatus, carior vitâ corporali. Epiſcopum proinde (quem, utpote fidei depoſitarium, maximè oportet iſtius depoſiti fidelem eſſe cuſtodem) in ſcriptis ſuis damnare, velut fidei Catholicæ violatorem, verè eſt ipſum civiliter occidere; nec ſolùm damnare doctrinaliter, ſed & perſonaliter, dum in ſcriptis damnatur cum expreſſione perſonæ. Si enim in ſola proſcriptione famoſarum propoſitionum ſtaret damnatio, doctrinalis, non perſonalis dici poſſet. Verùm dum non ſtat in damnatione propoſitionum, ſed propoſitiones ex libro Janſenii v. g. dicuntur excerptæ, & in ſenſu per ipſum intento damnantur, damnationi doctrinali accedit perſonalis; quemadmodum Act 6 accuſationi doctrinali acceſſit perſonalis: *Homo iſte* Stephanus, *non ceſſat loqui verba* (*blaſphemia*) *adverſus*

locum Sanctum, & legem. Perinde est enim accusare vel damnare aliquem de scripto ac de verbo hæretico. Quod absque causa certâ & evidente inauditisque defensoribus ipsius justitia non permittit. Nec ad aliquid ejusmodi credendum Papa obligare potest sola vi authoritatis & definitionis suæ, utpote quæ se sola factum istud certò verum eo ipso reddere non potest, quo fallibilis est. Quódque obedientia Papæ debita ad aliquid ejusmodi credendum non obliget, cum Sanctis suprà laudatis verbo & exemplo frequenter docent Magni nominis Theologi, uti proximè videbitur.

Argumentum secundum petitur ex communi doctrina præcipuorum Theologorum. Siquidem Anastasius Bibliothecarius ibidem pluribus exemplis probat, in Conciliis, etiam generalibus, non omnia esse indifferenter amplectenda, approbandaque.

Guilielmus Parisiensis de fide c. 1. docet, soli Deo credendum absque suasione & probatione. Ait enim, *credendum Deo absque suasione aliqua & probatione*; in eoque discrimen esse inter Deum & homines. Si enim, inquit, Deo credendum non esset absque suasione & probatione, *ipsi credendum non esset nisi sicut cuivis alii. Cuilibet enim alii cum suasione & probatione creditur. Deo verò debetur digna Deo credulitas*; qualis non est, *quæ ei propter suasiones & probationes impenditur, sed ea* quâ propter solam ipsius authoritatem, inclinato capite, id est intellectu, cum omnibus rationibus suis in obsequium ipsius captivato creditur. Quam credulitatem c. 2. *cultum latriæ* vocat, quo Deus colitur & adoratur; quæque proinde soli Deo debetur. Sola ergo divina authoritas vi sua præcisè obligare potest ad credendum, sive ad captivandum intellectum in obsequium ipsius, solique Deo debetur istud credulæ obedientiæ obsequium.

Et istud est quod etiam S. Thomas clarè insinuat in 3. dist 24. q. 2. a. 3. dum ibi (prout refert Michael de Elizalde in l. de forma veræ relig.) sapienter observat, *illud Deum inter & homines intercesse, quòd ut credas hominibus, inspiciendum sit tibi, quæ dicant, & qualia*

lia (non ergo cœco more ipſis vult eſſe credendum) *an poſſibilia, an abſurda, an coharentia &c; atque ita nonniſi per examen rerum creditur hominibus. At impium eſſet cum Deo glorioſo ita agere, quem conſtat nec fallere poſſe, nec falli.* Huetius quoque Abrincenſium Epiſcopus, Origenianorum l. 2 c. 3. ait ſcitum eſſe illud S. Thomæ quodlib. 9. a. 16. *Neminem ad aſſenſum Eccleſia adhibendum neceſſariò adſtringi, in iis quæ ad ſubſtantiam fidei non pertinent.* Non quòd iſta ſint verba S Thomæ, ſed quod Illuſtriſſ. D Huetius id legitimè inferri cenſeat ex hiſce ipſius verbis quæ ibi habentur, *Eccleſia judicium iis in rebus errare poſſe.* Si enim Eccleſiæ judicio non adſit plena non errandi ſecuritas, conſequens eſt quòd nec adſit ipſi aſſentiendi neceſſitas. Quod & conſequens eſt ex eo quod in 3. diſt. 23. q. 2. a. 3. (apud Joannem Bagotium doctiſſimum è Soc. Theologum Apolog. fid p. 1. l 2 diſſert. 3 c. 2 ſect. 2) S. Thomas hoc ſtatuit diſcrimen Deum inter & homines, quòd alterius hominis cognitio, ſeu judicium, regula non ſit judicii noſtri, ſed ſoli primæ veritati homo judicium ſuum & rationem ſubjicere debeat. Sicut & ex eo quod. 2. 2 q. 104. a 5. approbat dictum iſtud Senecæ: *Errat ſi quis exiſtimat, ſervitutem in totum hominem deſcendere. Pars enim melior excepta eſt..... Mens eſt ſui juris. Et ideò* (concludit S. Thomas) *in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis* (& idem eſt de intellectu) *homo non tenetur homini obedire, ſed ſolùm Deo.* Rationem alteram dat 1. 2. q. 91. a. 4. *Propter incertitudinem* utique *humani judicii*, etiam Superiorum, *præcipuè de rebus contingentibus & particularibus*, de quibus *contingit diverſorum diverſa eſſe judicia.* Unde fit ut per ſolum humanum judicium homo abſque omni dubitatione dirigi non poſſit, ſed per divinum duntaxat; de quo ſolo *conſtat quòd non poteſt errare* in ejuſmodi. Quod & confirmat altera doctrina ejuſdem in 4. diſt. 41. q. 2. a. 5. quòd *Eccleſia in iis quæ fidei non ſunt, authoritate divina non fulcitur, ſolúmque eſt hominum Congregatio, quæ poteſt contra authoritatem divinam errore humano labi, & verum pronuntia-*

re

re id quod falsum est. Si enim sic est de Ecclesia, sine dubio idem est de Papa. Porro S Doctor tam ibidem, quàm quodlib. 9. art. 16. infallibilitati præmissæ limites non extendit nisi ad ea quæ divinitùs revelata sunt, quæque ad salutem pertinent: *In aliis autem sententiis, quæ ad facta particularia pertinent. . . . possibile est judicium Ecclesiæ errare, &* (ut suprà aiebat) *verum pronuntiare id quod falsum est.* At verò manifestum est quòd fideles errorem ipsius cognoscentes, nec debent, nec possunt credere esse verum quod cognoscunt esse falsum. Manifestum ergo est, quòd obedientia Christiana non semper postulet, ut fideles semper credant esse verum quod ipsa definivit. Idque manifestum faciunt tria exempla quibus doctrinæ suæ veritatem S. Doctor demonstrat. Tria, ait Illustrissimus Cameracensis in quarta sua Instruct. pastor. p. 2. c. 2. ad id exempla profert. *Alterum petitum à judicio de possessione boni alicujus. Alterum à judicio de criminibus. Tertium à judicio de conjunctione, seu matrimonio contracto, obstante licèt impedimento ignoto. Vult S. Thomas, ut, si fortè Ecclesia contra authoritatem divinam, errore humano; hominem una cum muliere matrimonio conjunxerit, palàm & publicè errorem illa emendet, quod factum est rescindat, contractumque inter conjunctos duos matrimonium, ubi error ab aliquo fuerit indicatus, dissolvat.* Decet igitur Ecclesiam ita affectam esse, ut privatum *quemque parata sit benignè & libenter excipere, & audire, si quis fortè adveniat qui cum debita reverentia ipsi indicet errorem humanum, quo factum est, ut contra legem atque authoritatem divinam ageret. Et non solùm illi jus non competit exigendi cum jurejurando facti fidem, sed etiam tenetur benignè audire, quisquis modestè occurret, illam ab errore revocaturus.*

Quod de matrimonio, hoc ipsum certè de utroque casu altero, seu possessionis seu criminis dicendum est, sicut & de quocumque alio casu, ad fidem seu veritatem revelatam non pertinente, cujus fides necessaria non sit ad salutem, in quo proinde Ecclesia humano errore perinde errare possit, ac in tribus illis exemplis. In omni-

omnibus proinde casibus istis, *debet ea semper esse mens Ecclesiæ, ut suum ipsa parata sit judicium emendare, ubi quis validis argumentis planum facit, falsos esse in judicio testes advocatos*, aut commentitiam possessionem, *aut innocentem falso crimine damnatum*, vel damnatam hæresim libro ipsius, per malam informationem, falsò attributam. *Frustra hic moralis* prætenditur de ejusmodi facto *infallibilitas, aut ipsa facti evidentia, ubi privatus quispiam validis argumentis utramque evertit. In omnibus* proinde *hisce casibus, non modò non potest Ecclesia jusjurandum de fide* seu credulitate *Decreti sui. . . . exigere; imò debet etiam beneficii gratiæque loco ponere, si quis cum summa veneratione valida proferat argumenta, ex quibus error illi suus innotescat, intelligatque commentum ipsum*, seu falsam informationem *veræ evidentiæ loco ab ipsa acceptum.* Si ergo peræque fallibilis sit Ecclesia in factis doctrinalibus, sive in attributione damnatorum errorum ad certum librum, errores illos absque controversia non continentem, atque in factis illis personalibus, juxta S. Thomam, Ecclesia non solùm non debet jusjurandum de fide Decreti sui, damnatos errores tali libro attribuentis exigere, imò debet (inquit Illustrissimus Cameracensis) *illorum studio favere, qui ad ipsam accederent cum veneratione & humilitate, suum ipsi* in attributione illâ *errorem demonstraturi.* Quippe *esset ab ipsa studium illorum* perinde in factis doctrinalibus atque in personalibus *laudibus extollendum; esset contractus ex humano defectu error emendandus, essent latæ ab ipsa censuræ rescindendæ, esset malè damnatus* liber *approbandus*; prout Pici Mirandulani librum, ab Innocentio VIII. damnatum Alexander VI. approbavit. Joannem quoque Maxentium (ob hanc propositionem, *Unus de Trinitate est passus*) ab Hormisda Papa erroris damnatum, ab errore immunem Joannes II. pronuntiavit: neque enim propositionem illam Maxentius eo intellexerat pravo sensu, quo eam Hormisdas improbaverat; sed sensu orthodoxo, quo eam Joannes II. cum tota Ecclesia approbavit.

Pro-

Propterea Durandus à S. Portiano Ord. Prædict. Doctor Parisiensis, S. Palatii Magister, ac tandem Episcopus Meldensis, in præfat. ad Magistrum sentent. docet, quòd *quamvis captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, & in his quæ fidem tangunt plus acquiescere debeamus authoritati fallere nescie, quàm cuicumque rationi humanæ.* In ceteris tamen quæ authoritate fallere & falli nescia non definiuntur, *plus rationi* quàm CUICUMQUE AUTHORITATI HUMANÆ fallibili *consentiendum, nullius puri hominis authoritatem rationi præferendam.*

Gerson. p. 1. consider. 2. to. 1. nov. edit. pag. 9. ex eo quòd *Papa potest in definiendo fallere & falli*, concludit quòd determinatio solius Papæ, præcisè ut talis, non obligat *ad credendum*. *Alioquin* staret, *quòd* aliquo *casu quis obligaretur ad contradictoria, vel ad credendum falsum.*

Almainus l. de author. Eccl. & Concil. c. 10. postea-quam ostendit, quòd *nemo est qui dubitet*, Concilium errare posse *errore facti, quod factum ex Sacris Literis trahi non potest*, concludit quòd *determinatio Romani Pontificis*, de ejusmodi factis, pro *necessariò credendâ determinatione non est habenda.*

Dionysius Carthusianus l. 3. de author. Papæ & Concil. dicit, quòd *tam Ecclesia*, quàm *generale Concilium* (ac per consequens Papa) *errare potest. . . . . in his quæ vel facti sunt, vel humana investigatione terminari possunt, quia specialis assistentia Spiritus Sancti solùm non permittit eam errare in his, ad quæ humana investigatio pervenire non potest.* Et ideo l. 1. n. 31. dicit, *Papæ judicio non videtur certitudinaliter standum in ejusmodi, cùm non sit infallibilis regula, neque indeviabile fundamentum.*

Alfonsus Tostatus, Episcopus Abulensis in Defensorio suo multis probat authoritate fallibili imponi non posse obligationem ad credendum. Quia, ut ait p. 2. c. 22. *Qui credit aliquam propositionem esse veram, & tamen putat posse esse falsam* (quod necessariò putat qui aliud non habet credendi motivum, nisi authoritatem, quæ fal-

fallere poteſt, & falli) *non habet fidem de illa; quia manet in quodam dubio. . . . . Nam ſi ſciat, vel credat, quòd Author propoſitionis illius poteſt errare, credet quòd aliquando fortè errabit. Et dato quòd non contingat* hic & nunc *errare, cùm tamen poſſit errare, erit ſemper dubius an erraverit; & ſic nunquam firmum adhæſionem habebit ad propoſitionem.*

Illuſtriſſ. D. Joannes Picus, Comes Mirandulanus, in ſua pro Origene Apologia ab Alexandro VI. approbatâ. *Si verum eſt, quod S. Thomas in Quodlibetis dicit, & bona dicit Theologia, non obligari nos, de neceſſitate ſalutis, credere, non ſolùm Eccleſiæ Doctoribus. . . . ſed neque ipſi Eccleſiæ, niſi in his quæ ad ſubſtantiam fidei pertinet; adjunxerimuſque iſta ad ſubſtantiam fidei non pertinere, utrùm illarum hæreſeon Author fuerit Origenes, aut aliquis alius,* (v. g. Janſenius) *modò hæreſes illas, hæreſes eſſe, id eſt, impia fateamur dogmata: videtur ſequi, quòd non teneatur homo fidelis. . . . . de neceſſitate ſalutis, in hâc quæſtione potiùs Hieronymo, etiam quod ad ipſum magis declinet Eccleſia, quàm Athanaſio, Didymo, Methodio. . . . imò ipſiſmet Origenis dictis credere.*

Jeſuitæ in libello quem anno 1605. Paulo V. obtulerunt, *Etſi Spiritus Sanctus Romano Pontifici ſemper adſit, ut in rebus fidei declarandis. . . . . nunquam fallatur, aut erret; in privatorum verò dictis declarandis, quæ humano ſtudio deteguntur, vereor an poſſit hanc ſibi infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam certò polliceri. . . . Quis damnet eum, qui ambigere ſe dicat, quid de propoſitis quæſtionibus exiſtimaverit* vel talis, vel talis, etiam poſt Pontificiam de ſententia ipſius declarationem, prout contextus manifeſtum facit.

Alfonſus à Caſtro l. 1. adverſus hæreſes c. 7. *Teſtimonium quod nos alicui credulitati faciat obnoxios, oportet ut à tali perſona habeatur, de qua conſtet eam nec poſſe falli, nec fallere velle. . . . Non eſt ergo æquum, aut rationi conſentaneum, ut ei, qui aut falli, aut fallere poteſt, qualis eſt quilibet purus homo, ſub interminatione gehennæ credere teneamur. Nam inde eveniret, ut*

ſæpiſſe-

ſæpiſſimè falſa pro veris recipere teneremur, & vera pro falſis, quod nefas eſt dicere. . . . . Paulus quidem juſſit captivare intellectum noſtrum, ſed in obſequium Chriſti, non autem in obſequium hominum.

Melchior Canus l. 5. de locis c. 5. *Patribus Synodi Spiritus veritatis non eſt præſens in omnibus, ſed in rebus ſolùm ad ſalutem neceſſariis. . . . . Non enim rogavit Chriſtus, ne deficeret Petro aut Philoſophiæ, aut rerum geſtarum cognitio & veritas, ſed ne deficeret ei fides. . . Inde liquet, id quod eſt animadverſione dignißimum, certa & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis & firmis principiis ac fundamentis innitantur. Quo circa, ſi vel unum ex his, à quibus Eccleſiæ judicium pendet, incertum eſt, certum Eccleſiæ judicium eſſe non poteſt*, nec proinde certò credendum. . . . . *Quæ ex re facile intelligitur, Eccleſiæ judicia, quæ ab incertis hominum teſtimoniis*, vel informationibus *proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam & exploratam faciendam fidem.*

Cardinalis Baronius ad annum 681. contra judicium ſextæ Synodi, Honorii Papæ Epiſtolas defendens, ad objectionem, qua objicitur haud fas eſſe aliter de epiſtolis illis velle decernere, quàm ſtatutum eſt à Sancta Oecumenica Synodo. Reſpondet ita eſſe in *iis quæ ad fidem ſpectant*; ſecus in *iis quæ ad perſonas pertinent, & ſcripta ipſarum.* In quibus cùm errare poſſit, dum error ipſius deprehenditur, *illud Pauli ad Cor. uſurpari poteſt*: „ Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate " quaſi dicat non poſſe nos contra agnitam veritatem judicium noſtrum, ipſius etiam Oecumenicæ Synodi judicio ſubmittere. Ita etiam Cardinales Turrecremata, Bellarminus, Pallavicinus, Aguirius, de Laurea, totque Sanctiſſimi Epiſcopi, ſapientiſſimique Theologi ſect. 1. & 4. laudati, qui vel Marcelli Ancyrani libros adverſus judicium Synodi Sardicenſis, vel libros Origenis, tria Capitula, & Honorii Papæ ad Sergium epiſtolas adverſus definitionem Synodi V. VI. VII. & VIII. defenderunt, & quotidie defendunt. Tùtò proinde, & ſalva Chriſtiana obedientia,

tia, pietate ac ſimplicitate defendi poſſe crediderunt, atque etiamnum credunt.

Ipſemet Author tractatus, Romanæ Aulæ acceptiſſimi, *De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, Leodii apud Matthiam Hovium anno 1684. editi l. 2. c. 3. obedientiam cœco more præſtandam ſacris Canonibus, Romanorumque Pontificum Decretis, ad ea reſtringit quæ infallibili authoritate definiuntur, cùm ait: *Canones Eccleſiæ, qui ad fidem & mores ſpectant, infallibili Dei revelantis authoritate nituntur*, IDEOQUE (nota benè) *obedientia eis cœca debetur. . . . : Verùm lumen illud Spiritus Sancti quod Summo Pontifici adeſt, cùm explicanda ſunt fidei myſteria, & tradenda morum præcepta, non perpetuò illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adverſus ambitioſorum importunitatem, magnatum preces, ſuſpecta Officialium Conſilia, immotos ſervat*, & immunes à *præcipiendo aliquid ſuæ poteſtatis limites tranſcendens, aut juſtitiæ repugnans.* Quo caſu dicit, quòd *ab exequendo mandato licitum ſit abſtinere.* Non ſolùm in *mandatis ſingularibus*, verùm *etiam in communibus legibus.*

Argumentum tertium. Ad vocem quidem Dei loquentis, Eccleſia proponente, mens humana in captivitatem eſt redigenda, & omnis humana ratio ſacrificanda; non tamen ad vocem Romani Pontificis, vel Eccleſiæ vocem Dei non proponentis, ſed ex ſe loquentis. Quòd enim ſacrificanda, & in captivitatem redigenda ſit ad vocem Dei loquentis, eſt in recognitionem ſupremi dominii & authoritatis Dei in omnem humanam mentem & rationem. Ipſe namque ſolus humanæ mentis & rationis eſt Conditor, ipſe ſuprema mens, ſuprema ratio, mens mentium, ratio rationum, mens falli & fallere neſcia, quia veritas ipſa. Ipſius omne verbum, ſolâ vi ſua, ſola authoritate loquentis certitudinem infallibilem humanæ menti ingerit, & dubium omne diſpellit. Ideò ergo omnem humanam mentem & omnem humanam rationem in obſequium ſui jure ſuo captivare poteſt; utpote ſupremus omnis humanæ mentis & rationis dominus. Homo verò,

verò, quantacumque ſit authoritatis, dum ex ſe loquitur, nec adverſus errorem ſpeciali Sancti Spiritus aſſiſtentia eſt præmunitus, homo eſt circumdatus infirmitate, naturæ corruptioni, vanitati, errori & mendacio obnoxius, juxta illud, *Omnis homo mendax*; & ideo non eſt, nec eſſe poteſt omni humana ratione ſuperior, nec omnem humanam rationem ſibi ſubjicere, nec ab humana mente omnem dubitationem ſola vi authoritatis ſuæ ſemper excludere, nec ipſi certitudinem ſola vi verbi ſui inferre; cùm falli poſſit & fallere. Ab ipſa ergo exigere non poteſt, ut abſque omni dubitatione credat verum eſſe quod dicit, dum juſta ipſi occurrit dubitandi ratio, nec ipſi prohibere ne contrarium credat, dum contrarium ipſi videtur certò verum. Aliàs rationem veram non rarò ſibi ſubjiceret authoritas fallens: quod recta ratio non patitur, nec veritas; contra quam nihil poteſt humana authoritas. Apoſtolus namque dicit: *Nihil poſſumus adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Sola itaque divina authoritas, ſive ut Auguſtinus de agone Chriſt. n. 14. ſola *fides eſt quæ ſubjugat animam Deo.* Non authoritas purè humana. Neque enim authoritas purè humana *perinde animis imperare poteſt, ac linguis* (ait Q. Curtius Hiſt. l. 8. n. 5.) atque ut ſupra S. Thomam cum Seneca dicentem audivimus: *Errat, ſi quis exiſtimat, ſervitutem in totum hominem deſcendere. . . . . Mens ſui juris eſt.* Ex quo concludit, quòd *Deo* quidem *ſubjicitur homo ſimpliciter, quantum ad omnia & interiora, & exteriora; & ideo in omnibus ei obedire tenetur: ſubditi autem non ſubjiciuntur ſuis ſuperioribus quantum ad omnia, ſed quantum ad aliqua determinatè; ſcilicet in his quæ exterius per corpus ſunt agenda* (prout ante dixit) *non in his quæ pertinent ad interiorem motum mentis. Porrò* (ut ibidem ait) *non tenetur inferior ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur.*

Argumentum quartum: Obedientia, cum voluntatis ſit virtus, per eamque (ut S. Thomas ait ubi ſuprà a. 3) *voluntas propria mactetur, & immoletur, dum ſuam*

homo

homo voluntatem ipſam propter ſuperioris voluntatem contemnit, exigi non poteſt ab humana authoritate, niſi in iis quæ pendet à libera ſubditorum voluntate. Atqui à libera ſubditorum voluntate non pendet, ut credant vel non credant, dum ipſis libuerit. Neque enim ipſis poſſibile eſt certò credere, niſi ea quæ ſibi apparent certò vera; neque opinari ſic eſſe, vel non eſſe, niſi ea quæ ſibi apparent probabiliter vera. Ut autem hoc vel illud appareat ipſis certò vel probabiliter verum, non pendet à libero hominis arbitrio, ſed à veritatis ſignis ſeu certis, ſeu probabilibus, ſcilicet à ratione vel authoritate certa vel probabili. Impoſſibile eſt ergo, quòd intellectus certò credat verum, quod certa ratione vel authoritate non apparet ipſi verum; ſimiliter impoſſibile ut probabiliter credat verum, quod probabili ratione vel authoritate non apparet ipſi verum. Imò impoſſibile eſt quòd propter authoritatem, aliàs ex ſe probabilem, id credat probabiliter eſſe verum, quod ratione viſa ſibi certa, apparet ipſi certò falſum. Cùm opinio probabilis definiatur aſſenſus incertus, ratione vel authoritate gravi ſic innixus, ut in contrarium nihil appareat certum, prout Philoſophi & Theologi communiter definiunt.

Et hoc de ſuperabundanti ſit dictum. Dum enim Eccleſiæ vel Pontificum authoritate fideles adiguntur ad quidpiam credendum, profectò non adiguntur ad id credendum credulitate probabili duntaxat, ſed credulitate certa, omne rationabile dubium excludente. (Quod impoſſibile eſt abſque motivo certo; per conſequens poſſibile non eſt ex ſolo motivo authoritatis incertæ, falſitatique obnoxiæ) Enimverò dum S. D. N. Clemens XI. exigit *judicium interius* de facto Janſenii, cenſeri non poteſt contentus judicio probabili & incerto. Quia dignum non videtur Pontificis & Eccleſiæ Majeſtate fideles compellere ad judicandum ſolùm probabiliter, hæreticum eſſe Janſenii librum. Si enim hoc nonniſi probabile eſt, oppoſitum quoque, non eſſe utique hæreticum, probabile eſt. Incertumque proinde eſt, ſitne liber ille, an non ſit hæreticus; ſive an in eo ſenſum

sum hæreticum Author intenderit, an non: Si incertum, sapientis non est judicium inordinatum facere, sive ad assensum moveri ab aliquo fallibili signo: *Quandocumque* verò *intellectus movetur* ad judicandum *ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sive imperfectè moveatur.* S. Thomas *qq. disput. de cognit. prim. hom. q.* 18. *a.* 6. Multò minus sapientis est ferre tunc judicium in condemnationem authoris; cùm hoc sit contra regulam Evangelicam, *Nolite judicare, nolite condemnare*: nec credibile est fideles ab Ecclesia compelli ad judicium probabiliter falsum; cùm in incertis & dubiis locum habeat, quod Apostolus ait: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Et sicut Augustinus ait, *In dubiis libertas, in necessariis unitas.*

SUBSECTIO DECIMA QUINTA.

Argumentum quintum, sextum, septimum & octavum.

ARgumentum quintum. Ne omnibus quidem legibus seu Constitutionibus Ecclesiasticis, quæ rem exteriorem à fidelibus exigunt, debita est cœco more obedientia Christiana ex animo profecta, cum interiori mentis assensu, nisi de istius assensus veritate ab Ecclesiæ Præpositis fideles ratione doceantur. Quia, ut optimè Scriptor eruditus observat, legum Ecclesiasticarum quæ circa rem exteriorem versantur, aliæ sunt absolutæ; quarum executio à mera subditorum voluntate sic pendet, ut ad earum executionem non desit possibilitas, si adsit voluntas. Aliæ sunt hypotheticæ, quæ pendent à certis conditionibus, quas Ecclesiæ Præpositi adesse supponunt, sed nec ipsi solâ authoritate, nec subditi pro arbitrio suo ponunt, nec ponere possunt, quæ tamen si non adsint, executioni lex mandari non potest. Talis exempli gratiâ est lex jejunii, utpote supponens in subditis ætatem & vires ad jejunium ferendum idoneas. Talis quoque Alexandrina & Clemen-

mentina lex formularii, utpote etiam ſupponens eos qui formulæ cum juramento ſubſcribunt, rationabiliter non dubitare de facto Janſenii. Siquidem Alexander VII. & Clemens XI. ſupponunt factum iſtud eſſe omnino certum, nec de eo poſſe eſſe rationabile dubium, nec proinde ſubſcriptionem denegari poſſe, niſi mala fide ſive ex pertinaci ſtudio fovendæ hæreſeos, vel ex authoritatis contemptu. Et iſti quidem ſine dubio inobedientes ſunt, pertinaces, rebelles, ſi qui dentur; non illi, qui de facti iſtius veritate rationabiliter dubitantes, vel etiam de ipſius falſitate ex accurata libri lectione ſecundùm critices regulas manifeſtè convicti & perſuaſi, bona fide ſubſcriptionem detrectant, ne contra conſcientiam jurent, librumque innocentem contra Dei præceptum & conſcientiam damnent. Neque ſubſcribere cum juramento poſſunt, niſi de facti ipſius veritate certò perſuaſi, cùm perſuaſionem iſtam formularii lex ſupponat; nec de Janſeniani facti veritate certò perſuaſi eſſe poſſunt ſola vi Eccleſiaſticæ authoritatis (utpote quæ in definiendo facto illo falli & fallere poteſt) nec ſubditi ipſi pro arbitrio ſuo, ſeu voluntaria ſubmiſſione de ea certò perſuaſi eſſe poſſunt, ſine ſigno certo intellectum certificante. Et ideo Eccleſiæ ſpiritus non eſt, ejuſmodi factorum, ſaltem de ſe difficilium, obſcurorum & controverſorum fidem ſola authoritate exigere, ſed ratione docere, teſte D. Gregorio l. 8. Moralium in Job. n. 3. *Quia Sancta Eccleſia, ex magiſterio humilitatis inſtituta, recta quæ errantibus dicit, non quaſi ex authoritate præcipit, ſed ex ratione perſuadet, benè nunc dicitur* „ Videte an „ mentiar. " *Ac ſi apertè dicat: Ea quæ aſſero, nequaquam mihi ex authoritate credite: ſed an vera ſint ex ratione penſate.*

Argumentum ſextum: Non ſemper pium ac religioſum eſt Præpoſitis obedire, ſeu cœcam abſque exceptione obedientiam, judiciique ſubmiſſionem ipſis præſtare; imò nonnullis in occaſionibus id manifeſtè impium eſt, atque irreligioſum. Quod contingere videtur, dum adeſt prudens religioſuſque metus cœca obedien-

tia jurandi se credere aliquid contra sinceritatem, veritatem, & justitiam, credendo scilicet de factis, dictis, vel scriptis proximi aliquid vergens in detrimentum honoris & famæ ipsius, quod vel cognoscitur esse falsum, vel certè cujus veritas vel prorsus ignota est, vel incerta, & sub incerto duntaxat veritatis signo proposita. Hoc est namque injustum & inordinatum, divinæque & naturali legi contrarium: *Nolite judicare, nolite condemnare.* Estque contra ordinem divinitùs institutum, & contra naturale lumen, & sapientiam, omni sollicitudine non cavere probabile periculum assentiendi errori in præjudicium tertii, cujus periculum semper est, dum id, cujus assensus requiritur, non proponitur sub certo veritatis signo. Tunc proindè cum Petro Act. 4. dicendum: *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum.* Et c. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Tunc procedit dictum istud Augustini: *Humanarum rerum gradus advertite. . . . Non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec hinc debet minor irasci, si major prælatus est. . . . Quis prohibet assensum* præstare, juramentoque firmare? *Major potestas. Da veniam, tu carcerem,* vel Ordinum aut Beneficiorum, vel Officiorum privationem, *ille gehennam minatur.* Tunc obedientia non est verè simplex, nec verè humilis, imò contraria simplicitati & humilitati Christianæ; utpote quæ imprimis omni verbo absque veritatis examine non credit. Nam, ut scitè Bernardus l. de præcepto & disp. cap. 14. n. 35. *Ego ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam: & nescio quemadmodum judicio Veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra Veritas, Estote,* inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba. Præmisit ergo prudentiam sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique vere simplex erit oculus cum igno-*

ignorantia veritatis ? Aut vera poteſt dici ſimplicitas, quam ſimplex ignorat veritas ? Unde concludit laudabilem ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonis, *benevolentia & prudentia: ut oculus videlicet cordis, non ſolùm pius, qui fallere nolit, ſed & cautus ſit qui falli non poſſit*, fallibili veritatis ſigno credendo. Illius ergo, *qui bonum diligit, & malum neſcius agit. . . bonus* quidem *eſt oculus, quia pius; non tamen ſimplex, quia cæcus. . . . Iſtius revera oculum ſimplicem dixerim, cui neutrum bonum deſit, nec zelus ſcilicet bonus, nec ſcientia veritatis. Hunc profectò requirit oculum Deus.* Subditum ergo penitus non excuſat obedientia cœca, ſi à veritate ſit aliena. Quia ut iterum Bernardus ibid. n. 40. *Sine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas..... His verbis* „Omne quòd non eſt ex fide, peccatum eſt“ *complectitur Apoſtolus, & cæcam malitiam, & deceptam innocentiam.* Obedientiæ proinde ſimplicitas in eo ſita non eſt, ut nihil examinando cœco more ſubditus præmiſcuè exequatur quidquid à Præpoſitis juſſum fuerit, ſed ut in ſimplicitate cordis lætus obediat, dum illuminato mentis oculo cognoſcitur nihil præcipi in ſe malum, vel falſitati obnoxium. Similiter obedientiæ humilitas incauta eſſe non debet, nec abſque diſcretione; quia incautam indiſcretamque humilitatem improbant Sancti. Dicit enim Gregorius l. 3. Paſtor. Cur. c. 17. *quòd humiles admonendi ſunt, ne, pluſquam expedit, ſint ſubjecti.* Et l. 1. in Ezech. homil. 9. quòd in ſubditis *libera eſſe humilitas debet.* Cur ita? Quia *humanus timor ſub humilitate ſe palliat. . . . Iſte nonnunquam, dum timet ne majoris gratiam amittat, atque per hoc aliquid temporalis damni ſuſtineat, recta quæ intelligit occultat, atque apud ſe tacitus ipſum timorem, quo conſtringitur, humilitatem nominat.* Et l. 26. Moral. c. 5. *Incautè ſunt humiles, qui ſe mendacio ſeu errori illaqueant, dum arrogantiam vitant.* Dicit etiam S. Paulinus epiſt. 12. *quòd ipſius nobis humilitatis ſervanda menſura eſt, ut nonniſi timore divino humiliemur,..... Illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, ſed ex ignavia mentis hominibus adducitur* (dum humilitas putatur,

tatur, quæ aliud nihil ſit, quàm ejus, quæ cùm veritatis vel Chriſtianæ libertatis defenſione conjuncta eſt humiliationis fuga) *& humanam gratiam, magis quàm ſuam ſalutem curat.* Et humilitas iſta eſt *mendacii famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia.* Ad quod cavendum *non oportet humilitatem carere conſtantia* (ait Hilarius in Pſ. 14.) *& libertas Dei à nobis, in ea quam hominibus debemus ſervitute, retinenda eſt; ne ad potentium impetus terreamur; ne ad malevolorum arbitria cedamus. Tenendus* itaque *humilitatis & altitudinis modus* (inquit Hilarius in Pſ. 130.) *ut corde humiles, ſenſu vero & animo ſimus excelſi.* „ Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne „ humiliatus in ſtultitiam ſeducaris. Eccli. 13. Similiter tenendus eſt ſimplicitatis modus; ne ultra quàm decet ſubjecti, nec tam ſimplices, quàm incauti, nec humiles, ſed timidi ſimus, Eccleſiæ Præpoſitos errantes ſemper ſequendo.

Argumentum ſeptimum, quo confirmatur ſextum, & demonſtratur ſimplicis & humilis obedientiæ legem non exigere, ut Eccleſiæ Præpoſitis cœco more ſemper obediatur, petitur ex graviſſimis abſurdis quæ aliàs ſequerentur. Quod utique 1. obedire debeat Judici Eccleſiaſtico, qui, poſt contractum cum ſorore ſua matrimonium, probare non valens eam eſſe ſororem ſuam, ſub pœna excommunicationis ab ipſo jubetur ei petenti debitum reddere, ipſamque habere tanquam conjugem: cùm tamen *debeat potiùs excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*, prout Innocentius III. ait cap. *Inquiſitioni* extra de ſent. excom. nec id Judex ipſi præcipiat niſi ex ſuppoſitione quadam quod conjux ipſius ſit, cujus ſuppoſitionis ſeu conditionis veritatem authoritate ſua ſola efficere non poteſt, ſive efficere ut homo ille conjugem agnoſcere bona fide poſſit. Quomodo nec Eccleſia ſolâ authoritate ſua efficere poteſt ut factum Janſenianum bona fide verum & credibile appareat ei, qui ratione certa perſuaſus eſt eſſe falſum 2. Quòd dum in Concilio

Ari-

Ariminenſi 400 Epiſcoporum, mundus miratus eſt ſe Arianum eſſe, & in Concilio Mediolanenſi 300. Epiſcoporum S. Athanaſius injuſtiſſimè condemnatus fuit, unuſquiſque ſubditus Epiſcoporum illorum tenebatur in iſtis judicium ſuum judicio ipſorum cœco more ſubmittere, ipſiſque cœca, ſimplici & humili obedientia credere, adeoque errori contra fidem, & injuſtæ damnationi innocentis defenſoris fidei conſentire. In Conciliis quidem Mediolanenſi & Ariminenſi plerique Epiſcopi non liberè, ſed Conſtantii Imperatoris terrore victi ſubſcripſerunt errori. Plures tamen non ſic. Nam exempli gratia dum Dionyſius S. Athanaſii condemnatione primùm ſubſcripſit, ſolùm id fecit fraudulentis Arianorum pollicitationibus deluſus, *ſpondentium univerſæ Eccleſiæ pacem & unanimitatem, cui parandæ unius hominis, ſæpius judicati & damnati, victima debebatur*, prout Cabaſſutius refert in Notitia Eccleſiaſtica ſæculi IV. Idem referens de pluribus Epiſcopis in notitia Concilii Ariminenſis, in quo plures, inquit, Epiſcopi (quos inter S. Phæbadius Agennenſis, & S. Servatius Tongrenſis Epiſcopus) doloſis Arianorum artibus circumventi, re minùs penſiculatè conſiderata, ſubſcripſerunt formulæ ſibi à Valente Ariano Epiſcopo propoſitæ, qua Filius Dei aſſerebatur non eſſe creatura ut ſunt ceteræ creaturæ; adeóque aſſerebatur creatura ceteris creaturis longè ſublimior.

Quidquid tamen de eo ſit, ſi juſta ratio judicium ſuum non ſubmittendi judicio Conciliorum tam numeroſorum ſit, quòd Epiſcopi, qui ad ea convenerunt, bonis rationibus probentur Conciliorum illorum ſententiis non ſubſcripſiſſe omninò liberi à timore Conſtantii; juſta quoque ratio non ſubmittendi judicium ſuum judicio Conciliorum ſive æquè, ſive minùs numeroſorum erit, quòd Epiſcopi, qui ad ea convenerunt, bonis rationibus probentur; eorum ſententiis ſeu definitionibus non ſubſcripſiſſe omnino liberi ab humanis paſſionibus, & præventionibus, vel à falſis informationibus, pravis ſuggeſtionibus, fraudulentis conſiliis &c. ſed iis circumventi. 3. Quòd dum in ſecundo Concilio Oecume-

nico, anno 381. Constantinopoli celebrato, (quod vocatur Constantinopolitanum I) *major pars Episcoporum* (uti rursum Cabassutius enarrat) *de justitia, deque Ecclesiarum pace, & sanctiore administratione parum sollicita, propriisque atque humanis affectibus plus aquò indulgens. . . . pleraque præstitit Episcopis indigna, & indecora*, exempli gratia, *dum schisma Ecclesiæ Antiochenæ, quod erat opportunè extinguendum in Meletii Antiocheni Præsulis interitu, studiosè propagari voluit, contra superiora conventa, novum subrogando Episcopum Flavianum, per invidiam adversus Paulinum conceptam; quia scilicet cum Damaso Papa conveniebat, neque invidiosas Orientalium adversus Occidentales factiones approbabat.* Gregorium quoque Nazianzenum, ipsis suspectum de eadem cum Damaso & Occidentalibus conventione, Constantinopolitano tumultuosè spoliarunt Episcopatu, *quem hoc ipsum Concilium, ante paucos dies, unanimi consensu ei contulerat, & populus ipse meritissimi Præsulis electioni faustis acclamationibus faverat, & eandem magno affectu, magnisque laudibus Theodosius Augustus exceperat, literasque congratulatorias ad Synodum direxerat. . . . Posthabito nihilominus pudore, & Ecclesiæ debita sollicitudine, Deique respectu, & Theodosii veneratione, votisque populi ad salubriora propensi, meritissimum, si quis unquam fuerit, Antistitem, cujus doctrinâ, pioque zelo, maxima fuerat civium Regiæ urbis pars ab Arianismo ad fidem Catholicam conversa, & cujus eloquentissimis concionibus pravi mores omnis generis hominum à vitiis ad meliora traducti fuerant, exturbarunt Concilii Patres. . . . . Et in locum abdicati indignissimè Gregorii, senem quemdam Ordinis Senatorii, scientiæ Ecclesiasticæ prorsus imperitum, eligunt, & usque adeo in tam provecta ætate salutis animæ negligentem, ut necdum de suscipiendo baptismo cogitaret, Nectarium nomine, sine ullo divinæ vocationis indicio, intra triduum, necdum sufficienter catechizatum, baptismi fonte abluunt, deinde tumultuariè ac præcipitanter in Clericum attondent, raptimque Ordinibus Ecclesiasticis initiant, neque monitum Apostolicum* „ Manus citò nemini imposueris“

pensi

penſi habentes, præcipiti feſtinatione ſacerdotio & Epiſcopatu conſecrant, Gregorio quidem ſuæ abdicationi ſtudio pacis conſentiente, propheticumque iſtud uſurpante: *Si propter me tempeſtas iſta orta eſt, mittite me in mare*, ſic tamen ut animo conſtituerit, nullis poſthàc Synodis intereſſe, *quoniam* (inquit epiſt. 55.) *pertinaces eorum* (Epiſcoporum) *contentiones ne ullis quidem verbis explicari queunt. Obſervate conſuetudinem eorum* (ait Baſilius epiſt. 71.) *ſolent perpetuò ad prævalentem deficere partem, & imbecillibus conculcatis amicis, colere potentes, & obſequi Aulæ.* An non hoc frequenter viſum in Gallia? An non nuper, Innocentii XI. tempore, adverſus Papam, Eccleſiarumque ſuarum jura ſteterunt pro prætenſionibus Aulæ. Anno 1682. Papam, abſque Eccleſiæ conſenſu fallibilem eſſe voluerunt, etiam in definiendis fidei quæſtionibus; quia tunc ſic placitum erat Aulæ; quàm deciſionem anno.... ex ejuſdem Aulæ beneplacito ſic retractarunt, ut hodie nonnulli ex ipſis infallibilem eſſe prætendant, etiam in quæſtionibus facti: quod anno 1667. in epiſtola ad Clementem IX. aiebant eſſe *novum & inauditum dogma, ab omnibus Antiquis recentibuſque Theologis peraque damnatum.* De facto Janſenii pene dixeris eamdem fuiſſe apud Epiſcopos Pariſienſes, temporibus ſervientes, opinionum viciſſitudinem, quæ apud variabiles Gallos ſolet eſſe veſtium, ait Author libri cui titulus: *Obedientia Credula Vana Religio.* Et obedientiam quidem cœcam in ejuſmodi quæſtionibus ſibi deferri volunt, dum eam ipſi exigunt; aſt nonniſi cum diſcretione, conjudicialique examine, judiciis Apoſtolicis judicium ipſi ſuum ſubmittunt, etiamſi Judicem Apoſtolicum, ſeu Papam, velut ſuperiorem ſuum agnoſcunt. Sed ut ad vetuſtiora exempla revertamur, ingenuè fatendum eſt, inquit Illuſtriſſimus Cameracenſis, quòd ubi Epiſcopis ſpeciali ope Chriſtus non adeſt, nulli ſunt hominum conſeſſus, qui faciliùs quàm Conventus Eccleſiaſtici poſſint in fraudem induci, aut in errorem abduci. Quo numeroſiores ſunt Conventus, eo magis patet aditus *fraudibus, artibus malis, ambitioni, adulationi-*

bus, minis, factionibus, ceteriſque cupiditatibus. . . . . In hac Epiſcoporum confluentium frequentiâ. . . ſit communicatio affectuum & cupiditatum. Pauci velut duces ceteris facilè dominantur, ad quos, præſertim ſi gratia & authoritate pollent, cetera turba ſe proclivis adjungit. Maximè verò tunc ſe prodit Epiſcoporum infirmitas & flexibilitas, cùm agitur de ſequendis iis opinionibus, quibus Principes acriore affectu favere intelliguntur, & prout viſum eſt in Conciliis Ariminenſi & Mediolanenſi, ſicut & in Concilio ad Quercum, in quo S. Chryſoſtomus damnatus fuit.

In Concilio Seleucienſi (in quo abrogatum eſt *Uſiæ* ſeu *Conſubſtantialis* verbum, à Patribus Nicænis conſecratum, veluti fidei repagulum) dicit Hilarius ſe reperiſſe *tantùm blaſphemorum, quantùm Conſtantio placebat.* Atque *hoc tantum inter eos diſcriminis fuit* (ait Gregorius Nazianzenus in Chicomio S. Athanaſii) *quòd alii citiùs, alii ſeriùs in fraudem improborum inciderunt, atque alii impietatis duces antiſtiteſque ſe præbuerunt; alii autem in ſecundo ordine locati ſunt, nempe vel timore percuſſi, vel quæſtu atque utilitate ſubacti, vel blanditiis ineſcati, vel denique ignorantia circumventi.* Synodus Nicæna ſub Irene pium ac legitimum ſacrarum imaginum cultum aſſeruit. At ſub Copronymo aliquot annis antea eaſdem imagines aboleverat, earumque cultum numeroſiſſima Synodus Conſtantinopolitana proſcripſerat. Sub annum 474. Baſiliſcus Imperii uſurpator encyclicas literas ad omnes Orientis Epiſcopos miſit, Concilii Calcedonenſis condemnatorias, quibus quingenti circiter Epiſcopi ſubſcripſerunt, ut refert Evagrius Hiſtor. Eccl. l. 3. c. 5. nec ſe *vi ac neceſſitate compulſos, ſed cum omni gaudio* & alacritate ſubſcripſiſſe teſtificati ſunt in libello quem Epheſi congregati Baſiliſco obtulerunt. At paulò poſt Zenone reſtituto, veniam petierunt, aientes ſe neceſſitate adactos, non ex animi ſententia ſubſcripſiſſe, ſeque juxta Concilii Calcedonenſis formulam credere, & antea credidiſſe, prout idem Evagrius refert. c. 9.

Quid dicam de Aſiæ & Africæ Conciliis in cauſa rebaptiza-

baptizationis, deque Stephani VII. & Sergii III. definitionibus, quibus irritas & nullas pronuntiarunt ordinationes à Deceſſore ſuo Formoſo ſuſceptas, omneſque ab eo conſecratos juſſerunt iterùm ordinari, idque ſub pœna excommunicationis Sergius voluit. Certiſſimum nihilominus eſt 1°. quòd Epiſcoporum illorum ſubditi memoratis in caſibus non debuerint Epiſcoporum ſuorum, ne eorum quidem quorum fama erat integra, & authoritas intacta, judicio (etiam necdum ab Eccleſia damnato) ſuum ſubmittere, ſententiamque ipſorum probare, Athanaſium & Chryſoſtomum non ore ſolùm, ſed & corde damnando, *conſubſtantialis* vocem, & imaginum cultum proſcribendo, Gregorii Nazianzeni abdicationem probando, ſibi, poſt baptiſmum ab hæreticis, vel ſacram ordinationem à Formoſo ſuſceptam, novum Baptiſmum vel ordinationem procurando &c. neglectis argumentis omnibus ſibi in contrarium occurrentibus, & quibus ipſis certum videbatur, fallibiles Eccleſiæ præpoſitos iſtis in rebus reipſa erraſſe.

2°. Quòd dum Liberius Papa, exilii ſui tædio victus, ut Sedi ſuæ reſtitueretur, damnato Athanaſio, Ariani Demophili fidem ſuſcepit, Romani Sacerdotes nec potuerint, nec debuerint, ſpretis judiciis ſuis, judicio ipſius cæcâ obedientia ſtare, dum in urbem, Victoris in morem regreſſus (prout Hieronymus ſcribit) opprimere ſtatuit quotquot non ſtarent. Conſtat hoc ex eo quòd Eccleſia debito Martyribus honore colat ſanctiſſimum virum Euſebium, alioſque Sanctos, qui conatibus ipſius non ſolùm obſtiterunt, ſed & ipſi anathema dixerunt.

3°. Quòd S. Iſidorus Peluſiota adverſus S. Cyrillum, Patriarcham ſuum, laudabiliter invectus fuerit, ut S. Joannem Chryſoſtomum, quem S. Cyrillus Judæ convitio impetebat, partes tueretur.

4°. Quòd nec Clerici, nec laici Conſtantinopolitani, potuerint, nec debuerint ſe ſubmittere judicio Neſtorii Patriarchæ ſui, Beatiſſimam Virginem Dei Matrem eſſe negantis, etiam ante definitionem Concilii Epheſini; nec Romani Vigilium Papam ſequi in variationibus

ſuis, quibus tria Capitula modò probavit, modò improbavit. Imò Conſtantinopolitanos jure laudatos à Cæleſtino Papa fuiſſe, quòd Neſtorio palàm reſtitiſſent: *Beatus*, inquit, *grex, cui dedit dominus de paſcuis judicare.*

50. Per conſequens ex tot exemplis certiſſimum eſt, quòd dum ſubditi juſtam habent cauſam non approbandi fallibile judicium Præpoſitorum ſuorum, illud ex Chriſtiana humilitate, ſimplicitate & obedientia approbare non teneantur, nec judicium ſuum judicio ipſorum cœco more ſubmittere; quódque Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Cameracenſis quarti Documenti ſui Paſtoralis p. 2. c. 4. validè confutet eos, qui Eccleſiæ in decidendis factis doctrinalibus fallibilitatem agnoſcentes, nihilominùs aiunt, ſuperbi indociliſque animi eſſe, ſuum quoad illa judicium Eccleſiæ judicio cœca obedientia non ſubmittere. *Quæ enim* (inquit) *vana & chymerica ſuperſtitio illos moratur? . . . . Homines illi imbecilla quadam pietate, popularique & inordinata (ut loquitur S. Thomas) credulitate præoccupati, fubrutis avulſiſque ædificii fundamentis, ipſum inter auras medias ſuſpenſum ædificium ſuſtentare moliuntur. Abhorrent ab ea animi arrogantia, qua privatus quiſpiam audet arbitrari, non ſe, ſed Eccleſiam errare. . . . verùm. . . . graviter ſecum ipſi pugnant, dum hinc quidem volunt Eccleſiam in hac vel illa re hic & nunc fortè errare; illinc autem contendunt, in hac vel illa re, cœco more illam audiendam, ad effugiendam arrogantiæ & indocilitatis notam. . . . . Non ſine cauſa* Janſeniani facti Defenſores *graviter & frequenter in ſcriptis ſuis invecti ſunt adverſus tractabilem hanc docilitatem, pietatemque flexibilem, quæ temporiſerviat, tutam à procellis impendentibus ſedem eligat, ſuperioribus ſuis ita faciat ſatis, ut ſibi uni ſit commoda, unam denique quietem ſuam, hominumque laudem vel ipſius veritatis diſpendio quærat.* Verùm *qui ſuum in hac neſcio qua docilitate. . . . . tempori ſervienti perfugium ſtatuunt*, imprimis non vident quàm *inordinatum ſit, ſi quis id ipſum quod fallibile, atque adeò actu incertum credit, id ipſum (inquam) Decretum,*

perin-

perinde ac decretum infallibile, cæco more, certò credat. Deinde *urgentur illi acriter à* facti Janſeniani Defenſoribus: *Ecquid, enim (inquiunt iſti) arrogantiſne atque ſuperbæ mentis eſt, quo quis tam diu jurare extimeſcit, quamdiu aliâ nullâ niſi ſigni fallibilis certitudine movetur? Imò verò hanc ipſam arrogantiam atque ſuperbiam omnibus, niſi qui perjuri eſſe velint, imperant & S. Auguſtinus, & S. Thomas.* Enimverò *ipſius nobis humilitatis ſervanda menſura eſt* (ait humillimus S. Paulinus epiſt. 12. ad S. Amandum) . . . . *Eſt autem & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua.* Denique *hanc inanem adimi humilitatem* (proſequitur Illuſtriſſimus Cameracenſis) *innumera evidentiſſimaque exempla refellunt. Sint aliqua multorum inſtar. Privatus quiſpiam. . . . . in ea Curia, quæ incorruptiſſimis perſpicaciſſimiſque abundat Judicibus, cauſâ ceciderit; tumque, ex peritorum quatuor vel quinque Patronorum conſilio, ad Regium appellare Tribunal ſtatuat, ut latum à Curia decretum reſcindatur: nùm ille erit ſuperbiæ atque arrogantiæ plenus? Non eſt adeò quidem mentis inops, ut ſe judicibus ſuis omnibus videre acutiùs credat. Cùm autem illos erroris non expertes noverit, tum etiam abſque ulla vel arrogantia, vel temeritate colligit, atque ex argumentis peritorum Patronorum ſtudio ac diligentia diu multumque perpenſis, infert ſapientis hujus religioſique Tribunalis fallibilitatem, erroris præſentis cauſam, & originem extitiſſe . . . . . .*

Quando à fœderis iniqui fautoribus decepta Sorbona Decretum 7. Januarii 1589. condidit, in quo declarabat, Gallos eo quo ſe Regi obligarant fidei ac obedientiæ ſacramento reipſa ſolutos eſſe. . . . . Item aliud 10. Februarii 1590. in quo declarabat, abhorrere ſe. . . . ab opinionibus peſtiferis, damnandiſque ſententiis eorum, qui aſſerebant, poſſe & debere Henricum Borbonium titulo Regis decorari, licere tuta conſcientia partibus illius adhærere, illique vectigalia pendere, atque etiam fas eſſe illum, ea lege ut fidem catholicam amplecteretur, pro Rege habere & colere. Quis Gallos eos omnes, qui, repugnantibus licèt geminis hiſce decretis, Henrici III. & Henrici IV.

imperio se subjectarunt, quis (inquam) eos dicat indociles, eaque superbia inflatos, ut se Sorbona ipsa acutiores existimarent?

Quando Consubstantialis vocem Concilium Ariminense, & Constantinopolitanum abrogavit cultum Imaginum, haud dubiè privati homines, præsentissima necessitate compulsi, adversus expugnare debuerunt. An ideo privatus quilibet, qui Conciliis istis parere primùm renuit, fuit animo temerario, eaque superbia inflatus, ut se frequentissimis Episcopis illis acutiorem crederet?

Quando in Concilio Mediolanensi 300. Episcoporum Occidentis confirmata fuit injusta contra S. Athanasium sententia, solis tribus Dionysio Mediolanensi, Eusebio Vercellensi, Lucifero Calaguritano pro ipso stantibus, tresne isti animo temerario renuerunt?

Quis non videt in expositis hisce casibus singulis, licuisse privato cuilibet geminum essentialeque officium ita mente complecti, & conjungere, ut utrique pareret? Alterum quidem, quo tam multos Episcopos longè seipso acutiores existimasset, exterioremque frequentium illorum authoritatem esset reveritus. Alterum verò, quo credidisset Cœtus illos doctrina licèt commendatos, in ea re tamen fallibiles, potuisse in errorem actu incidere. . . . Nec se posse consentire, ut sua, quæ gentium omnium erat, fides labefactaretur, atque innocens, cujus ipsis certa erat innocentia, damnaretur.

In illis casibus omnibus quàm iniquè foret inclamatum: Non pudet superioribus suis cœco more non parere? Num quis tot tamque eruditis Episcopis acutiùs videre se putat? Superbia atque arrogantia tumet, quisquis rebus definitis derogat fidem. Imò in ejusmodi casibus damnum non resarciendum intulisset, quisquis asseruisset, supponendum semper id quod definitur à Superioribus, nihilque in illis circumstantiis esse potuit pernicioſius, quàm pietas illa & humilitas *inordinata, inconsiderata, superstitiosa, cujus scopus est Superioribus applaudere,* etiam cum periculo approbandi errorem & injustitiam. *Docilitas, nullis circumscripta limitibus, est sanè tum excellentissima, cùm in authoritate, quæ nec fallibile nec fallax* est veritatis *signum.*

ſignum, fundatur. Quid autem à ratione magis alienum, quid, ut ex S. Thomæ principiis loquar inordinatum magis, quàm ſi quis humanæ rationis lumen extinguat, eamque erroris voluntarii periculo ſubjiciat, dum fidem cœco more adhibebit hominum cœtui, quos ipſe actu erroris non expertes in eo quod eſt in controverſia cenſet?

Itaque in iis rebus in quibus Eccleſia fallibilis eſt, *tunc Eccleſia non poteſt non ſpectari tanquam hominum Cœtus, qui, licèt doctrina pietateque ſint commendati, iis quæ adhærent humanæ naturæ vitiis omnibus laborant.* Ideoque *poſſunt vanis ſubtilitatibus præoccupari & perſtringi, mentitum fulgorem in veræ evidentiæ loco numerare poſſunt. Poſſunt, ſæcularem Poteſtatem pertimeſcentes, aut ſecretis quibuſdam cupiditatibus decepti*; ſeu aliàs malè *informati, partium quarumdam authores & duces ſequi*, ut ſuprà demonſtratum eſt. *Ut illorum virtus, ſic etiam authoritas fragilis eſt.*

Argumentum octavum ſuprà inſinuatum ab Illuſtriſſimo Cameracenſi, petitur ex S. Thoma q. 12. de Verit. a 6. ubi dicit, quòd *ſemper contingit inordinatio; quando aliquid movetur non à proprio motivo, ſicut ſi voluntas moveatur à delectabili ſenſus, cùm debeat tantùm moveri ab honeſto. Proprium autem motivum intellectus eſt verum, id quod habet infallibilem veritatem. Unde quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili ſigno, eſt aliqua inordinatio in ipſo, ſive perfectè, ſive imperfectè moveatur.* Atqui intellectus movetur ab aliquo fallibili ſigno, dum à ſola movetur authoritate fallibili. Igitur eſt aliqua inordinatio, ſi ab ea ſola moveatur, ſive perfectè & certitudinaliter, ſive imperfectè, & abſque certitudine ei credendo. Porrò nihil inordinatum Papa, vel Eccleſia præcipere poteſt. Igitur præcipere non poteſt ut ſoli ipſius authoritati ſive perfectè, ſive imperfectè credatur, in iis in quibus authoritas ipſius eſt ſignum fallibile. Videri poteſt doctiſſimus Author libri *De fide humana*, ubi argumentum iſtud pluribus illuſtrat, cumque eodem S. Doctore, ſicut & cum Guilielmo Pariſienſi, Richardo de Media-Villa, Eſtio &c. inde concludit 1. quòd

in ſtatu innocentiæ, in quo homo nihil inordinatum admittere poterat, intellectus humanus nunquam in unam partem judicando inclinaſſet, niſi adductus veritate, cui error ſubeſſe non potuiſſet. Quodque proinde, eo in ſtatu, non ſolùm *nulla falſa opinio fuiſſet* (verba ſunt S. Thomæ) *ſed penitus nulla opinio in eo fuiſſet.*

Concludit 2. cum eodem Authore Illuſtriſſ Cameracenſis c. 2. *nemini imperari poſſe ut non dubitet, cùm habet ille cur dubitet*, niſi ab authoritate infallibili: ſicut nec imperari poteſt *ut ex incerto certum colligat*, id tanquam certum credendo, de quo nullum ipſi appareret argumentum certum, ſed ſola authoritas fallibilis, adeóque ſe ſola incerta. Cùm hoc ipſum ſit falli, teſte Auguſtino Enchirid. 17. ubi eum errare dicit, qui rem, etiam in ſe veram, ſub incerto veritatis ſigno propoſitam, approbat ut certam: *Aliud nihil eſt errare, quàm. . . . . incertum habere pro certo &c, ſive falſum, ſive verum ſit.* Et infrà: *Quis niſi errans, malum neget. . . . . habere incerta pro certis &c?* Omnis verò error, vitium eſt contrarium naturæ rationali, prout idem frequenter docet.

3. Idem Illuſtriſſimus concludit, neminem poſſe aſſenſu planè firmo credere, *Janſenii librum eſſe hæreticum*, ſeu quinque damnatas ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. propoſitiones continere, *niſi ad id credendum adducatur, aut pœna perſuaſione, quam libri examen attulerit, aut Eccleſiæ authoritate, quæ non ſit ſignum fallibile.* Quippe hoc ipſo quòd Eccleſiæ authoritas eſt ſignum fallibile, ſumma quidem ei debetur veneratio, etiam interior; falſum tamen pro vero proponere poteſt. Non poteſt ergo, vi ſua præciſè, fideles omnes certos reddere de veritate; nec per conſequens dubium omne de veritate prorſus vincere & elidere; utpote quod ſola in contrarium certitudine vinci elidique poteſt. *Itaque ſi privatum ponamus aliquem, non ſolùm qui dubitet, ſitne Janſenii liber hæreticus. . . . . verùm etiam qui in animum induxerit, efficacibus invictiſque rationum momentis niti ſententiam*

con-

contrariam, homini ſic affecto nequaquam imperare, aut etiam permittere queas formulæ ſubſcriptionem, atque adeo ſacramenti in formulæ verba nuncupationem. Parte unâ pulſat hominem perſpicuitas & evidentia (ſaltem ſpecietenus) qua apparet falſitas illius quod credendum illi ſubjicitur. Parte altera nihil ſuppetit quod imponat in lancem alteram; quodque iſti certitudini evidenti opponat, niſi authoritas (totius Antiquitatis, ſcholarumque omnium conſenſu) *fallibilis* (ſignum proinde, *ſeu argumentum* fallibile; quod prævalere non poteſt iſti certitudini evidenti. *Inordinatio ſit itaque. . . . ſi intempeſtivâ & præproperâ* credulitate mens aſſentiatur, & certitudine, quæ ipſi evidens videtur, aſpernata, *dedat ſe ſigno fallibili.*

Si quiſpiam dicat authoritatem ſummi Pontificis, Epiſcoporumque ipſi conſentientium, etſi non omnimodè infallibilem, ſic tamen eſſe moraliter infallibilem, ut ob reſpectum ipſius dubium omne comprimi debeat; etſi enim non ſit ab omni erroris periculo prorſus immunis, moraliter certum eſt eam in definiendo facto Janſenii actu non erraſſe.

Contra: ne totius quidem Eccleſiæ authoritas purè humana, in iis in quibus ex Chriſti promiſſione non adeſt illi ſpecialiter Spiritus Sanctus, immunis eſt à morali periculo erroris, nec proinde vi ſuâ præciſè fideles moraliter certificare poteſt, ſe in definiendo illo facto actu non erraſſe. Non (inquam) id magis poteſt in factis doctrinalibus, obſcuris & controverſis, quàm in perſonalibus, de quibus argumento ſequenti. Nec certè certitudo illa moralis de facto Janſenii magis haberi poteſt ſola vi authoritatis Eccleſiæ, quàm certitudo moralis de facto Origenis, Marcelli Ancyrani, Theodoreti, Honorii Papæ &c. Cùm enim Eccleſiæ authoritas æque adſit factorum iſtorum deciſionibus, quàm deciſioni facti Janſeniani, ſeu ſola Eccleſiæ authoritas ſufficiens non ſit ad fundandam ſe ſola moralem certitudinem factorum illorum, conſequens eſt quòd nec ſufficiens ſit ad fundandam ſe ſola moralem certitudinem facti Janſeniani; nec proinde ad fundandam obligationem cre-

den-

dendi factum istud, magis quàm ad fundandam obligationem credendi facta illa. Ad quam si foret sufficiens ab obedientia Ecclesiæ debita palam defecissent Baronius, Bellarminus, Perronius, S. R. E. Cardinales excellentissimi, sicut & Petavius, Sirmondus, aliique suprà commemorati Theologi eruditione eximii, qui factis illis per Concilia & Pontifices decisis fidem adhibere detrectarunt. Quod cùm asseri nequeat, *nulla est mentis illusio manifestior* (ait Illustrissimus Cameracensis ubi suprà c. 4.) *quàm eorum, qui dum alterâ manu avellunt ab Ecclesia verum ac propriè dictum non errandi privilegium; alterâ nescio quod infallibilitatis phantasma reponunt, dum ei fidem semper adhibitam volunt. Si Ecclesiam falli posse existimant, si Religio generatim non spondet eam actu non falli, ubi de quæstionibus hujusmodi judicat; vana & ridicula superstitione ducuntur, ne deceptionem eo casu timeant, ubi eam actu timendam confitentur. Qua sunt tandem illa mysteria? Quid in illa cunctatione religionis est? Quid eam, quam actu fallibilem intrepidè supponis, credere trepidas actu deceptam, cùm admissi erroris argumenta subsunt? Quid cohærens minùs, quid magis extra locum, quàm imbecilla illa & obscura pietas, credulitasque plebeia, & juxta S. Thomam ab ordine aliena, quâ fit, ut cùm Ecclesiam actu falli posse semper confitearis, eam actu non falli, contra quamcumque dubitandi rationem*, imò contra rationem evidenter persuadentem eam actu falli, *cæcis oculis, & commoda quadam animi docilitate, qua se periculo cautè subtrahit, semper supponas?*

Si dicat 2. quòd si Ecclesia in decidendis ejusmodi quæstionibus falli queat, multò faciliùs tu & quilibet privatus.

Id quidem verum est ceteris paribus, si utique criticus labor, sollicita industria, æquum (sine præoccupato affectu) examen, textuum inter se, cumque authoris scopo accurata collatio, æqualiter adhibita fuerit ab Ecclesia, vel à Papa & Episcopis, atque à privatis. Sed hæc omnia à Papa & Episcopis pari exactitudine præstita non sunt circa quæstionem criticam de facto Jansenii,

ſenii, quemadmodum à plurimis privatis Theologis, pietate & eruditione præclaris; tametſi cætera à Papa & Epiſcopis ritè examinata fuiſſe concedantur. Theologi porro illi religioſè teſtantur nihil aliud à ſe deprehenſum in Janſenii Auguſtino, poſt ſæpiùs repetitam illius lectionem, & accuratiſſimum juxta criticæ leges examen, niſi doctrinam gratiæ per ſeipſam ſalva libertate efficacis.

Dixi, omnia ſupradicta pari exactitudine præſtita non fuiſſe à Papa & Epiſcopis, utpote quorum pauci librum legerunt, longè pauciores ſenſum illius ad criticæ leges exactè diſcuſſerunt, imò veriſimiliter nulli. Nec enim ipſis vacat. Multò minùs Romano Pontifici, totius Eccleſiæ negotiis occupatiſſimo. Ad paucos proinde Conſultores examinandi cura devolvitur; ex eorum duntaxat examine & informatione cauſa à Romano Pontifice definitur. Porro certum eſt conſultores illos non ſemper perſpicaciores eſſe privatis Doctoribus præcellentis eruditionis ingeniique præ ceteris acuti; quorum etiam cura, induſtria, ſedulitas, exactitudo in examinando ſecundùm criticæ leges ſenſu libri cujuſpiam ſæpe non minor, imò plerumque major eſt quàm illorum. Certum eſt ergo per fallibilem ejuſmodi definitionem in Cenſorum illorum examine, informationeque unicè fundatam vinci ſemper non poſſe omne dubium, in magis exacto acutiorum, magiſque perſpicacium examine plerumque fundatum.

In cauſa quidem quinque propoſitionum (teſte Alexandro VII.) ea adhibita eſt diligentia, quâ major deſiderari non potuit; ſed in ordine ad quæſtionem dogmaticam, an & quali cenſura qualificandæ forent; non in ordine ad quæſtionem criticam, an hæreticus ſenſus earum in Janſenii Auguſtino contineretur, eumque Janſenius intendiſſet. Nec hoc dicit Alexander VII. Nec diſcutiendum Innocentius X. Conſultoribus injunxit, ſed *ut ſingulæ propoſitiones per ſe examinarentur, & qualificarentur in abſtracto, ſicut jacent, abſque ullo reſpectu ad Auctorem.* Et ita concluſum fuiſſe in prima Conſultorum Congregatione facta in domo Cardinalis.

Spa-

Spada, die 14. Martii 1652. teſtatur Lucas Wadingus, Conſultorum unus, in Relatione de negotio 5. propoſitionum. Teſtatur & Commiſſarius Sancti Officii in ſuo ad 1. propoſitionem ſuffragio ſeu voto dicens: *Hæc propoſitio non eſt qualificabilis ratione proferentis: quia propoſita fuit in abſtracto, ut præſcindit ab omni proferente.* Denique Illuſtriſſ. D. Boſquetus, Epiſcopus Lodevenſis in ſua Relatione (memorata in proceſſu verbali Conventus Cleri Gallicani anni 1655.) teſtatur, ſibi à ſummo Pontifice dictum, *quòd noluiſſet exprimi nomen, nec memoriam Janſenii, nec agi de quæſtione facti præciſe.* Santamorius quoque in Diurno ſuo p. 4. c. 2. teſtatur, S. Auguſtini Diſcipulis in audientia unica quam ab eodem obtinuerunt 21. Januarii 1652. ipſis à ſua Sanctitate vetitum, *ne ullo modo Janſenii facerent mentionem.* Nec ab eadem Sanctitate ipſis conceſſum fuiſſe; licèt poſtulatum, ut in judicio contradictorio, ſuper facto Janſenii, coram adverſariis ſuis audirentur, prout neceſſe erat ad removendum omne dubium ſuper facto illo, ne Catholici Epiſcopi liber & perſona de Eccleſia benè merita abſque neceſſaria defenſione, contra Dei legem condemnaretur. Ad hoc quippe in examine contra eum facto nihil prætermittendum erat ſubtilitatis, ne innocens in libro ſuo damnaretur, prout in examine contra Theodorum Mopſueſtenum, Concilii V. Patres Collatione quarta dixerunt: *Oportet in examinatione, quæ contra eum provenit, nihil prætermitti ſubtilitatis.* Propterea etiam in Congregationibus de auxiliis toties in judicio contradictorio audiri poſtularunt, & per decem annos auditi fuerunt Libri Molinæ Defenſores; ſicut & in cauſa Rituum Chinenſium per annos ſexaginta. Abſque examine quippe contradictorio, dum fieri poteſt, vix poſſibile eſt, in caſibus obſcuris, difficilibus, & valde controverſis, judicia haberi manifeſta, neceſſaria ad vitandum periculum, innocentem in libro ſuo condemnandi, civilique vitâ, id eſt fama & honore velut hæreticarum quinque propoſitionum Authorem ſpoliandi. Et ne ſexaginta quidem Annorum examen Jeſuitæ ſufficiens putant ad Ritus illos condem-

nan-

randos; ideóque examen ulterius poſtulant, decretique abſque illo facti revocationem, prout litteræ Romanæ docent.

Prorſus ergo infundata eſt, moralis facti Janſeniani certitudo; nec per Romanum judicium ſublata ambiguitas illius, & moralis incertitudo, magis quàm incertitudo facti Theodoreti per judicium Concilii V. vel facti Honorii per judicium Concilii VI. Et quamvis in incertis & dubiis, præſumendum ſit in gratiam ſuperiorum, quorum potior eſt Authoritas; non ſic tamen ut præſumptio iſta certum efficiat quod aliàs eſt incertum, certumque poſtulet, excluſa omni dubitandi ratione, mentis aſſenſum, ſed ſic ut ceteris paribus judicio privatorum prævaleat judicium (licèt incertum) ſuperiorum; ſic etiam ut dum utraque concurrit authoritas, falſitati obnoxia, major ſuperiorum, minor privatorum Doctorum, ceteris paribus præferatur major, & licèt majori ſemper debita non ſit firma aſſenſio (quæ ſoli debetur veritati, vel ratione evidenti, vel authoritate infallibili propoſitæ) ſemper tamen debita ſit talis veneratio, religioſumque obſequium, ut ab omni contra judicium majoris authoritatis aſſenſu abſtineatur, dum hinc inde nihil occurrit niſi fallibile veritatis ſignum, tuncque ſolùm in aſſenſum contrarium prorumpatur, cùm adeſt intima convictæ mentis perſuaſio ex accurato rei examine profecta, qua quis evidenti argumento convictum ſe intelligit, majoris authoritatis judicium à veritate aberrare. Tunc namque authoritas major cum authoritate minore non confertur, ſed authoritas extrinſeca non convincens, cum perſuaſione ntrinſeca argumento evidenti & convincente nixa, quam iberum non eſt abjicere quamdiu nihil in contrarium occurrit, niſi ſignum fallibile & incertum; argumento roinde ſeu ſigno certo & evidenti cum modeſtia poſtonendum.

SUB-

SUBSECTIO DECIMA SEXTA.

Argumentum nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum-tertium.

ARgumentum nonum: Ecclesia, vel Romanus Pontifex æquè fallibilis est in definiendis factis doctrinalibus, atque in definiendis factis personalibus. Ergo (infert Illustrissimus Cameracensis cap. 7.) *religioni non magis debet esse privato cuilibet, rationis sua lumen non subjicere, ut cæco more veritatem decreti Ecclesia circa facta doctrinalia, quàm circa facta personalia credat. Atqui, ut constat, religioni non debet esse privato cuilibet, rationis sua lumen non subjicere, ut cæco more credat veritatem factorum merè personalium, in quibus* infallibilem non esse Ecclesiam fatentur omnes. Ergo etiam, ut patet, religioni non debet esse privato cuilibet, rationis suæ lumen non subjicere, *ut cæco more credat* veritatem factorum doctrinalium, sive, ut ipse loquitur, *textuum ab Ecclesia definitorum.*

Argumentum istud paulò aliter hoc modo confici potest: Nec Ecclesia, nec Papa, sola vi fallibilis authoritatis suæ, fideles obligare potest ad credendam veritatem factorum personalium, dum justa ipsis ratio occurrit de eorum veritate dubitandi. Ergo nec ad credendam veritatem factorum doctrinalium &c. Cur enim ad illud sola vi &c. obligare non potest, nisi quia aliàs obligare posset ad credendum errorem, cui obnoxia est authoritas ipsius? Atqui similiter ad credendum errorem obligare posset, si ad istud credendum sola vi &c. obligare posset. Cùm authoritas ipsius æquè obnoxia sit errori in isto quàm in illo casu. *Vana igitur superstitione* (concludit idem Illustrissimus) *puerilisque animi imbecillitate ageretur, quisquis non auderet unquam supponere, in eo casu* circa factum doctrinale, æque ac personale, *Ecclesiam actu versari, in quo posse illam quocumque tempore versari supponitur.* Confer

fer cetera quæ Illuſtriſſimus addit ſuprà in argumento 2.

Argumentum decimum: Papa non minùs eſt fallibilis in decidendis factis doctrinalibus, quàm in decidendis factis Hiſtoricis, Geometricis, Aſtronomicis &c. Ergo ſola vi ſupremæ in Eccleſia Authoritatis ſuæ non magis obligare poteſt ad credendam veritatem factorum Doctrinalium, quàm Hiſtoricorum, Geometricorum, Aſtronomicorum &c. Atqui ad credendam horum veritatem ſola vi authoritatis ſuæ obligare non poſſe, Doctores conſentiunt. Et ideò licèt Eugenius IV. Epiſt. ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem expreſſe declaret, Cardinales non Epiſcopos, à tempore S. Petri, ſupra Epiſcopos non Cardinales præeminentiam ſemper habuiſſe, Hiſtorici ac Theologi potiùs credunt Bellarmino, qui re iſta propiùs examinatâ, ſuo labore, ſtudio, diligentia, ſagacitate contrariam veritatem detexit, varioſque aſſignavit gradus, per quos ad tantum faſtigium Cardinales ſenſim evecti ſunt. Quamvis etiam Nicolaus I. Epiſcopos omnes compellere voluerit ad recipiendas veterum Pontificum Decretales tanquam veras, eruditi id non credunt, quia Centuriatorum Magdeburgenſium probationes in contrarium magis credibiles exiſtimant. Quamvis Zacharias Papa erroneam declaraverit Virgilii epiſcopi ſententiam, *alios eſſe ſub terra homines*, contrarium velut indubitatum nemo non credit, ex quo Americam Chriſtophorus Columbus detexit, ad eamque Hiſpanorum colonias Hiſpaniarum Reges miſerunt. Nemo denique jam culpat Toſtatum Abulenſem ſuis de anno Chriſti emortuali conjecturis & calculis aſtronomicis potiùs credentem, quàm opinioni & cenſuris Eugenii IV. Quia nempe in iis quæ pendent à ſcientia naturali & experimentali, naturale ingenium, ſtudium, induſtria & ſagacitas, quibus ſcientia illa acquiritur, non eo ipſo majora ſunt in homine, nec major eſt dignitas ipſius, nec præcellentia cognitionis naturalis ſemper conjuncta eſt cum præcellentia dignitatis, prout ſub finem Artificii XIII. dixiſſe me memini.

Quæ ratio æque probat pro factis doctrinalibus ſeu quæ-

quæstionibus criticis de sensu libri, vel authoris, quàm pro factis seu quæstionibus Historicis, Geometricis &c; cùm criticæ illæ quæstiones æque pendeant à scientia, lumine, industria & sagacitate naturali, quàm quæstiones Historicæ, Geometricæ &c.

Argumentum undecimum: Nec Papa, nec Ecclesia à fidelibus exigere potest aliquid impossibile: Atqui exigeret ab ipsis aliquid impossibile si sola vi authoritatis suæ exigeret assensum certum de facto v. g. Jansenianó. Siquidem exigeret assensum certum, cujus unicum & adæquatum assentiendi motivum esset incertum, sola utique vis fallibilis adeoque incerta, authoritatis suæ. Assensus verò certus, cujus unicum & adæquatum motivum est incertum, est mens sine valle, lumen sine luce, triangulum sine lateribus. Est igitur quidpiam pariter impossibile. Nec enim cognitio ulla esse potest certior ea re, à qua accipit, si quam habet, certitudinem. Illa verò cognitionis species, quæ assensus dicitur, à suo motivo unico & adæquato accipit, si quam habet certitudinem; sicut conclusio, si quam habet certitudinem, accipit à præmissis; ædificium, si quam habet firmitatem, à suo accipit fundamento. Quemadmodum ergo impossibile est firmum esse ædificium, cujus fundamentum unicum & adæquatum est infirmum; impossibile quoque, certam esse conclusionem syllogismi, cujus incertæ sunt præmissæ; sic impossibile est certum esse assensum, cujus motivum adæquatum est incertum. Quale necessariò est, dum motivum, seu assentiendi ratio unica & adæquata est authoritas fallibilis; utpote eo ipso falsi admittendi capax, quo fallibilis; nihil proinde ex se solâ habens, unde cum veritate hic & nunc necessariò conjungatur. Authoritas ergo fallibilis se sola nihil habet, unde certa sit & indubitata; ac per consequens nihil habet, unde assensum certum, firmum & indubitatum generare possit. Neque enim firmitatem & certitudinem effectui suo dare potest quam non habet. Sic itaque naturæ ordine comparata est humana mens, ut ad certum indubitatumque assensum duplici tantùm modo valeat inclinari, vel ratione evidenti, per quam

quam convincatur, vel authoritate certò infallibili, per quam in ſui obſequium captivetur. Cujuſmodi ſe ſola non eſt authoritas purè humana, ſed ſola divina.

Dixi authoritate certò infallibili. Neque enim authoritas ſolùm probabiliter, incertò proinde infallibilis, fundare non poteſt niſi aſſenſum ſibi proportionatum, probabilem utique, & incertum. Cùm certus eſſe nequeat aſſenſus unicè fundatus in authoritate ſolùm probabiliter & incertò infallibili; hoc ipſo namque quòd incerta eſt infallibilitas ipſius, ſolúmque probabilis, incertum eſt ſolúmque probabile, quòd hic & nunc non fallatur in eo quod ſola vi ſua hic & nunc decidit; neque enim falſitatem deciſionis certò excludere poteſt infallibilitas incerta.

Ad ſummum verò probabilis infallibilitas tribui poteſt papalibus deciſionibus factorum de quibus agitur, utpote quibus tribui nequit infallibilitas certa certitudine morali, utpote quæ contra ſe habet fortiſſima argumenta Artificio præcedenti deducta; multò minus certitudine fidei divinæ. Neque enim talis habetur in Eccleſia, nec talis ab Eccleſia declarata. Aliàs hæretici forent Theologi penè omnes, qui ei contradicunt. Hoc autem aſſerere, fatuum eſſet, ac prorſus temerarium.

Argumentum duodecimum: Eccleſia quidem ſicut & Papa, exigere poteſt aſſenſum, ſeu credulitatem certam facti, ſeu perſonalis, ſeu doctrinalis, dum factum iſtud adeo certum eſt, clarum ac notorium, ut abſque controverſia ab omnibus ſit admiſſum; bonaque proinde fide illud negare, vel de eo dubitare non cenſeantur, ſi qui negent, vel de eo dubitent. Quia non præſumuntur factum ab omnibus admiſſum negare, vel in dubium revocare, niſi ut damnatum tueantur errorem. Verum aliud eſt de factis obſcuris, ambiguis, & inter Doctores Catholicos controverſis, quæ in bonum ſenſum trahi poſſunt, atque in bonum ſenſum trahi debere rationes graviſſimæ ſuadent & Patres docent, præſertim dum rationibus illis adminiculantur circumſtantiæ, ſuadentes illius facti damnationem (ab Eccleſia vel Papa fallibili Authoritate factam) factam non eſſe cum exacta obſer-

ſervantia regularum neceſſariarum ad ſufficientem veritatis cognitionem. Quia rationes illæ graviſſimæ tunc ſola Eccleſiæ vel Papæ authoritate, ſeu definitione elidi non poſſunt, ſed ſola ratione evidenti vel authoritate falli neſcia, ut ſuprà demonſtratum eſt. Tametſi enim Eccleſiæ & Papæ authoritas tanti ſit ponderis, ut nulla authoritas major, vel æqualis, in eo genere, apud mortales inveniri queat; ſumma proinde veneratione, tam interna, quàm externa, à fidelibus omnibus excipienda ſint decreta ſeu definitiones, inde provenientes, iiſque temerè contradicere non liceat: ſola nihilominus vi ſua præciſè parere non poſſunt certitudinem de ſui decreti veritate ac juſtitia, nec juſtam omnem de ea dubitandi rationem elidere ac ſuperare, uti demonſtrant argumenta ſuperiora; demonſtrat & ratio iſta, quòd ſecundùm Auguſtinum rectæ rationis uſus poſtulet, ut res ipſas ſimpliciter, prout ſeſe cognitioni noſtræ offerunt, attingamus, iis per judicium noſtrum nihil addendo, nec detrahendo Quod is demum facit, qui habet ut certò verum id quod ſub certo veritatis ſigno ſibi proponitur ut verum; & ut certò falſum, quod ſibi proponitur ſub certo ſigno falſitatis; denique ut incertum & dubium quod ſibi non proponitur niſi ſub incerto & ambiguo veritatis ſigno. Atqui factum Janſenii v. g non proponitur niſi ſub ſigno veritatis incerto & ambiguo, dum ſub alio non proponitur veritatis ſigno, niſi fallibili Eccleſiæ, vel Papæ definitione.

Dixi *ſecundùm Auguſtinum*, utpote qui Enchirid. c. 17. errare docet, qui ratione aliter utitur: *Quis, niſi errans, malum neget, approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?*

Argumentum decimum-tertium ſumitur ex unanimi conſenſu Controverſiſtarum adverſus noſtri temporis hæreticos diſputantium, catholicamque fidem defendentium. Uno namque ore docent, quòd ſi Eccleſia in fide errare poſſet, ſive infallibilis non eſſet, ejus de fide Decretis firma fides præſtari nec deberet, nec poſſet. Igitur nec ipſius de facto non revelato Decretis firma fides

des (ſaltem ſola vi authoritatis definitioniſque ipſius, præſtari debet nec poteſt, cùm in iis errare poſſit. Conſequentia negari non poteſt. Antecedentis veritatem probat doctiſſimus author libri De obedientia credula, quia Bellarminus l. 2. de Concil. c. 3. & 4. ſic loquitur: *Si Concilia generalia* in fide *poſſent errare, nullum eſſet in Eccleſia firmum judicium*; quódque *poſſent meritò revocari in dubium omnes damnata hæreſes.* Nec ulla eſſet *certitudo de multis S. Scriptura libris.* Illuſtriſſimi Fratres de Walemburch to. 1. controverſ. tr. 3. p. 2. negant in Eccleſia Romana *ſenſum unius hominis (ſcilicet Papæ) eſſe ſenſum fidelium omnium propter neceſſitatem obediendi.* Neque enim obediendi neceſſitatem Eccleſia agnoſcit, dum aſſenſus præcipitur abſque certitudine non errandi. Becanus in Manuali Controverſ. agens de Eccleſia, ipſius de fide definitionibus credendi neceſſitatem unicè repetit ex infallibilitate ipſius de fide definitionum, quæ ſi fallibiles eſſent, nihil certò ac tutò credi poſſet. Unde ex eo quòd *hæretici aiunt, totam Chriſti Eccleſiam errare poſſe*; infert, *neminem apud eos ſecurum ac tutum eſſe de ſua fide*: item, *Lutheranos & Calviniſtas ſemper dubios ac incertos fore, quandiu ſentiunt Eccleſiam errare poſſe*, & rurſus, *Catholicos. . . . . tutos ac ſecuros eſſe in fide*; quia, ut antè dixit, cum Auguſtino ſequuntur hanc certam regulam: *tota Eccleſia viſibilis non poteſt* errare *in fide.* Quia verò *adverſarii tenent*, quòd *tota Eccleſia poteſt errare in fide*, infert, *neminem apud eos ſecurum eſſe de fide.* Lenſæus l. 2. de Eccleſia docet, quòd in materia etiam fidei, ſi Paſtorum Eccleſiæ conſenſio deſit, *nullam eſſe credendi neceſſitatem* ſed relictam eſſe *judicandi libertatem.* Sed ea quæ de fide *concorditer populis* tradunt, *certa & indubitata fide teneri oportere.* Citatque Auguſtinum l. 7. de bapt. contra Donat. c. 53. dicentem: *Nobis tutum eſt in ea* non *progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico. . . . plenario Concilio terminata ſunt: id autem fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini. . . Jeſu Chriſti, univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt*; in materia utique fidei, in qua ipſi

promissa est specialis gubernatio D. N. Jesu Christi, ne erret. Unde Ecclesiæ universalis consensionem, authoritatemque falli nesciam Lensæus his Christi verbis confirmat, *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ex iis quippe infert, Ecclesiæ judicantis sententiæ, tunc tantùm necessariò acquiescendum, cùm judicium ipsius *& rectum est propter veritatem, & necessarium propter obedientiam, & tutum propter divini Spiritus* assistentiam *Christique promissionem.*

Postremò (aliis pluribus omissis) Illustriss. D. Benignus Bossuetus, Episcopus Meldensis, in sua Historia Variationum l. 15. ista duo synonyma esse dicit, *fas esse nunquam ab Ecclesia doctrina deflectere, ac eam esse infallibilem.* Si enim ista sunt unum & idem, à contrario sensu sequitur, fas esse aliquando ab ejus doctrina deflectere, si infallibilis non sit. Unde in colloquio cum famoso Ministro Claudio, infert, quòd *sicut discipulus de Philosophica quadam opinione Magistri sui tandiu incertus est, donec ei fuerit evidenti ratione comprobata, quia Magistrum suum à deceptione prorsus immunem non esse cognoscit. Pari ratione qui Ecclesiam erroris credit obnoxiam, is de verbi divini, ab ea propositi, veritate meritò dubitat.* Ex quo ulterius reprehendit juramenti formulam, quâ particulares Ecclesiæ prætensæ-Reformatæ, deputatos suos ad Synodum nationalem (apud ipsos supremam) mittentes, jurabant hunc in modum: *Coram Deo contestamur, quidquid in vestro sancto Conventu institutum erit, nos esse amplexuros.* Hoc namque sub juramento polliceri non poterant, nisi omninò certi de veritate futurarum institutionum seu decisionum istius Synodi. Aliàs per juratam illam pollicitationem obligarent se ad amplectendas decisiones fortè erroneas, sive cum morali periculo amplectendi errores: quod prorsus illicitum est. De veritate autem futurarum illarum decisionum omnino certi esse non poterant, si suam illam Synodum errori credebant obnoxiam. Igitur aut ea formula, cui subscribere solent qui se reformatos dicunt, dum à se delegatos ad Synodum

dum nationalem mittunt, prorſus illicita eſt, & deluſoria (inquit Illuſtriſſimus Meldenſis) aut infallibilitatis Eccleſiæ clara demonſtratio.

Hæc ad Janſenii cauſam transferri poſſe non dubitat Illuſtriſſimus Cameracenſis Docum. 4. paſtorali p. 2. Si enim licita non ſit, imò deluſoria pollicitatio piè credendi quidquid definitum fuerit à Synodo errori obnoxia, non obſtantibus quibuſcumque rationibus, quæ occurrere poterunt in contrarium; pari, imò majori ratione licita non eſt, ſed deluſoria jurata profeſſio piè credendi factum Janſenianum, definitum à Papa vel Eccleſia, iſta in re errori obnoxia, non obſtantibus &c. cùm iſta profeſſio, ſicut illa promiſſio, conjuncta ſit cum morali periculo credendi errorem; & de præterito quidem commiſſum in priore caſu; nondum commiſſum in poſteriori. Cùm tamen de re futura benigniùs præſumi queat, dum nihil adhuc occurrit, unde Synodum ſuam erraturam prætenſè-Reformati in principiis ſuis, meritò ſuſpicari, vel credere queant; ſicut de Janſenii facto illius defenſores juſtam habere ſe credunt rationem credendi, Papam, malè informatum, erraſſe in intelligentia definiti à ſe critici ſenſus libri Janſenii.

SUBSECTIO DECIMA-SEPTIMA.

Supplex ad S. D. N. Clementem XI. Apoſtrophe.

ARgumenta illa tredecim adeò fortia & convincentia videntur, Beatiſſime Pater, ut ſuper iis ratione doceri quàm humillimè poſtulent pii fideles. Neque enim iis ſolvendis pares ipſi ſunt, nec abſque eorum ſolutione vident, quomodo formularium Alexandrinum in conſcientia jurare queant, vel ſola fallibili authoritate prohiberi à revocando in dubium Janſenii facto, cùm graviſſimæ ipſis occurrant rationes de eo dubitandi, quas argumenta illa probant ſola ratione certa, vel ſola authoritate fallere & falli neſcia, non fallibili vinci elidique poſſe. Nec tamen ob rationes illas dubitant, hæreticas eſſe quinque propoſitiones Janſenio attributas; ſed

de sola veritate istius attributionis; de qua justam omnem dubitandi rationem non magis sustulisse videtur Alexandrina, vel Clementina, Sanctitatis vestræ definitio, quàm definitio Concilii V. VI. VII. & VIII. sustulerit justam omnem rationem dubitandi de veritate attributionis, qua Concilium V. Nestorianam hæresim attribuit scriptis Theodoreti & Ibæ, & Concilium VI. VII. & VIII. Monothelicam attribuit duabus Honorii ad Sergium epistolis. Quam non sustulisse, communi suffragio Theologi docent, certumque videtur ex eo quòd scripta Episcoporum illorum, Honoriique Papæ, Baronius, Bellarminus, aliique passim Theologi, ab erroribus per illa Concilia ipsis attributis non obstante illa definitione quotidie Ecclesia permittente vindicent, Conciliaque illa ex non benè intellectis scriptis illis errasse doceant. Quod cùm ab ipsis bona fide, rectaque intentione fieri censeant omnes; non est cur similiter Jansenii liber ab attributis ei quinque hæreticis propositionibus bona fide, rectaque intentione à defensoribus illius vindicari non censeatur; cùm id dictet lex charitatis & justitiæ, quæ non magis permittit de proximi scriptis quàm de proximi dictis & factis malè judicare, ipsumque de mala fide, perversaque intentione condemnare, *quando deest certitudo rationis*, ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a 2. *Nisi manifesta ratio in contrarium appareat.* Ibidem a 4. ad 2. Enimverò *ea facta, qua dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretari* debemus. S. Augustinus l. 2. de serm. Dom. in monte c. 27. *Res quæ dubietati subjacet, in partem semper est interpretanda meliorem.* Pelagius II. epist. ad Episcop. Istriæ. Nullâ verò rationis certitudine, nulla manifesta, imò nec probabili ratione unquam probatum fuit, nec probari potuit, Jansenianí libri Defensores id facere mala fide, perversaque intentione fovendi animo hæresim, hæreticasque quinque propositiones aliquando sustinendi; nec de pervertitate ista quisquam ipsorum legitimè unquam convictus fuit: quinimò coram Deo, & Orbe universo, omni cum sinceritate, interposito etiam juramento, semper protestati sunt, iterum-

rumque coram Sanctitate veſtra proteſtantur, omnem ſeſe hæreſim, in quinque Janſenianis (ut vocant) propoſitionibus à Sanctitate veſtra ſuiſque Deceſſoribus Innocentio X. & Alexandro VII. damnatam, quocumque in libro extet, etiam in Janſenii Auguſtino, ſi ibi extet, ſicut & aliam quamcumque hæreſim, ab Eccleſia damnatam, damnandamque, toto ſe corde damnare ac deteſtari, ſemperque damnaturos deteſtaturoſque eſſe. Qua in profeſſione fidei ſuæ cùm juxta Gregorium Magnum, Deceſſorem tuum, nefas ſit ipſis non credere (*ſi enim credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur*, ait l. 5. epiſt. 15.) hinc eſt quòd ad ſacratiſſimos Sanctitatis Tuæ pedes provoluti, ei omni cum humilitate ſupplicent, ut his ad ſtateram juſtam appenſis perpenſiſque, judicet 1. An non ſit grande crimen, & atrox calumnia, viros integerrimos atque ex iis pleroſque de Eccleſia optimè meritos, apud populum Chriſtianum, apud Reges ac Principes, apud ipſam quoque Apoſtolicam Sedem, à tot annis traducere velut hæreticos, à quibus error non deponitur, ſed abſconditur, ob id ſolum, quòd Janſenii librum ab attributis ipſi quinque hæreticis propoſitionibus vindicari poſſe cenſeant, argumentiſque fortiſſimis (poſt exactiſſimum libri iſtius examen) ſic ipſis videatur, ſicut eadem de cauſa Theodoreti ſcripta, Honoriique epiſtolas, ab hæreſibus ipſis attributis vindicari poſſe videtur Theologis graviſſimis, de factoque vindicantur abſque ulla vel minima hæreſis, vel pravæ intentionis ſuſpicione? Sunt quidem in Janſenii libro termini aliqui ex ſe ambigui: verùm ut benè poſt S. Ignatium Petavius Dogm. Theol. to. 4. l. 6. in præfat: *Quis eſt ex illis ſanctiſſimis eruditiſſimiſque Patribus, qui formandis & concipiendis pleriſque fidei dogmatibus præfuerunt, cujus ex libris vox & ſententia aliqua decerpi nequeat, quæ deteriorem in partem ambiguitate ipſâ poſſit, & maligna interpretatione torqueri.* Hoc tamen Sanctorum regula non permittit.

2. An maledici illi non ſint deceptores Orbis & Urbis; utpote ſua illa maledicentia cauſa deceptionis po-

puli, Regum ac Principum, ipsorum etiam Romanorum Pontificum. Neque enim supradictos Jansenianî libri bona fide defensores, magis quàm defensores scriptorum Theodoreti, vel epistolarum Honorii, Alexander VII. filios vocasset iniquitatis, nisi fallacibus adversantium maledicentias suas quaquaversum opportunè importunè spargentium artibus circumventus, suppositisset eos mala, non bona fide librum illum defendere. nec Sanctitas vestra eosdem, præ defensoribus Theodoreti & Honorii, in sua nupera Constitutione, *Vineam Domini Sabaoth*, homines appellasset *veritati non acquiescentes. . . inquietos homines, à quibus non deponitur error, sed absconditur, vulnus tegitur, non curatur, Ecclesiæ illuditur, non paretur, & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim*; cùm manifestum sit, epitheta ista bonæ fidei defensoribus non convenire; qui nec unquam docuerunt, nec probari possunt docuisse, ad *veram Orthodoxi hominis obedientiam*, Apostolicis Constitutionibus debitam, non requiri *ut quis* damnatum quinque propositionum *sensum* Jansenii libro attributum, *interiùs ut hæreticum damnet*. Cùm vera Orthodoxi hominis obedientia Constitutionibus Apostolicis debita, sit fides divina, quæ ipsis haud dubiè debetur quoad dogmata, tametsi (juxta Theologos passim omnes) non magis debita sit quoad dogmatum illorum attributionem ad Jansenii librum, quam debita sit Concilio V. quoad hæresis Nestorianæ attributionem ad scripta Theodoreti, & Ibæ, vel debita sit Concilio VI. VII. & VIII. quoad Monotheliſmi attributionem ad epistolas Honorii.

Quoad dogmata itaque in quinque propositionibus damnata, *causa* æque *finita est*, quàm causa Concilii V. VI. VII. & VIII. quoad dogmata ibi damnata; perinde etiam finitus est *error Apostolico mucrone percussus*. Neque enim solius facti Jansenianî bona fide defensores, magis censeri possunt errorem defendere contra veram orthodoxi hominis obedientiam, quàm bona fide defensores factorum omninò similium Theodoreti & Honorii: neque vera orthodoxi hominis obedien-

dientia magis poſtulat, ut fidelis quiſque credat errorem facti non irrepſiſſe in Conſtitutionibus Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. dum hæreticus quinque propoſitionum ſenſus per eas attributus fuit libro Janſenii, quàm ut credat, errorem facti non irrepſiſſe in definitione, qua Concilium V. ſenſum Neſtorianum attribuit ſcriptis Theodoreti, Conciliumque VI. VII. & VIII. ſenſum Monothelicum attribuit epiſtolis Honorii. Qua in definitione cùm errorem facti irrepſiſſe, cum Baronio & Bellarmino innumeri Theologi credant, abſque ulla Conciliorum illorum *injuria*, & *abſque* ullo *Eccleſiæ ſcandalo*; ſimiliter errorem facti in laudatis Conſtitutionibus irrepſiſſe, à Theologis, ſi ratio graviſſima id ſuadeat, credi poteſt, abſque ulla Apoſtolicæ Sedis injuria, & abſque ullo Eccleſiæ ſcandalo. Cur enim iſtud minus quàm illud, dum æque iſtud quàm illud ratio graviſſima ſuadet?

Quinimò de honore Sedis Apoſtolicæ eſſe videtur, id permittere, ne in ea ſedentes videantur dominatum vel etiam (prout hæretici calumniantur) tyrannidem exercere, non Apoſtolatum, id eſt patientiæ, humilitatis, clementiæ, charitatis pleniſſimum miniſterium, quo *paſcendas utique, non premendas oves ſuſceperunt*, ut Bernardus ait l. 2. de conſiderat. c. 6. ubi abſque Apoſtolicæ Sedis injuria Eugenium III. ſic alloquitur: *Eſt vitium, cujus ſi Te immunem ſentis, inter omnes quos novi, ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me judice, ſolitarius. . . . . Facilitas credendi hæc eſt: cujus callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caviſſe inſidias. Inde eis iræ multæ, innocentium frequens addictio &c.*

Argumento itaque planè ſophiſtico deluſi Moliniſmique ſui propagandi ardore nimio, velut faſcinati, facti Janſeniani bonâ fide defenſorum obtrectatores, Beatiſſime Pater, Urbem & Orbem ab annis pluſquàm ſexaginta doloſis artibus ſuis calumnioſiſque clamoribus circumveniunt. Sic enim adverſus eos arguunt: *Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. Janſeniani libri ſenſum damnarunt ut hæreticum. Vos defenditis*

Jansenii libri sensum. Ergo defenditis sensum damnatum ut hæreticum.

Argumentum istud esse sophisticum, inde manifestum est, quòd quatuor constet terminis, perinde ut hoc simillimum: *Sexta Synodus Oecumenica, duæque sequentes, ac duo Romani Pontifices, duarum Honorii ad Sergium epistolarum sensum damnarunt ut hæreticum: Eminentissimi Cardinales Bellarminus & Baronius, epistolarum illarum sensum defendunt: Ergo defendunt sensum damnatum ut hæreticum.* Quatuor terminis syllogismum hunc constare certissimum est, quia sensum illum non defendunt, Bellarminus & Baronius, quem sexta, septima & octava Synodus, duoque Romani Pontifices intellexerunt, & sic intellectum ut hæreticum damnarunt, Monothelicum utique; sed alium certissimè catholicum, in quo Epistolas illas benignè interpretati sunt. Simillimo prorsus modo, Catholici Theologi, Jansenii libri bona fide defensores, sensum illum istius libri non defendunt, quem tres Romani Pontifices in libro isto intellexerunt, sicque intellectum ut hæreticum damnarunt, sensum utique gratiæ necessitantis, sed sensum alium certissimè catholicum, gratiæ utique, salva libertate, per se efficacis, in quo Jansenii librum benignè intelligunt & intelligi posse ex diligenti excussione operis, totiusque orationis contextu, & authoris scopo ostendunt.

Optimè proinde scriptor eruditus observat, duplici ratione hominis etiam ab Ecclesia damnati, sensum defendi posse. Primò, ut ille ipse in individuo sensus, e demque sententia, quam velut hæreticam damnavit Ecclesia, defendatur. Hoc qui facit, hæreticus est, veritati non acquiescens, inquietus homo, à quo *non deponitur error, sed tegitur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam hæresim* (uti dicit Constitutio vestra *Vineam Domini*) quia scilicet vera *orthodoxi hominis obedientia* Constitutionibus Apostolicis denegatur. Secundò, sic ut alicujus Authoris sensus ab hæretico sensu ad Catholicum benigna interpretatione flecta-

flectatur, prout ſcriptorum Theodoreti, & Epiſtolarum Honorii ſenſum flexerunt Theodoreti & Honorii bona fide defenſores. Hoc qui facit ſine probabili ratione temerarius eſt, ac præpoſterè benignus; aſt hæreticus dici non poteſt. Non enim hæreticum, ſed catholicum ſenſum defendit. Et ut Facundus Hermianenſis ait l. 5. c. 3. *Aliud eſt ideo hæreticum excuſare, quòd Catholicus putetur, & aliud ipſam hæreſim approbare atque defendere: quemadmodum aliud eſt ideò accuſare Catholicum, quòd hæreticus putetur, & aliud ipſam improbare atque defendere Catholicam fidem.*

Porro hac ſola ſecunda ratione Janſenii liber à permultis viris eruditis defenditur: quia nimirum ejus verba eo ſenſu accipiunt, quem nemo hæreſeos accuſare audeat. Nec illum Janſenii ſenſum Romani Pontifices, & complures Epiſcopi velut hæreticum damnant, in quo ipſum eruditi illi viri defendunt, ſed alium quem Janſenii eſſe Romani Pontifices Janſenii obtrectatorum ſubreptionibus circumventi crediderunt. Atque ita defenſores illi à Romanorum Pontificum Epiſcoporumque mente & ſententia non diſcedunt in aliquo dogmate, ſed tantùm in intelligentia Janſenii, quem iſti duriùs, illi benigniùs interpretantur, ſicut dictum eſt de defenſoribus Honorii & Theodoreti.

Quæ cùm ita ſint, judicet tertiò Sanctitas veſtra, an non manifeſtè temeraria, injuſta & calumnioſa ſit, ab iiſdem obtrectatoribus ubique ſparſa adverſus viros aliunde probos, pios, apprimè catholicos, hæreſeos nota, vel ſuſpicio, eo ſolo nomine, quòd circa obvium & naturalem Janſeniani libri ſenſum dubii & ancipites, ob occurrentem ſibi graviſſimam de eo dubitandi rationem, jurare non audeant, ſe indubitanter credere, verum ac genuinum Janſeniani libri ſenſum, eſſe hæreticum illum quinque propoſitionum ſenſum, quem ſancta Sedes Apoſtolico mucrone percuſſit, & juſtè percuſſum etiam ipſi profitentur, cumque eadem S. Sede ſincerè damnant, anathematizantque, parati hæreticum illum ſenſum Janſenii libro cum Sanctitate veſtra attribuere, hoc ipſo quòd iſtius attributionis veritas ſigno

certo (qualis est sola authoritas infallibilis, vel ratio certa) ipsis innotuerit. Nihil aliud à trium Capitulorum defensoribus postularunt sancti decessores Tui, Pelagius I. & II. & Gregorius Magnus, ipsisque propterea permiserunt, post definitionem Concilii V. in sensu suo abundare, donec veritas ipsis *ratione duce* illuceseeret. Nihil quoque aliud à Defensoribus epistolarum Honorii postulat Ecclesia; utpote quæ ideo permittit ipsis litterarum illarum defensionem, contra trium Synodorum œcumenicarum definitionem, à duobus Romanis Pontificibus confirmatum, quamdiu istius definitionis veritas certa ratione non clarescit: esseque istum Ecclesiæ spiritum, suprà nos docuit Gregorius Magnus, decessor tuus.

Judicet tandem Beatitudo vestra, an non sine causa persecutionem jam ab annis plusquam quinquaginta patiantur, inauditique & indefensi condemnentur, viri moribus integerrimi, doctrina præstantissimi, fidei orthodoxæ & Ecclesiæ addictissimi, etiam de ea optimè meriti, etiamsi nullum hactenus assignari potuerit dogma catholicum, ab Ecclesia disertis verbis definitum, quod toto corde non admittant; nullus error ab Ecclesia absque ambiguitate damnatus, quem non rejiciant; nec alia est istius persecutionis causa, nisi quòd Jansenii librum in catholico sensu credant intelligendum, quemadmodum Honorii epistolas earum defensores. At verò *cùm in alieno scripto intelligitur aliquid veri*, etiamsi fortè *hoc ille qui scripsit non intellexerit*, *nullum crimen est*; ait Augustinus in l. de util. cred. Unde etiam de eo qui falsò putat Epicurum in virtute summum bonum posuisse, dicit, quòd *huic non obest error Epicuri, summum bonum hominis, voluptatem corporis* esse credentis: *cùm iste non se dederit tam turpi noxiæque sententiæ; neque aliam ob causam ei placeat Epicurus, nisi quòd eum sensisse non putat, quòd sentiri non oporteat.* Et addit: *quòd hic error non modò humanus est, sed sæpe etiam homine dignissimus.*

Æquè ergo absque crimine, imò æquè pro opere homine dignissimo, tantam ipsi persecutionem patiuntur.

tur, ac ſi eam paterentur ideo ſolùm, quòd Honorii epiſtolas cum Bellarmino & Baronio in catholico ſenſu intelligendas crederent, in quo licèt judicium ſuum Eccleſiæ judicio cœco more non ſubmiſerint Bellarminus & Baronius, Eccleſia non ideò dignos ipſos cenſuit perſecutione, ſed potiùs laude & mercede, pro opere homine digniſſimo. Enimverò judicii ſubmiſſionem certamque credulitatem (in concurſu & occurſu rationum graviſſimarum contrarium ſuadentium) non magis debitam eſſe fallibili definitioni trium Romanorum Pontificum, quàm fallibili definitioni trium Synodorum Oecumenicarum, demonſtrare videntur argumenta tredecim Subſectionibus præcedentibus deducta. Imò demonſtrare videntur, fideles ſola vi fallibilis authoritatis trium Romanorum Pontificum id definientium certò credere non magis poſſe ſenſum obvium & naturalem quinque propoſitionum eſſe ſenſum obvium & naturalem libri Janſenii, occurrentibus & concurrentibus rationibus graviſſimis in contrarium, quàm Bellarminus & Baronius, ſola vi fallibilis authoritatis trium Synodorum Oecumenicarum, id definientium, certò credere queant, ſenſum obvium & naturalem Monothelitarum eſſe ſenſum obvium & naturalem duarum Honorii epiſtolarum, occurrentibus & concurrentibus rationibus graviſſimis in contrarium. Per conſequens in conſcientia jurare non poſſe, quòd id certò credant; nec proinde Alexandrinæ formulæ (certam de eo credulitatem requirenti, juxta Conſtitutionem Sanctitatis veſtræ) ſubſcribere: maximè cum formula iſta nimis vaga eſſe videatur, & indiſtincta, propter implicatam definitioni fidei controverſiæ de facto Janſeniano, ſeu vero & genuino ipſius ſenſu critico, definitionem, ad fidem ſuperfluam. Quo fit ut Jeſuitæ aſſerant, factum iſtud, æquè ac fidei dogmata, credi oportere fide divina. Quæ aſſertio, Beatiſſime Pater, communi Theologorum judicio eſt hæretica; cùm abſque hæreſi aſſeri nequeat factum ſæculi decimi ſeptimi, Apoſtolis non revelatum, eſſe poſſe fidei divinæ objectum. De fide namque eſſe docent Theologi paſſim omnes, fide divina credi non

posse, nisi quòd divinitùs est revelatum. Ipsaque fidei definitio hoc ipsum demonstrat. Porrò certo certius est factum Jansenii, licèt à duobus Romanis Pontificibus definitum, divinitùs revelatum non esse, magis quàm Honorii factum, à tribus licèt Synodis Oecumenicis definitum. Et ideò ejusmodi facta, etiam post similem definitionem, ad fidem non pertinere, imò ad fidem *superfluas*, nulliusque momenti esse de iis quæstiones, tres Romani Pontifices, Pelagius I. & II. Gregoriusque Magnus declararunt, prout constat ex dictis sect. 2. addiditque Gregorius (de Fælice diacono loquens) contradicentes definitioni quintæ Synodi quoad simile factum trium Capitulorum, hæreticos non esse.

Igitur, trium illorum Romanorum Pontificum judicio ejusmodi factorum definitionibus contradicentes, dummodo definita fidei dogmata recipiant digni non censentur, de quibus propterea dicatur id quod de Pelagianis hæreticis Augustinus serm. 2. de verb. Apost. dicit, quòd eorum *causa finita est* (causa utique fidei) *non tamen finitus est error*: vel quod *homines sint veritati non acquiescentes. . . . . non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo. . . . A quibus non deponitur error, sed absconditur &c.* Revera enim de causa fidei ipsi non controvertunt, sed de quæstione, quam decessores Tui vocant ad fidem superfluam, ac nullius momenti; per consequens non dignam propter quam adversùs innocentes suscitetur exerceaturque persecutio tanta. Neque enim controversia ista obstat, ne *omnes Christi fideles in fidei unitate sese contineant*. Cùm in nullo penitùs adversetur *sanctæ fidei ac sacrorum dogmatum integritati*. Qui cùm unicus sit scopus Constitutionis vestræ *Vineam Domini Sabaoth*, sicut & Alexandrinæ, *Ad Sacram*, & *Regiminis*, nec suam, nec Alexandrinam Sanctitas vestra necessariam verisimiliter censuisset, si de vero istius controversiæ statu benè informata fuisset: ast Molinistarum artibus & fraudibus prorsus ex adverso informata fuit, sicut & aliquanto tempore iisdem artibus malè informatus fuit Clemens IX. Decessor Tuus, quando de sancienda Ec-

clesiæ

cleſiæ Gallicanæ pace tractabatur, prout ipſe declarat in ſuo Brevi ad quatuor Epiſcopos de die 19. Januarii 1669. ſicut & Eminentiſſ. D. Cardinalis Patronus Roſpiglioſus in ſuo Regeſto, & in Relatione actorum in Janſenii negotio n. 149. 150. 159. 163. Neque enim in ſua illa Conſtitutione Sanctitas veſtra dixiſſet, quòd in controverſia Janſeniana, *non deponitur error, ſed abſconditur, vulnus tegitur, non curatur. . . . & lata. . . . via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim*, ſi ſciviſſet in ea non agi de quæſtione fidei, ſed ad fidem ſuperflua, nulliuſque momenti. Nec Janſenium benignè interpretantes Alexander VII. *filios* vocaſſet *iniquitatis*, nec formulæ ſupra memoratæ legem ſtatuiſſet, qua Janſenii factum ad fidem non pertinens, cum fidei dogmatibus abſque ulla explicatione implicatur, formulæque vago iſto modo conceptæ ſubſcriptio jurata exigitur.

Quo fit ut mala multa ex lege illa ſequantur. Primò quòd innumera fiant perjuria ab iis qui, licèt certi non ſint, quinque hæreticas propoſitiones extractas eſſe ex libro Janſenii (in quo ut eas oſtenderent, plurima Jeſuitarum millia à quinquaginta annis fruſtra deſudarunt: ex adverſo centeni & centeni perſpicaciſſimi Auguſtini diſcipuli diligentiſſimè quæſitas non invenerunt, ſed iis directè oppoſitas, exactiſſiméque diſcuſſo totius libri contextu & ſcopo, ſecundùm criticæ artis regulas, teſtimonium perhibuerunt, ſeſe non inveniſſe, niſi Auguſtini doctrinam, certò catholicam, Molinianæ doctrinæ diametraliter oppoſitam, de gratia per ſe efficaci) ſe tamen id credere, juramento affirmare, adeóque pejerare audent.

Secundò, qui ſolo Dei timore, ſinceritatiſque ac veritatis amore, id jurare non audent, tametſi doctrina, pietate, zelo ſalutis animarum, aliiſque præclaris dotibus excellant, ab omnibus Eccleſiaſticis beneficiis, officiis & functionibus, à ſacris quoque Ordinibus repelluntur. Contrà illi, qui ſpe promotionis, vel repulſæ metu pejerare non verentur, etſi nihil, aut prope nihil Eccleſiaſtico dignum habeant, ad omnia admittantur.

Tertiò, ingens hinc detrimentum Eccleſia patitur, dum ineptiſſimi quique etiam ad curam animarum admittuntur; maximè idonei arcentur. Ex quo incredibilis ſequi nata eſt pernicies animarum.

Eapropter conſiderare dignetur Sanctitas veſtra, an non expediret abrogari legem illam, ex falſa ſancitam ſuppoſitione, quòd damnatæ illæ propoſitiones in Janſenio certiſſimè extarent, nec id niſi mala fide, pravaque intentione hæreſim defendendi à Janſenii defenſoribus negaretur. Vel certè an non expediret eam authoritate Præpoſitorum Eccleſiæ ad mala illa vitanda ſic explicari, ut non idem obſequii genus, fidei dogmatibus atque ejuſmodi factis debeatur, ſed dogmatibus fides, factis reverentia & ſilentium, non impium illud, à Sanctitate veſtra meritò proſcriptum (cujus *pallio non deponitur error* quinque propoſitionum, *ſed abſconditur &c.*) aſt pium, pacificum & religioſum; non ſufficiens quidem ad orthodoxi hominis obedientiam, Conſtitutionibus Apoſtolicis quoad dogmata debitam (utpote circa quæ non ſufficit ſilere, ſed ea oportet ſincero corde & ore credere ac profiteri) ſed ad reverentiam Apoſtolicis Conſtitutionibus quoad facta illa debitam, pacemque conſervandam, nihil dicendo, nec ſcribendo Pontificum decretis contrarium.

Hâc viâ, poſt annorum ferè ſexaginta contentiones pax in Eccleſia, cum honore Pontificatus Tui, ingentique animarum fructu reſtitueretur, Beatiſſime Pater; cùm hac via pax reſtituta fuerit ſub Clemente IX. atque ſub Clemente X. Innocentio XI. Alexandro VIII. & Innocentio XII. continuata; tametſi deinde rupta conſuetis artibus, fraudibus & informationibus falſis eorum, ſine quorum interventu ſancita fuerat, quorum utique intereſt, Principibus & Aulæ Romanæ jugiter (tametſi falſò & calumnioſè, inſuſurrare quòd finitus non ſit error, ſed perſeveret, imò invaleſcat commentitia ſecta Janſeniſtarum, ſeu Janſenii mala fide defenſorum, ut ſub velamine iſto ſuas ipſi Molinianas novitates, Chriſtianæque Ethices corruptelas impunè tueam-

tueantur, dum à Principibus & Aula Romana ſoli audiuntur. Quo pacto nihil non audent, quia à nemine caſtigantur. Et in tantum aſcendit ipſorum audacia, ut palam jam, ſub Pontificatu veſtro libris impreſſis audeant, quod olim vix niſi clam audebant, nimirum aſſerere gratiæ per ſe efficacis doctrinam (certiſſimè Auguſtinianam) hæreticam eſſe ac Lutheranam & Calvinianam. Siquidem anno proximè lapſo 1708. prodiit Antverpiæ liber, ſub hoc titulo: *Diſſertatio prima de mente Concilii Tridentini*, cujus Author ſub adſcititio nomine *Liberii Gratiani* (quem Jeſuitam eſſe nemo unus eſt qui dubitet) dicere non veretur: *Ego re hac diligenter examinata, exiſtimo gratiam ſeipſa efficacem, novum eſſe Lutheri & Calvini commentum. Nec enim ovum ovo ſimilius, quàm Calvini & Thomiſtarum doctrina; quæ in nullo diſſimilis eſt, quæ ſolis verbis differt &c.*

Quod autem dixi, pacem hac via ſub Clemente IX. Deceſſore Tuo reſtitutam fuiſſe, prorſus videtur manifeſtum. Cùm enim quatuor Epiſcopi vitæ ſanctitate & eruditione conſpicui, Alectenſis, Appamienſis, Bellovacenſis & Andegavenſis ob rationes graviſſimas (quas in epiſt. ad Clem. IX. ſubſectione ſequenti ſubjiciendas expreſſerunt) formulam Alexandrinam Clericis ſuis ſic expoſuiſſent, ut duas in ea quæſtiones diſcriminaſſent, unam juris, quâ quinque propoſitiones hæreticæ declarabantur, alteram facti, quâ propoſitiones illæ ex libro Janſenii excerptæ aſſerebantur; & priorem quidem definitionem eſſe fide divina credendam, alteram non fide, maxima tamen reverentia religioſique ſilentii obſervantia excipiendam, & taliter expoſitam ipſimet, non aliter ſubſcripſiſſent, authenticiſque plurimorum Epiſcoporum, ſicut & Regiorum Miniſtrorum teſtimoniis, à Nuntio Apoſtolico Romam miſſis conſtitiſſet hoc pacto ab ipſis, ſuiſque, ſincerè & bona fide ſubſcriptum fuiſſe, Clemens IX. Brevi ad Epiſcopos pacis Mediatores, & altero ad quatuor Epiſcopos illos miſſo, declaravit, perfectam, integram, & totalem orthodoxi hominis obedientiam hoc pacto ab ipſis ſincerè præſtitam Conſtitutionibus Apoſtolicis: *Non ſine ingenti lætitiæ ſenſu* (ait

in

in priori Brevi) *pervidimus etiam ex litteris Fraternitatum veſtrarum, id quod à vobis priùs amplè ſignificatum; ac deinde iteratis ac gravibus Documentis confirmatum fuit*, DE PERFECTA ET INTEGRA OBEDIENTIA *Nobis & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem & Aletenſem, ſubſcriptione formularii* SINCERO ANIMO; ET JUXTA PRÆSCRIPTUM LITTERARUM APOSTOLICARUM *ab eis facta.* In altero verò Brevi ad ipſoſmet quatuor Epiſcopos dicit, ſe *nova & gravia* accepiſſe *documenta veræ ac totalis obedientiæ ipſorum, qua* (inquit) *& formulario ſincerè ſubſcripſiſtis, & damnatis abſque ulla exceptione aut reſtrictione quinque propoſitionibus, in omnibus ſenſibus in quibus à Sede Apoſtolica damnatæ fuerunt, alieni prorſus eſtis à renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eadem damnati fuerunt.* Et ſic pace reſtitutâ, tota præ gaudio exultavit Gallia; nec aliam formulæ ſubſcriptionem exinde Perefixius, Pariſienſis Epiſcopus, & alii exegerunt uſque ad præſentem Pontificatum. Aliam quoque Innocentius XII. in Brevi ad Epiſcopos Belgii (de die 6. Februarii 1694) non poſtulavit. Cùm enim inter Belgii Epiſcopos, Theologoſque Belgas quæſtio verteretur, num ſufficeret quinque propoſitiones damnare in omni ſenſu quo à Sede Apoſtolicâ damnatæ ſunt? An præterea credendum foret eas in libro Janſenii contineri? In ſuo ad Epiſcopos Reſponſo nihil aliud Pontifex ſtatuit, niſi ut ii qui juramentum præſtant, *illud præſtent ſincerè, abſque ulla diſtinctione, ſeu expoſitione, damnando eas propoſitiones, ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, prout ſenſum illum damnarunt ſummi Pontifices*, abſque addito illo quòd damnandæ eſſent in ſenſu quem præ ſe fert liber Janſenii. Nec mirum, quia hoc credere, *ad orthodoxæ fidei integritatem* non conducit. Quem in finem ſuum illud reſponſum adornavit, pro fundamento illius dicens, ſui muneris eſſe, curare, ut ſemper firmæ Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones permaneant, *in rebus quæ ad orthodoxæ fidei integritatem conducunt.* Ideóque iiſdem Epiſcopis injunxit, *ne ulla ratione*

quem-

quemquam. . . . . invidioso nomine Janseniſmi traduci, aut nuncupari ſinerent, *niſi priùs ſuſpectum eſſe legitimè* (id eſt ſervato juris ordine) *conſtiterit, aliquam ex propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe.* Per conſequens inhibuit illo invidioſo nomine traduci eos, qui propoſitiones ipſas ſincerè damnantes, in omni ſenſu quo eas Eccleſia damnat, abſque ulla prava intentione illas quidem in Janſenio extare non credunt; Conſtitutiones tamen, eas in ipſo contineri declarantes, ſe revereri profitentur, ut ſuprà. Eoſque ipſe non Janſeniſtas, ſed *prætenſos Janſeniſtas* vocat in altero ad eoſdem Brevi.

Cùm enim iteratis ad ipſum litteris Epiſcopi Belgii 19. Julii 1696. conqueſti fuiſſent Breve illud primum ſufficiens malis remedium non adferre, nec iis ſufficienter occurri poſſe, niſi promovendis ad Ordines injungatur, ut ſub juramento agnoſcant *quinque propoſitiones contineri in libro, cui titulus, Cornelii Janſenii Auguſtinus, eaſque damnari ut hæreticas eodem ſenſu, quo in prædicto libro continentur;* Sanctitas ſua per Breve alterum 24. Novembris ejuſdem anni reſpondit, *Malis* per ipſos quoad Janſeniſmum expoſitis ſatis conſultum per primum Breve, *cùm illud nulla prorſus indigeat explicatione, aptumque* eſſet, *ubi in ipſo præſcripta adimpleantur* (damnando ſcilicet ſincerè propoſitiones, *in ſenſu obvio, quem ipſarummet propoſitionum verba præ ſe ferunt* &c.) *efficax atque opportunum afferre remedium.* Quo reſponſo manifeſtè ſignificavit, addendum non eſſe (ut petebant Epiſcopi) ut omnes agnoſcerent, *quinque propoſitiones. . . . contineri in libro. . . . . Janſenii. . . eaſque damnari ut hæreticas, eodem ſenſu quo in prædicto libro aſſeruntur.* Eò quod utique iſto ſenſu hæreticæ non ſint, cùm ad orthodoxæ fidei integritatem non conducat credere, quòd ſenſus contentus in libro Janſenii ſit ille quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, adeóque hæreticus.

His conformiter Doctor Hennebellus, Academiæ Lovanienſis ad Sanctam Sedem (eodem Innocentio XII. in ea ſedente) Deputatus, die 26. Octobris 1693. coram Eminentiſſimis ac R^mis Dominis Cardinalibus S. Romanæ

& Universalis Inquisitionis Generalibus Inquisitoribus, absque ulla reprehensione, hanc fecit Declarationem.

„ Cùm spargi audiam, tum in Belgio, tum hic apud „ S. Sedem, me paratum quidem esse Formulam Alexan- „ dri VII. Pont. Max. subscribere, sed subdolè & fal- „ laciter; nec mihi aliud in animo esse, quàm, hac sub- „ scriptione, Belgii Episcopis, Sedi Apostolicæ, totique „ Ecclesiæ illudere: Ego infrascriptus calumniæ tam „ atroci obviare, famæ meæ consulere, & gravissima, „ quæ ex rumoribus ejusmodi meritò timenda sunt scan- „ dala prævenire satagens, præsenti scripto declaro, „ quòd prædictam Formulam subscribere paratus sim, „ non subdolè, non fallaciter, sed prorsus sincerè, at- „ que ad mentem Sedis Apostolicæ, prout decet ge- „ nuinum Ecclesiæ filium, & Decretorum S. Sedis re- „ ligiosissimum cultorem.

„ Ut autem sinceritas mea magis pateat, mihique „ nemo deinceps imponat, quòd aliud ore proferam, „ aliud mente restringam (quamquam scripta, quæ ha- „ ctenus in hoc negotio obtuli hanc calumniam satis „ revincant) coram S. D. N. Innocentio Papa XII. & „ sacra Congregatione S. Officii apertissimè profiteor, „ me damnare absque ullâ exceptione quinque propositi- „ tiones à Summis Pontificibus Innocentio X & Alexan- „ dro VII. damnatas, omnesque sensus in quibus dam- „ natæ fuerunt, neque alienum prorsus esse à defen- „ dendis prædictis propositionibus, singulisque erroribus, „ quos in eis Apostolica Sedes, totaque Ecclesia damnavit.

„ Declaro insuper, certum prorsus (sub humili „ correctione) mihi videri, quod Sedes Apostolica „ nunquam fide tenendum definierit, nec proinde un- „ quam fidelibus necessitatem imposuerit credendi, ac „ jurandi, quinque illas propositiones ex libro Cornelii „ Jansenii Iprensis Episcopi, cui titulus Augustinus, „ excerptas esse, iisque contineri sensum in prædicto „ Jansenii libro expressum. Quamquam lubens agnos- „ cam, hanc fuisse Sedis Apostolicæ mentem, ut ve- „ taret prohiberetque, ne quis postea librum Jansenii „ adversùs latam à Pontificibus censuram defendat, &

„ dicto

„ dicto ſcriptove aſſerere audeat, quòd quinque propo-
„ ſitiones ex prædicto libro non ſint exceptæ, vel quòd
„ non contineant ſenſum in eodem libro expreſſum:
„ quam Sedis Apoſtolicæ ordinationem me, per Dei
„ gratiam, inviolabiliter obſervaturum, daturumque
„ operam ut pari reverentia ab aliis obſervetur, coram
„ Apoſtolica Sede ſanctè profiteor.

„ Quem quidem formulæ Alexandri VII. ac Sedis
„ Apoſtolicæ eam præſcribentis, verum ac genuinum
„ ſenſum eſſe, eò magis adducor ut credam, quòd a-
„ liàs diſcedendum omnino eſſet à receptiſſima Cardi-
„ nalium Baronii, Bellarmini, Palavicini, aliorumque
„ celeberrimorum Theologorum, ac Sedis Apoſtolicæ
„ Defenſorum ſententia.

„ Quid? Quod & hunc ejuſdem formulæ ſenſum pro-
„ bari videam omnibus penè Theologis, aliiſque Viris
„ doctis, quos mihi ab uno ferè anno in Urbe commo-
„ ranti convenire, & ea de re ſenſum ſuum palam &
„ apertè ſignificantes audire ſæpè licuit.

„ En claram ac dilucidam de ſubſcribenda ac juran-
„ da Alexandri VII. formula ſenſus mei declarationem,
„ quam facio non tantùm nomine meo, ſed etiam no-
„ mine omnium quorum in hac cauſa partes ago; eam
„ Sanctiſſimi Domini noſtri & Apoſtolicæ Sedis judicio
„ humillimè ſubjiciens, paratus addere, demere, ex-
„ ponere, expungere, quidquid S. Sedes addendum, de-
„ mendum, exponendum, expungendumve cenſuerit.
„ Actum Romæ hac die 26. Octobris anni 1693.

Paulò poſt aliam eiſdem Eminentiſſ. Cardinalibus declarationem obtulit tenoris ſequentis: „ Joannes L.
„ Hennebel &c. viſo decreto, quod die 28. Jan. 1694.
„ conditum, die 4. Februarii emanavit, magnas agit
„ gratias EE. VV. pro tantis laboribus in Formularii
„ negotio ſuſceptis, prorſuſque confidit, ſumma EE.
„ VV. ſapientia ac prudentia viam modò ſtratam eſſe
„ terminandis diſſidiis, quæ Chriſtianam in Belgio pa-
„ cem tanto jam tempore lacerarunt.

„ Exprimere nequit Orator, EE. Patres, quo animi
„ ſui ſenſu ac gaudio acceperit, quod in præfato De-

„ creto

„ creto ſtatuerunt EE. VV. ne quis nempe alium quín-
„ que propoſitionum ſenſum afferat, præter eum quem
„ ipſa quinque propoſitionum verba per ſe exhibent:
„ quia hoc principio authoritate Sedis Apoſtolicæ jam
„ ſtabilito, in fumum abeunt difficultates omnes, qui-
„ bus hactenus Belgium miſerè agitatum fuit.

„ Non enim vereatur Orator coram EE. & Orbe U-
„ niverſo confidentiſſimè affirmare, è Belgii Theolo-
„ gis, qui de Janſeniſmo ab adverſariis notantur, nul-
„ lum prorſus eſſe, qui quinque propoſitiones in eo
„ ſenſu quem ipſa quinque propoſitionum verba per ſe
„ exhibent, damnare detrectet.

„ Cùm verò inſuper, tum ex Conſtitutionibus Apo-
„ ſtolicis, tum ex ipſo EE. VV. Decreto manifeſtum
„ ſit, Sedem Apoſtolicam ſic Janſenii verba accepiſſe,
„ ſic ejus librum, cui nomen AUGUSTINUS, intellexiſſe,
„ ut cenſuerit in eo contineri ſenſum, quem quinque
„ propoſitionum verba per ſe exhibent: quiſquis dam-
„ nat quinque propoſitiones in ſenſu quem earum
„ verba per ſe exhibent, neceſſe eſt ut eas damnet in
„ ſenſu ab Autore intento, PROUT ILLUM SEDES APO-
„ STOLICA INTELLEXIT, prout in quinque propoſitioni-
„ bus ſenſum, quem libro illi attribuit, expreſſit, at-
„ que damnavit.

„ Juxta hanc expoſitionem, quæ ſanè peregrina non
„ eſt, plurimiſque exemplis confirmari poteſt..... hoc
„ unum à fidelibus exigitur, ut eum damnent cum
„ clauſula, quam Formula ipſa ſatis exprimit, PROUT
„ NEMPE SEDES APOSTOLICA ILLUM INTELLIGIT atque
„ damnat. Certiſſimum verò eſt Sedem Apoſtolicam
„ ſic intelligere & damnare ſenſum illum, prout ipſa
„ quinque propoſitionum verba per ſe illum exhibent.

„ Poſtquam Sedes Apoſtolica ſuum de privati Autho-
„ ris ſenſu judicium protulit, optimè noſtis, EE. Pa-
„ tres, ex communibus paſſimque receptis Theologiæ
„ principiis petendum eſſe, quid illi deferendum ſit.

„ Quod ad Oratorem attinet, ſuum ſuper eo ſenſum
„ coram EE. VV. non ſemel expreſſit..... apertè pro-
„ feſſus, eam Sedis Apoſtolicæ judicio, de ſenſu à pri-

„ vato

„ vato quopiam Authore intento, reverentiam deberi, „ quam in ſua ad Clementem IX. Relatione declaravit „ Catalaunenſis Epiſcopus ſpopondiſſe quatuor illos a- „ lios celeberrimos Galliæ Epiſcopos, quorum cauſa „ ſub eodem Pontifice ad Apoſtolicam Sedem delata „ fuit, quamque, & non aliam, deberi, tam ipſe Ca- „ talaunenſis cum illis quatuor, quàm alii novemdecim, „ quorum in eadem Relatione fit mentio, unanimiter „ ſentiebant.

„ Sanè ſi aliàs ſuſtinuit Orator confidenter ſenſum „ illum Sedis Apoſtolicæ menti per omnia eſſe confor- „ mem, hoc ipſum modò (ſub humillima correctione) „ ſuſtinet multò confidentiùs, relecto libro manuſcri- „ pto Cardinalis Roſpiglioſi, EE. VV. notiſſimo.

„ Siquidem ex illo conſtat, Actam ſupra memora- „ tam.... à Catalaunenſi Epiſcopo & Doctore Arnaldo „ ſubſcriptam, non ſolùm Clementi Papæ IX. miſſam „ fuiſſe, nec ſolùm ab eo qualitercumque, & ſuo tan- „ tum ſilentio diſſimulatam, aut probatam, ſed inſu- „ per ex illius libri n. 163. conſtat, Clementem IX. „ viſâ Actâ illa (cujus in ipſis Litteris de Pontificis „ mandato ſcriptis fit expreſſa mentio) declaraſſe, & è „ Secretaria Status die 19 Januarii 1669. Apoſtolico „ Nuntio ſcribi juſſiſſe, quòd quatuor Epiſcopi ſincerè „ ſubſcripſiſſent, & Apoſtolicæ Sedi integrè obediviſ- „ ſent, ac ſatisfeciſſent.

„ Ita manifeſtum eſt cenſuiſſe Clementem IX. quòd „ ſenſus, quem Formulario tribuebant quatuor illi E- „ piſcopi, orthodoxus, legitimus, ſatiſque obvius „ foret, & talem revera eſſe, productis pluribus pro- „ poſitionibus vulgatiſſimis, in quibus eædem voces „ eodem prorſus modo accipiuntur, ad primum EE. „ VV. nutum probare paratus eſt Orator.....

„ Declarat inſuper, „ ſenſum Formularii ſuprà expo- „ ſitum, eſſe eum, juxta quem Belgii Theologi, jam „ pridem de Janſeniſmo perperam accuſati, non tan- „ tùm Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. „ ſed etiam nupero EE. VV. Decreto obſequi volentes, „ Formulario ſubſcribere parati ſunt.

„ Deni

„ Denique declarat, præfatos Theologos, ex mo-
„ tivis ſuprà relatis, & aliis, cùm opus fuerit, affe-
„ rendis, ſemper ac conſtanter credituros eum eſſe
„ Formularii ſenſum verum, legitimum & obvium,
„ nec tantùm celeberrimorum quorumcumque Theo-
„ logorum doctrinæ, ſed ipſius quoque Sedis Apoſto-
„ licæ menti per omnia conformem, niſi ab ipſo Apo-
„ ſtolicæ Sedis oraculo didicerint, ſe in hac expoſitione
„ ſua à veritate aberrare, aut quippiam in ea contineri,
„ vel à mente Sedis Apoſtolicæ, vel à reverentia ei de-
„ bita alienum. Quas Deus &c.

Cùm verò Mechlinienſis Archiepiſcopus plures ſuæ diœceſis Eccleſiaſticos apud S. Sedem inſimulare non ceſſaret velut Conſtitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. prævaricatores, eò quòd præſcripto ab Alexandro VII. Formulario nonniſi pejerando ſubſcriberent; utpote non jurantes ſenſu præſcripto, ſed ſenſu à ſe conficto. Senſum quippe præſcriptum ipſe prætendebat eſſe illum quo juratur ſecundùm Additiones ſeu explicationes quas ipſe formulario annexuerat; ita videlicet, *ut non tantùm jurarent in reverentiam, ſed etiam in veritatem* earum Conſtitutionum; & *non tantùm jurarent in veritatem eorum quæ in prædictis Conſtitutionibus ſpectant ad quæſtionem juris; ſed etiam in veritatem ejus quod ſpectat ad quæſtionem facti*; quo hæreticus ſenſus quinque propoſitionum attribuitur libro Janſenii: aliam rurſus declarationem iiſdem Eminentiſſimis DD. Cardinalibus Doctor Hennebellus obtulit die, . . . Auguſti 1696. ſub hoc tenore.

„ Ego infraſcriptus prædictorum. . . Eccleſiaſticorum
„ innocentiam tueri, eorumque in Apoſtolicas Conſti-
„ tutiones obſervantiam & obedientiam omnibus teſta-
„ tam facere volens, tam meo, quàm omnium illorum
„ quorum partes ago, nomine profiteor ac declaro.

„ Quòd prædictis Conſtitutionibus Innocentii X. &
„ Alexandri VII. nos humillimè, & omni quæ genui-
„ nos Eccleſiæ filios decet obſervantia ac pietate ſub-
„ mittimus, uti jam antea non una vice declaravi.

„ Ut verò noſtra hæc obſervantia & obedientia magis

„ magiſ-

„ magisque innotescat, declaro quòd quinque propositiones ab iisdem summis Pontificibus damnatas, damnamus in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt summi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt à Christi fidelibus, qui quidem sensus longè abest à sensu gratiæ per se efficacis, ac prædestinationis gratuitæ, quem sartum tectum in damnandis illis propositionibus semper voluit Apostolica Sedes, ut omnibus constat.

„ Declaro insuper, nos propositiones illas damnare eodem prorsus sensu, quo damnantur à scholis catholicis, quæ doctrinam de gratia per se efficaci tuentur, & nominatim à scholis Ordinum S. Augustini, S. Dominici, Carmelitarum Discalceatorum &c.

„ Quæ cùm ita sint, manifestum est nos in quinque propositionibus non eum damnare sensum, quem nobis obvium, opinione, seu errore privato fingamus, sed illum ipsum, quem in illis damnant omnes Catholici, ipsumque & non alium à nobis haberi pro obvio, & rectè ab Ecclesia damnato.

„ Cùm vero insuper notorium sit, ac ipsimet Belgii Episcopi, datis ad suam Sanctitatem litteris, testati fuerint, neminem in Belgio reperiri, post editum Decretum ac Breve Apostolicum, qui Formulario sine ulla prorsus additione vel restrictione subscribere recuset, nulla potest in Formularii negotio supersesse difficultas, nisi prætendat Archiepiscopus, cum aliis qui partes ejus sequuntur, non alium dari Formularii sensum obvium, nisi quem ipse suis additionibus expressit; quod revera prætendere eum satis liquet ex variis ejus ad suam Sanctitatem litteris, totaque agendi ratione, quam in hoc negotio hactenus sequitur.

„ Quæ quidem ejus prætensio cum prorsus aliena sit à mente Sedis Apostolicæ, quæ neminem ad jurandum Formularium juxta Additionum illarum sensum adigere vult, imò verò Additiones illas expressè rejecit, manifestum est non aliunde pendere Belgii pacem, quàm ab executione Brevis Apostolici, ad

„ Epis-

„ Episcopos Belgii ea de re missi, rogandamque Sedem „ Apostolicam, quemadmodum per præsentes humillimè rogamus, ut Archiepiscopo Mechlinienſi „ cæteriſque Episcopis declaret, se constanter inhærere decisis, ac sicut in Brevi prædicto Episcopis inhibuit, ita nunc iterùm expressè illis inhibere, ne ab „ iis, qui Formulario Alexandri VII. subscribent, ac „ juramentum præstabunt, præter Formulam ipsam „ traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præ„ scripta, quidquid aliud vel minimum declarationis, „ interpretationis, & explicationis verbo vel scripto „ exigant, etiam sub prætextu, quòd Additiones illæ „ comprehendantur in Formulario Alexandri VII.

„ Si qui verò Theologos, alioſque Ecclesiasticos, „ Formulario ut suprà subscribentes, quinque propo„ sitiones in sensu obvio damnantes, præscriptumque „ ab Apostolica Sede silentium exactè servantes, de Jan„ seniſmo adhuc accusare audeant, ac ita contra De„ cretum ac Breve Apostolicum manifestè impingant, „ hos coerceri supplicamus. . . .

„ Hoc tandem modo speramus fore, ut, beneficio „ ac providentia Sedis Apostolicæ, Ecclesiis Belgii pax „ restituatur &c.

Si quid in hac tam dilucida declaratione sicut & in præcedentibus, fuisset non consonum menti Sedis Apostolicæ, eas absque dubio Eminentissimi Cardinales, intactas absque reprehensione non dimisissent, qui ne vertulum quidem minùs officiosum, quod eidem Doctori Hennebello exciderat in epistola ad Archiepiscopum Mechlinienſem, absque reprehensione dimiserunt. Declarationes verò illas prorsus irreprehensas dimiserunt. Nihil ergo in iis menti Sedis Apostolicæ non consonum invenerunt. Quinimò Sanctissimus ipse Innocentius XII. iis usque adeo persuasus fuit, nullam esse Jansenistarum in Belgio sectam, ut eos quos Mechlinienſis Archiepiscopus, aliique ipsi adhærentes, Jansenistas vocabant, Innocentius XII. deinceps non Jansenistas, sed prætensos Jansenistas in secundo suo ad Belgii Episcopos Breviappellaverit (ut visum est suprà) Episcopos tacitè reprehen-

hendens, quòd ipſi ſcripſiſſent, prætenſos illos Janſeniſtas, dum jurant formularium, ſenſu in 1. & 2. declaratione expreſſo, *non aliter damnent quinque propoſitiones, quàm in ſenſu obvio*, non habito reſpectu obvii ſenſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi *ſenſum obvium*. Si enim, inquit Pontifex, *internè* non actu externo, hoc faciunt, *Eccleſia non judicat de occultis. . . . Sin verò. . . . edant proprios ſenſus Apoſtolicarum Conſtitutionum, prædictique Brevis* de die 6. Februarii 1694. *ſenſui diſſentaneos, debent Epiſcopi. . . . contra eos procedere. . . . ſervatis ſervandis*, ſervato utique juris ordine, uti dixit in primo illo Brevi, ſervatis quoque ceteris, quæ in eodem Brevi Pontifex addidit, ſcilicet *ut quemadmodum is qui ad juramentum* (Formularii) *adigendi ſunt, illud præſtare debent ſincerè, abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione, damnando eas propoſitiones, ex libro Janſenii excerptas, in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum Verba præ ſe ferunt, prout ſenſum illum damnarunt ſummi Pontifices Prædeceſſores noſtri, damnatumque haberi voluerunt à Chriſti fidelibus; ita per Fraternitates veſtras, ab iis qui Formulario præſcripto ſubſcribent, ac juramentum præſtabunt, præter Formulam ipſam traditam, verbaque in Conſtitutione Apoſtolicâ præſcripta, quidquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo vel ſcripto non exigatur* (prout exigere cœperat Archiepiſcopus Mechlinienſis) *etiam ſub prætextu quòd Additiones ad nos tranſmiſſa comprehendantur ſeu contineantur in Formulario Alexandri VII. Ceterum ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant, nos quoſcumque alios ſenſus Formularii, præter eum quem ipſius verba exhibent, afferri, vel uſurpari, aut de his diſputari interdiximus, & prohibuimus, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum propoſitionum in alios ſenſus, præter eum quem ipſa verba per ſe exhibent, perpetuum ſilentium impoſuimus. . . . . Cùm ad ſummum Pontificem duntaxat pertineat, ſenſum quem in his propoſitionibus damnaverit, & ut damnatum à fidelibus credi cenſuerit, declarare. Demum ad extin-*

guenda Theologorum jam pridem inter ſeſe excitata diſſidia Fraternitatibus Veſtris. . . . injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi priùs ſuſpectum eſſe legitimè conſtiterit, aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe (non ergo ob id ſolùm quòd eas Janſenii libro non attribuent) *nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel aliâ quacumque functione Eccleſiaſtica permittatis, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quæ Viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.*

SUBSECTIO DECIMA-OCTAVA.

Ejuſdem humillima Apoſtrophes proſecutio.

OUtinam, Beatiſſime Pater, per acceſſum ad Sanctitatem veſtram, fas eſſet ipſi notas facere, demonſtrareque doloſas artes, occultas technas, iniquas molitiones, ſurreptioneſque; quibus ab annis pluſquam ſexaginta, primùm Chriſtianiſſimi Regis Aulam, Galliarumque Epiſcopos ſibi devotos, deinde per ipſos Romanam Aulam, veſtræque Sanctitatis Deceſſores Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Jeſuitæ circumvenerunt? Statim namque ut Janſenii prodiit *Auguſtinus*, cum Parallelo inter Moliniſmum Semi-pelagianiſmumque; videntes actum eſſe de Moliniſmo, ſi liber ille haberetur in pretio, viginti Jeſuitarum millia uno velut ore Orbem univerſum clamoribus ſuis adverſus librum illum impleverunt, velut perniciosis hæreſibus, Chriſtianæ Religionis fundamenta ſubvertentibus refertum; idque tam frequenter & tanta calliditate quaqua verſum opportunè importunè inculcarunt, ut multis perſuaſerint, Janſeniumque & librum ipſius odioſum reddiderint, etiam in Aula Romana. Cúmque tempore Innocentii X. per Doctorem Cornetum, ex-Jeſuitam, ideoque Societatis obſequiis per omnia mancipatum, quinque famoſas propoſitiones terminis æquivocis, ſenſu

ſu quidem catholico explicabilibus, ſed ſenſum hæreticum magis obvièe ſignificantibus fabricaſſent, pleriſque Epiſcopis Gallicanis & aliis ſibi devotis perſuaſerunt eas è Janſenii libro excerptas eſſe, atque in eo totidem verbis (prout Annatus clamabat) extare; cùm tamen id à veritate prorſus alienum ſit, excepta fortaſſe primâ à contextu ſuo avulſâ. Et inde factum, quòd Innocentius X. Epiſcopis illis fidem adhibens eas ex Janſenii libro excerptas dixerit, in procemio & clauſula Conſtitutionis ſuæ (quæ juxta Canoniſtas ad narrationem potiùs pertinet, quàm ad definitionem) tametſi in definitiva damnatione ſingularum propoſitionum nullam Janſenii mentionem fecerit, ex nulloque actu authentico appareat, juridicum libri Janſenii examen ab Innocentio cuiquam demandatum fuiſſe, ſed examen propoſitionum duntaxat in abſtracto, id eſt abſtrahendo à quocumque proferente, ut ſuprà dixi. Novum verò & inauditum eſt in Eccleſia, hæreticas propoſitiones alicui libro vel Authori definitivè tribui, abſque juridico de eo examine, & non auditis ea ſuper re defenſoribus ipſius, niſi fortè id notorium ſit, atque extra omnem controverſiam.

Dum etiam propoſitiones à Cardinalibus, & Conſultoribus ab Innocentio X. deſignatis examinarentur, ipſis prorſus contra veritatem Jeſuitæ perſuaſerant eos qui dicebantur Auguſtini diſcipuli, Romæ quidem defendere Auguſtinum, at in Gallia Calvinum; quódque Romæ ſimulabant pro ſola ſe gratia per ſe efficaci laborare, dum ipſorum aſſeclæ plenis in Gallia buccis concrepabant gratiam neceſſitantem, ereptam diſſentiendi potentiam, abſolutam mandatorum impoſſibilitatem, Chriſti pro ſola electorum ſalute mortem. Neceſſariam proinde eſſe Conſtitutionem iſta damnantem, prout à Cardinale Rapaccioli ſeſe accepiſſe tredecim Archiepiſcoporum Epiſcoporumque ad S. Sedem delegati teſtantur in ſua ad ipſos Relatione de die 16. Junii 1653.

Tempore Alexandri VII. cùm ab omnibus orthodoxâ ſubmiſſione recepta foret Innocentiana Conſtitutio, ab omnibus proinde corde & ore damnarentur quinque propoſitiones per eam damnatæ; ideóque So-

cios oportuiſſet de tam prompta Auguſtinianorum in iis damnandis obedientia ipſis congratulari, deque reddita pace ſopitiſque fidei controverſiis gaudere: alterius generis adverſus Auguſtinianæ gratiæ defenſores bellum adorſi, novam adverſus eoſdem litem ſuſcitaverunt de Janſenii facto, nihil ad fidem, nec ad mores pertinente, quamque ideo quæſtionem *ſuperfluam*, *nulliuſque momenti*, Deceſſores veſtri, de quæſtione ſimillima loquentes, nuncupaverunt. Atque utinam intra limites ejuſmodi quæſtionum ſeſe continuiſſent! Verùm moleſtè ferentes quòd ii qui Moliniſmo ſuo adverſabantur, ſeſe ſua illa prompta obedientiâ ipſorum manibus ſubduxiſſent, inani illa controverſia avidè arreptâ totâ primùm Galliâ, deinde Romæ conclamare cœperunt, ab ipſis decipi Pontificem, inutilemque reddi Conſtitutionem. Certiſſimè id erat à veritate alienum (niſi fortè inutilem intelligerent ad intentum ſuum, inutilem utique ad ſtabiliendum Moliniſmum quem in finem uti volebant Innocentianâ Conſtitutione, per eam, contra expreſſam Innocentii declarationem, prætendendo damnatam gratiam per ſe efficacem) quomodo enim alioqui inutilem, cùm turbas compoſuiſſet, pacem reſtituiſſet, fidei depoſitum in tuto poſuiſſet, fidelibus omnibus, in fidei unitate, ſeu Eccleſiæ communione permanentibus, damnatumque quinque propoſitionum ſenſum, velut hæreticum ſeſe damnare, corde & ore profitentibus? Hoc manifeſtè ſatis erat ad cuſtodiendum fidei depoſitum. Sed ſatis non fuit Jeſuitis, quorum intererat, ut ſuis è manibus Moliniſmo ſuo adverſantes non elaberentur. Pacem ergo ut ſuprà reſtitutam turbantes, ſuper inutili quæſtione illa litem ipſis denuò ſuſcitarunt, clamoribus magnis ubique ſpargentes, ab Innocentio X. definitum eſſe, quòd quinque propoſitiones totidem verbis in Janſenii Auguſtino extarent, nec id ab iſtius libri defenſoribus bona fide negari, ſed perverſa intentione damnatas propoſitiones opportuno tempore ſuſtinendi.

Erat calumnia manifeſta, judiciumque omnino temerarium: cùm nulla perverſæ iſtius intentionis indicia ipſi præ-

præberent. Tale quippe indicium non erat quòd crederent, Innocentii quidem opinionem (in Gallicanorum 80. Epiſcoporum relatione Jeſuitarumque rumoribus quaquaverſum ſparſis fundatam) fuiſſe quòd extarent; ſed in definitiva parte Conſtitutionis, qua ſingulæ propoſitiones damnatæ fuerant, nullam ab Innocentio factam Janſenii mentionem, ſed in procœmio duntaxat & clauſulâ illius, quæ juxta Canoniſtas ad narrationem potiùs quàm ad definitionem ſpectant. Ad quod opinandum probabile non deerat ex circumſtantiis fundamentum. Primò ex eo quòd novum prorſus, & inauditum eſſet in Eccleſia, hæreticas propoſitiones Authori in Eccleſiæ communione defuncto definitive tribui, tanquam ex libro ipſius extractas, niſi totidem verbis in ipſo extarent. Cuivis vero legenti manifeſtum erat, quatuor ſaltem propoſitionum verba in libro ipſius non extare. Secundò ex eo quòd nulla Eccleſiæ definitio damnans ſenſum & librum alicujus Authoris in materia difficili, atque inter Catholicos controverſâ, fieri ſoleat abſque juridico examine. Certum verò erat, juridicum libri Janſenii examen ab Innocentio nulli Congregationi fuiſſe demandatum (cùm id ex nullo actu authentico appareret) ſed examen propoſitionum duntaxat in abſtracto, ſive abſtrahendo à quocumque Authore, prout ex Conſultoribus ab Innocentio deputatis teſtificati ſunt Wadingus, & Commiſſarius Sancti Officii. Tertiò, ex eo quòd veriſimile non erat, Janſenii, Epiſcopi de Eccleſia benè meriti, velut hæreſes quinque docentis in *Auguſtino* ſuo, ab Innocentio X. condemnationem definitivè factam fuiſſe, non ſervato juris ordine dum ſervari poterat, audita ſcilicet utraque parte, auditis proinde hac ſuper re in judicio contradictorio Defenſoribus ipſius, coram Pontificio Tribunali Romæ adſtantibus; quos tamen hac ſuper re juridicè auditos non fuiſſe certiſſimum eſt. Ipſis verò inauditis æquitas non videbatur permittere, tantum Epiſcopum (quem, utpote fidei depoſitarium, maximè oportebat iſtius depoſiti fidelem eſſe cuſtodem) in ſcriptis ſuis de hæreſi condemnare, vita proinde civili ſpoliare, id eſt fama & honore in vera

fide fundato; qui cùm homini Christiano carior sit vita corporali, ipsum in scriptis suis condemnare, velut à fide devium, verè est ipsum civiliter occidere. Quod non servato juris ordine æquitas non videtur magis permittere, quàm ipsum corporaliter occidere. Quod ne factum quidem videtur à Romanis adhuc Gentilibus, de quibus scriptum est Act. 25. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi ad abluenda crimina.* Et agnovisse videtur Vigilius Papa, qui propterea, ante trium Capitulorum damnationem, utriusque partis Episcopos Constantinopoli congregavit, suasque rationes utrimque scripto proferre jussit, ut omnibus consideratis, ad judicium definitivum in Concilio Oecumenico procederetur; prout factum est in Concilio V. cujus etiam Concilii Patres censuerunt, in examine contra Theodorum Episcopum Mopsuestenum instituti, nihil prætermittendum esse subtilitatis, prout visum est suprà. Et in Congregationibus de Auxiliis, non semel duntaxat, imò usque septies, etiam in judicio contradictorio, audiri postularunt libri Molinæ Defensores, antequam quidquam contra eum definiretur: & auditi fuerunt per annos decem. Cùm tamen nec semel in judicio contradictorio, licèt sæpiùs postulato, auditos fuisse legatur libri Jansenii defensores, tametsi libri istius examen in judicio contradictorio necessarium fuisse videatur, ad vitandum periculum condemnandi librum innocentem, velut hæreses continentem, & consequenter authorem, in libro suo cùm præjudicio honoris & famæ ipsius ut suprà. Absque examine quippe contradictorio, & utriusque partis auditione (dum fieri potest) vix possibile videtur periculum istud vitare; quia vix possibile est, habere indicia manifesta, periculum istud abstergentia; maximè cum Jansenii liber intellectu admodum sit difficilis, nec errores, de quibus accusatur, (excepto saltem errore primæ propositionis) in eo contineantur quoad verba, nec clarè & absque controversia quoad sensum damnatum. Quod libri defensores parati erant ex scopo & contextu libri de-

demonſtrare, & a ſe damnatas quinque propoſitiones, acri ſtudio quæſitas, in eo inveniri non potuiſſe, ſed ſolam de gratia per ſe efficaci doctrinam, certiſſimè non damnatam.

Propterea ergo ipſis parum veriſimile videbatur, ab Innocentio X. definitum eſſe, quòd damnatæ ab ipſo quinque propoſitiones, ex Janſenii libro, qui dicitur Auguſtinus, excerptæ forent, & damnatæ in ſenſu à Janſenio intento; tametſi palam alioqui profiterentur, eas à ſe ſincerè velut hæreticas damnari, ubicumque extarent, etiam in Janſenii Auguſtino, ſi ibi extarent.

Aſt quia nihil ex Innocentiana Conſtitutione ad firmandum Moliniſmum ſuum Jeſuitæ eruere potuiſſent, ſi Pontifex ſinceram credidiſſet illam profeſſionem fidei ipſorum, ut hoc impedirent, per pulpita, per domos privatorum perque palatia Epiſcoporum ac Principum tanta calliditate ubique inſuſurrare & clamare cœperunt, ſimulatam eſſe illam fidei profeſſionem, ab ipſiſque ore, non corde, quinque propoſitiones damnari, nec ab ipſis factum Janſenianum bona fide in controverſiam revocari, ſed peſſima & perverſâ, ut hoc prætextu velut pallio hæreſim tegerent, non deponerent, viamque ſibi relinquerent ad eam opportuno tempore palam ſuſtinendam; tanta (inquam) calliditate hoc ubique inſuſurrarunt ac divulgarunt, ut hoc pluribus Epiſcopis Gallicanis, ac per ipſos Alexandro VII. perſuaſerint, ab eoque per obreptionem iſtam Conſtitutionem impetraverint, qua definivit, propoſitiones illas ex Janſenii libro excerptas, in ſenſuque ipſius damnatas eſſe, *filioſque iniquitatis* eſſe qui contra ſentirent. Quo fane verbo nunquam optimus Pontifex uſus fuiſſet adverſus eos, qui in ſola critica quæſtione facti, ad fidem nihil omnino pertinente (in qua ipſa quoque Concilia œcumenica non ſemel circumventa fuerunt) bona fide aliter quàm ipſe juſtis de cauſis ſentirent: maximè cùm de critica quæſtione facti Janſeniani juridicum examen, auditis utrimque partibus, Alexander non magis inſtituiſſet, quàm Innocentius, atque ex tenore Conſtitutio-

tionis ipsius certissimè constaret, ipsam emanasse, *ut Sanctæ fidei nostræ, ac sacrorum dogmatum integritati.....* Pontifex *consuleret*, & *ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese* continerent. Non alia ergo ratione *filios iniquitatis* ipsos nuncupavit, nisi quia Jesuitica obreptione persuasus fuit, Jansenii defensores non bona fide circa solam criticam facti quæstionem, sed pessima fide circa fidei dogmata litigare, cordeque sincero non damnare damnatas quinque propositiones, prout ubique Socii insusurrabant & personabant. Sed calumniosè insusurrabant, sicut & usque in hodiernum diem insusurrant ac personant, ac per hoc urbem & orbem mendaciis suis circumveniunt, Ecclesiæque pacem perturbant, intestinaque bella in ea faciunt perpetua; eo quòd nunquam desinant calumniari, & usque adeo invalescunt mendaces voces, insusurrationesque ipsorum, jactatæque ac jugiter iteratæ cum arte fallaces querimoniæ, ut in ipso sinu Ecclesiæ Romanos Pontifices, unum post alium, adversus fratres suos exasperent, in eamque opinionem inducant, quòd silentium de critico facto Jansenii, ad cujus observantiam facti istius Defensores in reverentiam Constitutionum Apostolicarum sese offerunt, nihil aliud sit, nisi tacita hæresis professio, dum silentio illo, velut pallio, *Non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim.* Impium hujusmodi silentium meritissimè damnavit Sanctitas vestra Constitutione sua *Vineam Domini Sabaoth.* Quis enim non detestetur silentium, fidei & Ecclesiæ authoritati tam exitiosum! Quis non execretur infandum hominum genus, si usquam est, qui in Ecclesiam inducere non erubescunt tam tetram dissimulationem, quæ nihil aliud est nisi palliatum erroris patrocinium! Conterantur, si qui sint de isto hominum genere. Verùm de eo genere esse facti Jansenianos defensores, certissimam esse calumniam, à quinquaginta annis palam ipsi protestantur, nec Jesuitæ unquam probarunt, nec probare potuerunt, aut etiamnum possunt, ipsos

ipſos eſſe tales. Illud autem ipſos probare oportebat manifeſtis indiciis; aliàs iſta ab ipſis *conviciante magis levitate, quàm convincente veritate dici, quis mediocriter ſapiens ignoret?* ait Auguſtinus l. de unit. Eccleſ. c. 5.

Eſt interim Eccleſiæ tam exitioſa, tamque inimica pacis calumnia iſta, ut dignum juſtumque ſit de ea à Sanctitate veſtra, citatâ & audita utraque parte, juridicè inquiri, ut tandem cognita veritate, ſtatuque præſentis controverſiæ (qui Jeſuiticis artibus planè alius in urbe & orbe divulgatur, quàm revera ſit) ſi de illo genere facti Janſeniani defenſores eſſe demonſtrentur, ab omnibus anathematizentur; ſin minùs, calumniatores ipſorum, velut Eccleſiæ perturbatores puniantur, digneque caſtigati deſinant Sedem Apoſtolicam Regeſque ac Principes impoſturis & mendaciis ſuis circumvenire.

Hoc juridicè inquiri à Sanctitate veſtra, ad ſacratiſſimos pedes ipſius provoluti ſuppliciter rogant, facti Janſeniani purè critici defenſores, Beatiſſime Pater: neque enim Apoſtolicum ſuper eo judicium, ſalvo juris ordine, refugiunt ipſi, de nullo ſibi conſcii, quemadmodum refugiunt Jeſuitæ, ſibi conſcii de calumnia ſua. Nec deerit fructus ingens juridicæ iſtius inquiſitionis. Si enim malæ fidei defenſores eſſe convincantur, à fidelibus omnibus, prout dixi, anathematizabuntur. Si innocentes deprehendantur, pax Eccleſiæ reſtituetur, vel per abrogationem formulæ Alexandrinæ (cujus finis ac neceſſitas ceſſabit; ceſſabunt proinde tot & tanta mala ipſius occaſione cauſata, tot utique conſcientiarum perturbatio, tot perjuriorum commiſſio, tot innocentium perſecutio) vel per dilucidam ipſius explicationem, deſignantem, quid fidei dogmatibus, quid definitioni factorum ad fidem non pertinentium debeatur; vel per pii ac religioſi ſilentii, de facto illo Janſenii impoſitam omnibus obligationem. Atque ita etiam hæreticis os obſtruetur, adverſus Romanam Eccleſiam iniqua loquentibus, formulariique legem tyrannicam eſſe calumniantibus, qua in re aſſentientes habent Jeſuitas cum Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Cameracenſi, ſi in

definiendis ejusmodi factis Ecclesia falli possit, prout falli posse communis est Theologorum doctrina, veterum ac modernorum.

Ast in Domino confidunt facti Jansenianî bona fide defensores Clementissimum Pontificem Clementem XI. aliquando dicturum id, quod Leo Magnus epist. 52. aliàs 33. ad Theodosium Augustum scripsit: *Occasionem totius difficultatis amoveo, nec aliquid exigo, quod aut arduum videatur, aut dubium; sed ad id quod nullus Catholicorum refutet, invito.* Per consequens confidunt Sanctitatem vestram exemplo Decessoris sui Clementis IX. persuasum habituram, ab iis plenam & integram orthodoxi hominis obedientiam Constitutionibus Apostolicis exhiberi, qui prorsus eandem exhibent, quam iisdem exhibuerunt Episcopi Alectensis, Appamiensis, Bellovacensis & Andegavensis, juxta attestationem Archiepiscopi Senonensis, Episcoporumque Catalaunensis & Laudunensis in Instrumento 4. Decembris ad Pontificem eorum nomine misso per Nuntium Apostolicum, à quo specialiùs informari voluerat Sanctitas sua, de iis quæ continebantur in Processibus verbalibus Episcoporum illorum super Formularii subscriptione: *Episcopi quatuor* (aiunt ipsi in Instrumento illo) *aliique Ecclesiastici fide egerunt quàm optimâ, certóque eis propositum non est, nisi zelo maximo fidem Ecclesiæ, altamque erga S. Sedem submissionem conservare. Condemnarunt, & condemnari jusserunt propositiones quinque, sinceritate omni, absque explicatione vel restrictione qualicumque, in omnibus sensibus, quas Ecclesia condemnavit. Abest ab illis quàm longissimè, ut corde suo tegant consilium quodcumque errores illos quovis pratextu renovandi, ferendique ut quis illos renovet, vel in minimo factam ab Ecclesia illorum condemnationem labefactet: cùm alii Ecclesiastici non sint, qui inviolatè magis, in hoc argumento, aliisque omnibus, doctrinæ ipsius adhæreant.*

Quod verò ad attributionem spectat, qua propositiones illæ adscribuntur libro Jansenii, Episcopi Iprensis, iterùm præstiterunt, jusseruntque præstari S. Sedi omnem reverentiam & obedientiam, qualis ipsi, dum libros proscribit,

ex-

exhiberi debet juxta Theologorum omnium conſenſum, juxta doctrinam omnium retrò ſæculorum catholicam; imò & noviſſimis temporibus aſſertam ab acerrimis authoritatis S. Sedis defenſoribus, quales fuere Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, & Patres Petavius & Sirmondus, idque conformiter ad mentem Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ in eo poſita eſt, nihil ut dicatur, ſcribatur, vel doceatur Pontificum deciſionibus contrarium. Quibus addiderunt proceſſuros ſe in ſuis Diœceſibus per vias canonicas, adverſus eos qui horum officiorum alterutri deeſſent.

Declaramus ac teſtificamur (habita communicatione & cognitione ſpeciali eorum quæ ſentiunt quatuor Epiſcopi, quæque in Proceſſibus eorum verbalibus continentur) doctrinam hoc ſcripto comprehenſam, prorſus conformem eſſe doctrinæ dictorum Proceſſuum verbalium, nihilque in eis contineri doctrinæ huic contrarium. Atque hæc etiam mea doctrina eſt, & novemdecim Epiſcoporum, qui ad Sanctitatem ſuam ſcripſerunt ſententia. Et Inſtrumentum ſignarunt, FÆLIX *Epiſcopus & Comes Catalaunenſis.* ANTONIUS ARNALDUS, *Presbyter, & Doctor Sorbonicus.*

Quo Inſtrumento accepto, frequentiſſimam Eminentiſſ. DD. Cardinalium, Prælatorum, Conſultorum Congregationem Clemens IX. inſtituit, eoque per tres hebdomadas diligenter & maturè diſcuſſo, Inſtrumentum probavit, pacemque Eccleſiæ Gallicanæ conceſſit, & ſpecialiter quatuor Epiſcopis, probata eorum innocentiâ, & falſitate calumniarum adverſus ipſos ad ſe delatarum: *Non enim potuit perſuaſum non habere, à quatuor illis Epiſcopis plenam & integram obedientiam exhibitam fuiſſe, ac omnimoda ſinceritate formulario ſubſcriptum. Inde ſibi per omnia ab iiſdem ſatisfactum eſſe judicans, ſtatuit apud ſe ſuam illis benevolentiam denuò impertire, gratificarique per Apoſtolicum Breve &c.*, prout habetur in Regeſto Eminentiſſimi Cardinalis Patroni Roſpiglioſi.

Ad pacem iſtam conciliandam, non parum etiam profuerunt litteræ, tùm quatuor Epiſcoporum illorum

tum novemdecim aliorum è primariis, ad eundem Sanctissimum Dominum Clem. IX. Et litterarum quidem quatuor Episcoporum tenor fuit iste: „ Beatissime Pater, quamprimùm accepimus Sanctitatem vestram Episcopali Collegio, & universæ Ecclesiæ præpositam, neutiquam nobis satis esse duximus vel debitas Deo ob tantum munus Ecclesiæ concessum gratias persolvere, vel solemni modo cum ceteris gratulatione defungi; sed gravissimam statim de fidei formula causam, iniquis nonnullorum suspicionibus exulceratam, ad Beatitudinem vestram deferendam putavimus. Nam & incommodis illis opinionibus occurrere monebat prudentia, & supremo Ecclesiæ Pastori institutorum nostrorum rationem reddere religio pietasque suadebat, & gliscentes dissidiorum flammas pro viribus extinguere charitas perurgebat, eo magis quòd hæc omnia apud Beatitudinem vestram procliviora fore confidebamus, & summa in omnibus æquitate & sapientia pollentem, & nullis in hac causa præjudiciis occupatam. Talem utique Medicum poscebant Ecclesiæ vulnera, quæ per se levia & sanabilia remediorum asperitas hactenus acerbavit.

„ Nam si, Beatissime Pater, post Innocentii X. Constitutionem idem nostris institutum tenere placuisset, quod feliciter Belgium, Italia & Hispania tenuerunt, istarum certè contentionum vix memoria superstes esset. Nunc dum, sive zelo, sive affectibus pluscullum indulgetur, deferveſcere contentiones, residere animorum æstus, dissentiones coalescere nequiverunt; aliæ ex aliis lites exortæ, à jure ad facta disputatio traducta est, nec minùs acriter de levibus quæstiunculis, quàm de rei summa certatum.

„ Neminem hic nobis aut culpare, aut purgare propositum. Illud tamen usu & reipsa repererunt, feliciùs semper has concertationes dissimulatione compressas, vel silentio sepultas, quàm apertâ vi repulsas esse. Judicio esse potest famosa illa fidei formula „ à quibusdam Collegis nostris in Cleri Gallica-

„ ni

„ ni Conventu ſancita, à permultis aliis graves ob cau-
„ ſas neglecta, & repudiata. Nam quibus in locis
„ nulla formulæ mentio, ibi pax alta, certa tranquilli-
„ tas, firma conſenſio viguit: ubi verò ſubſcriptionum
„ exigendarum invecta diſciplina, ibi interminatæ li-
„ tes, inſtructæ diſcordiæ, ingens ſcandalorum ſeges,
„ quæ vel attingere noſtra refugit oratio.

„ Hæc dum, Beatiſſime Pater, in Gallia gererentur,
„ & per aliquot annorum ſpatia traherentur, ex eorum
„ nos numero fuimus, qui Eccleſiarum ſuarum tran-
„ quillitati, ablegatis illis contentionibus conſuluerunt.
„ At cum Deceſſori veſtro Beatæ memoriæ Alexandro
„ VII. perſuaſum fuiſſet, conciliandæ pacis & ſopien-
„ darum contentionum hanc eſſe viam, ſi authoritate
„ ſua unam & eandem omnibus fidei formulam ſub-
„ ſcribendam præſcriberet, hoc ille quidem conſilio id
„ adeptus eſt, ut ſubſcribentium diſcrimen tolleretur,
„ omniumque in Apoſtolica fide retinenda conſenſio
„ magis clareſceret; omnibus Apoſtolicæ Sedi id tri-
„ buentibus, tum ut propoſitiones ipſas ex ipſius præ-
„ ſcripto damnarent, tum ut ſuam in illius Conſtitu-
„ tiones reverentiam ſolemni ſponſione teſtarentur.
„ Ceterùm dum ultra recti verique limites quidam
„ propoſitum ſuum urgent, in novas contentiones Ec-
„ cleſia conjecta eſt, & pax, in manu poſita, ſponte
„ repudiata. Id verò quo pacto commiſſum ſit, quo-
„ niam hoc conſiliorum noſtrorum ſumma continetur,
„ Sanctitati veſtræ breviter per nos exponi neceſſe eſt.
„ Nemini, Beatiſſime Pater, ignotum eſt, duplicem in
„ hac cauſa verti quæſtionem: alteram, utrùm propo-
„ ſitiones ipſæ, earumque ſenſus ab Eccleſia damnatus,
„ verè hæreticus ſit; alteram, utrùm prædictus ſen-
„ ſus reipſa apud Janſenium extet, ſive utrùm ita ex-
„ plicandus ſit Janſenius, ut cum damnatarum propo-
„ ſitionum ſenſu congruat; an benigniori interpretatio-
„ ne cum vulgari ac recepta in Eccleſia Catholicâ do-
„ ctrina conciliari & conjungi poſſit. Nec minus cer-
„ tum eſt, harum quæſtionum tantum alteram ab al-
„ tera diſtare, quantum cœlum à terra, divina fides

„ ab humanis experimentis, antiqua veritas à recentio-
„ ribus factis.

„ Atque hinc conſectarium illud peræque omnes eli-
„ ciunt, nupera illa facta, nec divinitùs revelata, in-
„ fallibili prorſus judicio ab Eccleſia minimè definiri,
„ ideóque ab iis qui bona fide in iis hærent, nihil præ-
„ ter ſilentium exigi poſſe. Quod tum concordi om-
„ nium quotquot unquam fuere Theologorum ſenten-
„ tia; tum variis exemplis graviſſimorum Virorum,
„ qui de factis ejuſmodi, tametſi definitis, ſine invidia
„ & cujuſquam reprehenſione dubitarunt; tum ex ip-
„ ſis fidei fundamentis, quæ tota divinâ revelatione
„ niti debet, facilè adſtrui poteſt.

„ Perplexior & cœca magis de ſubſcriptionum ſenſu
„ quæſtio exorta eſt, dum alii nullum in facta conſen-
„ ſum ſubſcriptione demonſtrari, ejuſque vim omnem
„ ad ſola demum dogmata reſtringi prætenderent; alii
„ non minùs in facta quàm in dogmata ſubſcriptio-
„ nem cadere graviſſimis rationum momentis affirma-
„ rent.

„ Harum ſententiarum utra ſit verior, nihil nunc
„ exquirere neceſſe eſt. Sed ex illa opinionum diſcre-
„ pantia facilè exiſtimabit Sanctitas veſtra, quis rerum
„ ſtatus, qui animorum habitus in diœceſibus noſtris
„ extiterit, ex quibus conſilia noſtra, verba, actioneſ-
„ que moderari, & Chriſtiana prudentia, & paſtoralis
„ charitas jubet. Ac de ipſa quidem fide, & damnatis
„ erroribus, idem erat omnium ſenſus, omnibuſque
„ illud teſtimonium in commune debemus, neminem
„ nos inveniſſe, quem in ſuſpicionem erroris ſine te-
„ meritate vocari poſſe putaremus.

„ Ceterùm de nuda facti quæſtione, utrùm ſcilicet
„ ipſæ propoſitiones eſſent in Janſenio, erant multi
„ qui ambigerent, ſive illos ipſius Janſenii lectio, ſive
„ externæ demùm circumſtantiæ in hanc dubitationem
„ conjeciſſent. Porrò hæſitantes illos in Janſenii fa-
„ cto, tum variæ deinde de ſubſcriptione ſententiæ,
„ tum varii affectus in diverſas claſſes diſpertiebant.

„ Qui ſuâpte naturâ facta ſubſcriptione contineri mi-
, nimè

„ nimè ſentiebant, ad omnem ſubſcriptionem prompti
„ & parati erant. Ex iis, quibus hæc ſententia minùs
„ placebat, quidam ſalutis ſuæ negligentes, quietis
„ ſuæ fortunarumque diſcrimen fraudulenta ſubſcriptio-
„ ne redimere non dubitaſſent; à quibus proinde ſubſcrip-
„ tionem exigere, nihil aliud erat quàm eos in aper-
„ tum perjurium inducere. Idipſum alii præſtitiſſent
„ infirmitate mentis, quos deinde violatæ conſcientiæ
„ morſus diris tormentis excruciaſſet. Pauci fuiſſent
„ ab illis ſuperioribus non ſenſu & opinione, ſed fidei
„ conſtantia, & mentis firmitate diſtantes, qui vel in
„ totum ſubſcriptionem detrectaſſent, vel appoſitis ex-
„ ceptionibus factum Janſenii à fide, cui teſtimonium
„ perhibebant, in ſubſcriptione ſegregaſſent.

„ In his, Beatiſſime Pater, quid culpare poſſemus,
„ omnino non inveniebamus. Quod enim tandem in
„ illos crimen jure conferri poſſit? An quòd de facto
„ Janſenii dubitarent? Qui mentis habitus & ipſis
„ cum magna ſubſcribentium turba communis, & ſum-
„ morum, ipſorumque adeo Romanæ Curiæ Proce-
„ rum, Bellarmini, Baronii, Pallavicini, exemplo &
„ authoritate licitus & innoxius; cùm de ſimilibus
„ facti quæſtionibus, ab Eccleſia deciſis, vel ambigant
„ ipſi, vel ambigere licere pronuntient. An quòd ſic
„ affecti nonniſi cum exceptione ſubſcribere, ſibi fas
„ eſſe arbitrarentur? At ſi interna dubitatio culpa
„ caret, quid vitii habere poſſit, externa profeſſione
„ ejurare nolle quod licitè ſentias, hoc eſt nolle Deum
„ & homines fallaci ſubſcriptione ludificari?

„ Sentis profectò, Beatiſſime Pater, propriæ chari-
„ tatis inſtinctu, quid nobis in hoc articulo poſitis cha-
„ ritas ipſa præſcriberet, cujuſque conſilii neceſſitatem
„ afferret. Ecquid enim? An nobis, quorum eſt A-
„ nimarum onera relevare, afflictos erigere, nutantes
„ firmare, vel irreligioſis illis ad quidvis ſubſcribendum
„ contra conſcientiam paratis, licebat novum ex perju-
„ rio onus imponere, vel infirmioribus laqueum injice-
„ re, vel ſpectatæ virtutis doctrinæque Clericos ſine cau-
„ ſa vexare? Ergo illud iter neceſſariò arripiendum

„ fuit.

„ fuit; quo & illos scopulos declinaremus, & plenum „ tamen & integrum de fide testimonium ex summi „ Pontificis mandato ab omnibus exigeremus. Quam„ obrem nihil consultiùs visum, quàm difficultates illas „ præcidere, expositio subscriptionum sensu ex constantis„ sima receptissimaque apud omnes doctrina, nimirum „ Ecclesiæ judiciis in solis demùm dogmatibus infallibi„ lem illam constare veritatem; in aliis hoc unum à fideli„ bus exigi, ut Pastorum suorum authoritatem revereantur, nec eis contumaciter obluctentur. Ita, Beatissime „ Pater, hujus expositione doctrinæ irreligiosos à per„ jurio, infirmos à lapsu, firmos à periculo molestiis„ que defendimus; neque tamen ideo minùs sincerum, „ aut minùs plenum de fide testimonium exegimus, „ cùm omnibus apertè denuntiaverimus, eum subscri„ ptionis sensum esse, quæcumque dogmata ab Apostolica Sede, & ab Ecclesia in quinque propositionibus „ damnata sint, atque damnentur, ea pariter ab subscri„ bentibus plenè & integrè, sine dolo & fallacia damna„ ri, ac propositiones ipsas, ubicumque sint, ex animo „ rejici atque proscribi.

„ Talem omnes professionem subscriptione Apostolicæ formulæ, libentissimè præstiterunt. Talem nos „ ipsi præstitimus. Talem verò qui præstat, omnino, „ Beatissime Pater, nec hæreticus esse potest, nec ullius erroris jure suspectus. Omnes enim removet, „ qui idem planè cum Romana & Catholica Ecclesia, „ ut de ceteris, ita & de quinque propositionibus sentit, & sentire se profitetur.

„ Quod si quis pertinaciter ad facti Jansenïani confessionem compellendos homines putet, tamen illud „ concedat necesse est, non priùs id fieri posse; quàm „ Jansenii sensus flagitantibus Theologis explicetur. „ Quod cùm singulis Episcopis inconsulta Romana Sede „ periculosissimum sit, ne, quæ inter Theologos hac „ de re contentiones vigent ad Episcopos perveniant, „ eosque in varias distrahant partes; hinc nova gravis„ que necessitas extitit, subscriptionis ad solam demùm

„ si-

„ fidem, de quâ inter omnes convenit, reſtringen-
„ dæ.

„ Habet Beatitudo veſtra quid in hoc difficillimo ſub-
„ ſcriptionum negotio ſecuti ſimus. In quo nobis in-
„ genti ſolatio fuit, quòd conſilium noſtrum, ſola
„ charitate ſuſceptum, licèt nonnullorum obſcuris vo-
„ culis exagitatum, non dubio noſtratium Epiſcopo-
„ rum aſſenſu probatum eſt; idque non verbis modò,
„ ſed factis: quod ipſi enim fecimus, id permulti vel
„ publicis Mandatis, vel Actis coram Eccleſiæ Synodo
„ compoſitis atque perſcriptis ſeſe feciſſe palàm ferunt.
„ Et illi ipſi qui facta à ſubſcriptione ſejungere non cu-
„ rarunt, id ſe propterea feciſſe profitentur, quòd no-
„ tiorem eam doctrinam putaverint, quàm ut expreſſâ
„ declaratione opus haberet. Itaque exceptiones quas
„ nonnulli tranquillandæ conſcientiæ cauſâ ſubſcriptio-
„ nibus ſuis apponunt, pauciſſimis demptis, probant
„ omnes, ut hæc conſtans & concors Cleri Gallicani
„ ſententia dici poſſit, quemadmodum omnium hacte-
„ nus Theologorum fuit.

„ Hæc latiùs, Beatiſſime Pater, Sanctitati veſtræ ideo
„ exponenda putavimus, quòd cum noſtra Mandata
„ apud Romanam Curiam in invidiam adducta fama
„ percrebuerit, hinc nobis conjicere liceat, conſilia ibi
„ noſtra ſiniſtris interpretationibus aliorſum rapi, & i-
„ niquis ſuſpicionibus appeti. Neque enim fieri poſſe
„ putamus, ut id nobis crimini detur, quod neceſſa-
„ riis cauſis adducti, eam fidelibus doctrinam propo-
„ ſuerimus de qua nullus unquam Catholicus ante hoc
„ decennium dubitavit. Has igitur ſuſpiciones, & à
„ charitate alieniſſimas, & divinis legibus adverſas, &
„ iis qui illas vel admitterent vel ſpargerent exitioſas,
„ ut Sanctitas veſtra authoritate coerceat, ſuppliciter
„ expoſcimus & obteſtamur.

„ Quo uno Apoſtolicæ æquitatis judicio & certam Ec-
„ cleſiæ pacem conciliabit, quæ his demùm malignis
„ criminationibus impeditur, & ſolidam apud omnes
„ gloriam, ingens apud Deum meritum, comparabit.
„ Quibus cùm nihil majus aut felicius Eccleſiæ, vel

„ San-

» Sanctitati veſtræ poſſit contingere, hæc nos, Beatiſ-
» ſime Pater, continuis votis ac precibus à Dei opt.
» max. benignitate flagitare non deſiſtemus. Beatiſſime
» Pater, Humillimi &c. die 28. Auguſti 1667.

Haſce literas ſecutæ ſunt 1. Decembris ejuſdem anni, ad eundem Clementem IX. aliæ novemdecim Epiſcoporum, prædictorum quatuor Epiſcoporum cauſam ſuſcipientium, ſub hoc tenore: „Cùm exordia ve-
» ſtri Pontificatus quibuſcumque poſſunt lætitiæ ſignis,
» & fauſtis in futurum votis proſequi certatim omnes
» allaborent; Nos, quibus ſatis perſpectum eſt, Beati-
» tudinem veſtram faſtigii ſui amplitudinem non fluxis
» honoribus, ſed ſalutaribus, pro commiſſæ ſibi Eccle-
» ſiæ utilitate, curis laboribuſque metiri, faciendum
» duximus ut præter ſolemnia gratulationis officia, &
» ſinceram venerationis noſtræ ſignificationem, Sancti-
» tati veſtræ uberem ſtatim laudum & meritorum ma-
» teriam oſtenderemus. Notiſſimæ illæ Deceſſorum
» veſtrorum de quinque propoſitionibus Conſtitutiones
» perinde ab omnibus Epiſcopis acceptæ, pari ab ipſis
» reverentia promulgatæ ſunt, nec ullis unquam Galli-
» cani Præſules concedent, ut in Apoſtolicam Sedem
» religioſiores, quàm ipſi ſint. Quòd ſi qui ex ordine
» noſtro in invidiam vocati ſunt, quòd eas minimè re-
» verenter habuerint, id facilè Sanctitas veſtra, poſt-
» quam totam hanc cauſam penitùs cognoverit, præter
» verum & æquum in illos conferri perſpiciet. Impetra-
» bit vel ab inimicis excellens horum quatuor Epiſco-
» porum virtus hoc teſtimonium, non alios eſſe qui or-
» dinem noſtrum magis exornent; & Eccleſiam magis
» ædificent, qui populorum ſaluti, & commiſſi ſibi gre-
» gis curæ vigilantiùs incumbant, & qui omnes deni-
» que Epiſcoporum partes cumulatiùs expleant. At nos
» illud præterea & ſpondere & confirmare poſſumus,
» non minimam ab eis pietatis ſuæ partem in eo poni,
» ut Apoſtolicæ Sedi ea qua par eſt demiſſione ſubſint,
» ejuſque dignitatem debita veneratione proſequantur.
» Quòd ergo ab ea quidam ipſos in ſuis de ſubſcriptio-

» ne

" ne Mandatis diſceſſiſſe criminantur, aliena ab ipſis, " Beatiſſime pater, & inanis ſuſpicio eſt.

" Quid enim in illis Mandatis quod vel à Catholicæ " doctrinæ norma, vel à Romanæ Sedis reverentia tan- " tillùm deflectat? Novum & inauditum apud nos non- " nulli dogma protulerunt, Eccleſiæ nempe Decretis, " quibus quotidiana, nec divinitùs revelata facta deci- " duntur, certam & infallibilem conſtare veritatem; a- " deoque ipſa non minùs quàm revelata in Scripturis & " Traditione dogmata, fide eſſe tenenda. Hoc verò " dogma, Beatiſſime Pater, quod ab omnibus Anti- " quis recentibuſque Theologis peræquè damnatum eſt, " ex Deceſſoris veſtri Conſtitutionibus, iidem qui illud " invexerunt, temerè ſtabilire nitebantur. Huic malo " ut occurrerent prædicti Epiſcopi, ſimul ut quorum- " dam ſcrupulis mederentur, oppoſitam huic manife- " ſtiſſimo errori doctrinam, communiſſimam ſimul ac " certiſſimam, in Mandatis ſuis expoſuerunt; humana " nimirum nec divinitùs revelata facta non omnimoda " & infallibili certitudine ab Eccleſia definiri, adeóque " in ejuſmodi rebus nihil aliud ipſam à fidelibus exige- " re, quàm ut ſua decreta reverenter ut par eſt, ha- " beant. Quid in hac doctrina, Beatiſſime pater, in " Romanam Sedem irreligioſum & injurium? Cùm " non modò à ſummis Apoſtolicæ Sedis veneratoribus, " ejuſdemque acerrimis vindicibus, Baronio, Bellarmi- " no, Pallavicino aſſerta & tradita ſit; ſed eo nomine " potiſſimùm conſtabilita, quòd eam ad vindicandam " Eccleſiæ authoritatem in ſanciendis fidei dogmatibus, " & ad hæreticorum criminationes repellendas, perne- " ceſſariam judicarint. Ita ſentire ſi criminoſum exi- " ſtimetur, non hoc proprium ipſorum, ſed omnium " noſtrûm, imò totius Eccleſiæ crimen fuerit. Quin- " imò non defuerunt, nec pauci, nec poſtremi nomi- " nis Epiſcopi, qui idem prorſus quod illi præſtiterunt, " vel publicis Mandatis, tametſi non prælo excuſis; vel, " quod non minus ponderis habet, in publicis actis, ſi- " ve tabulis, in quibus eandem doctrinam explicarunt. " Plerique alii ſe faciles Clericis præbuerunt, ſi quibus

" for-

" fortasse aliquid addere in subscriptione libuit, dum-
" modo rectum & orthodoxum.

" Absit igitur, Beatissime Pater, ut credamus Beati-
" tudinem vestram ab Episcopis tanta morum integri-
" tate, & tam illibata fide conspicuis, alienam esse. Ab-
" sit ut eis fides adhibeatur, qui minùs cautè dissemi-
" nant, Sanctitatem vestram novo & inusitato modo in
" eos acturam. Remota est hæc suspicio ab Episcopis
" Gallicanis, quibus solemne est nonnisi canonicè judi-
" cari, & à summis Pontificibus semper benigniùs ex-
" cipi. Nec dubium nobis est quin ceteri Fratres no-
" stri idem nobiscum à Sanctitate vestra cum omni re-
" verentia & fiducia postulassent, nisi idipsum ab illa sa-
" pienti, quam omnes in Te mirantur, providentia ex-
" pectarent. Hoc illud est, Beatissime Pater, quod
" Ecclesia Gallicana tanquam Apostolatui vestro servа-
" tum sperat; hanc perfectam concordiam à vestra sa-
" pientia omnes deprecantur. Ipsa sua sponte coales-
" cere potest; sine labore, sine cujusquam offensione
" rixæ conticescent; Constitutionum honos apud om-
" nes vigebit; & sub summo Pastore omnia Ecclesiæ
" membra idem sapere, idem prædicare conspicies.

" Hoc verò cùm nec utilius quidquam Ecclesiæ, nec
" Sanctitati vestræ glorioſius esse possit, non desistemus &
" id ab ejus prudentia sperare, & supplicibus à Deo votis
" exposcere, ut ad tantum opus perficiendum longam
" Sanctitati vestræ supremi Pontificatus usuram largia-
" tur, ipsamque diutissimè ad Ecclesiæ commoda servet
" incolumem. Sanctitatis vestræ, Beatissime Pater, Hu-
" millimi & obsequentissimi Filii &c.

Receptis hisce litteris, uno cum Instrumento supra exhibito, Clemens IX. compositis Ecclesiæ Gallicanæ dissidiis, declarata plena atque perfecta quatuor Episcoporum obedientia, restituit pacem. Quam & facilè est Sanctitati vestræ, eadem vel simili via, attentis præmissis, toti Ecclesiæ restituere.

A R-

ARTIFICIUM DECIMUM-QUINTUM.

Virorum integerrimorum, Molinianis novitatibus contradicentium, vel molliora ipſorum de moribus opinamenta improbantium, probitatem, modeſtiam, morum ſuavitatem, ſimulatum aſſerere, velutque pallium, ſub quo hæreticum animum tegunt.

PLeni ſunt maligna interpretatione iſta varii Sociorum libelli, nominatim ille qui anno 1705. Romæ editus fuit, ſub hoc titulo: *Clericus Romanus, contra nimium rigorem munitus*; cujus Author P. Baldaſſar Francolinus, Soc. Jeſu Theologus, in præfatione hæc habet: „ Cave à Rigoriſtis, qui de regione longinqua veniunt „ ad te in veſtibus ovium, in fronte modeſta, in ocu„ lis ſubmiſſis, in vultu demiſſo, in geſtu compoſito, „ in toga decenti, in ſermone ſuavi. Quos igitur de„ prehenderis in facie ſanctos, modeſtos, compoſitos, „ Eccleſiaſticè in toto habitu comptos; ſed habentes „ ſemper quid interrogent, quid inquirant, quid dubi„ tent, quid objiciant, quid non probent, quid reſe„ cent, quid reſtringant, quid addant, quid emendent, „ ſemper muſſantes, ſemper deflentes noſtram ætatem, „ noſtros mores, noſtram doctrinam, habentes nun„ quam quod excuſent, quod indulgeant, quod lau„ dent, niſi aut ſua ſint, aut ſuorum, quos evehere cu„ rant, ut evehantur ipſi; & dominentur in Cleris, aut „ protegantur: habe illos, ut noſtrorum temporum „ Phariſæos, & veri nominis Rigoriſtas. Quorum finis eſt, fieri hæreticos, uti dicit l. 1. diſp. 5. pag. 100.

Verùm ipſi *Clericus Belga*, anno 1706. editus, demonſtrat cœcitatem ſuam, qua non videt ſarcaſmos iſtos in caput ſuum regeri poſſe, ab ipſoque Francolino cavendum eſſe velut noſtri temporis Phariſæo; *& veri nominis Rigoriſta*, utpote qui ad te venturus ſit in fronte modeſta, in oculis ſubmiſſis &c, ſi, ut Jeſuitam decet,

cet, venerit; eodemque calumniæ genere apud vulgum depingi poterit.

Siquidem „ pone ipſum " (ait Clericus Belga) „ in „ medio peſſimorum hominum poſitum, iiſque conver- „ tendis dare operam. Primò, ut ſuo illos exemplo „ ædificet, exhibebit ſe in facie ſanctum, modeſtum, „ compoſitum, Eccleſiaſticè in toto habitu comptum: „ adeoque notâ primâ, unde *noſtrorum temporum pha- „ riſæi, & veri nominis Rigoriſta* dignoſcuntur, inſi- „ gnitum.

„ Secundò, ut ipſos in fide & moribus inſtruat, ac „ corrigat, *habebit ſemper quid interroget, quid inqui- „ rat, quid dubitet, quid reſecet, quid reſtringat, quid „ addat, quid emendet, ſemper muſſans.* En notam in „ Francolino ſecundam.

„ Tertiò, ſi dicant impii, ſe vivere ut hac ætate vi- „ vitur plerumque, ſic ferre mores ſæculi: *deflebit no- „ ſtram ætatem, noſtros mores.* Atque ita incurret in „ notam tertiam.

„ Quartò, ſi vitam & mores ſuos defendant ex la- „ xiori Caſuiſtarum quorumdam doctrina; *doctrinam „ iſtam*, ut novam, *deflebit* Francolinus, & ſic ſibi ac- „ quiret notam quartam.

„ Quintò, ſi, flente illo, ipſi rideant, & nunquam „ ſeſe emendent: *habebit nunquam quod excuſet, quod „ indulgeat.* Habebit interim notam quintam.

„ Sextò, ſi commendet, ut legant ſcripta quorum- „ dam Patrum Societatis, aliorumve, qui Societati ad- „ dicti ſunt; ſi exempla eorum imitanda ipſis proponat; „ ſi hortetur, ut eorum ſe directioni ſubmittant; di- „ cent, eum *habere nunquam quod laudet, niſi aut ſua „ ſint, aut ſuorum, quos evehere curat, ut evehatur ip- „ ſe, & dominetur in Cleris, aut protegatur.* Nec du- „ bitabunt, cùm ne hæc quidem nota deſit, habere il- „ lum, ut *noſtrorum temporum phariſæum, & veri no- „ minis Rigoriſtam.*

„ Fallentur quidem in Francolino vehementer, cùm „ nihil minùs quàm Rigoriſta ſit. Sed hoc exemplo „ docendus erat Francolinus, quàm vehementer fallat

„ ipſe

„ ipſe, dum *noſtrorum temporum phariſæos, & veri no-*
„ *minis Rigoriſtas*, iis notis diſtinguit, quæ & viris qui-
„ buſcumque integerrimis, & ipſi Francolino pari faci-
„ litate accommodentur.

Ad compeſcendam verò effrænem maledicendi licentiam, qua totus liber ipſius eſt conſpurcatus, ipſum Clericus Belga ad Sedem Apoſtolicam provocat, ut coram illa vel criminationes ſuas legitimè probet, ſignanter ea quæ ipſum non pudet deblaterare, quòd *hæreticos fieri, finis eſt Rigoriſtarum*; vel decretas calumniatoribus pœnas luat: parati viciſſim, inquit, carceres, & quævis ſupplicia hæreticis debita ſubire, ſi tantorum ſcelerum rei deprehendamur.

ARTIFICIUM DECIMUM-SEXTUM.

Ad conciliandam ipſis populorum ac Principum invidiam, ipſis perperam imponere, quòd cultui Beatiſſimæ Virginis adverſentur.

ETiam varii Jeſuitarum libelli pleni ſunt iſta maledicentia. Videri poteſt inter alios, libellus inſcriptus: *Jugement legitime contre les Peres de l'Oratoire* de Mons p. 3. accuſat. 7. in quo RR. PP. Oratorii Montenſis de Neſtorianiſmo accuſant, deque hoſtili animo adverſus cultum Beatiſſimæ Virginis. Aſt quàm calumnioſè conſtat ex dictis Artificio quinto, ubi plura de hac re.

ARTIFICIUM DECIMUM-SEPTIMUM.

Eundem in finem ipſis per impoſturam affingere hæretica dogmata; quòd ipſis etiam juſtis aliqua Dei præcepta ſint impoſſibilia; quódque Chriſtus mortuus non ſit pro omnibus.

DOgmata iſta prætenſis Janſeniſtis, ſeu Doctoribus gratuitam Dei prædeſtinationem, gratiæque per ſe efficacis ad ſingulos pietatis actus neceſſitatem defendentibus, affingunt Jeſuitæ in infami Memoriali anno 1698.

Ca-

Catholicæ Majestati præsentato, per Romanamque & Hispanicam Inquisitionem damnato: & in libello famoso, cui titulus: *Memoriale circa Jansenismi progressum in Hollandia*: nec non in alio libello, anno 1653. per P. Dechamps edito sub titulo: *Secretum Jansenismi*: cumque ipsis noviſſime P. Robertus Stephani Jesuita Anglo-Leodiensis, in iis quæ Leodii dictavit adversus librum inscriptum: *La foi & l'innocence du Clergé de Hollande*, approbatoribus illius eadem imponens dogmata.

Ast protrita est dudum impostura ista per innumeros Scriptores, signanter per Abbatem de Bourzeis; per sereniſſimum Principem Theologum de Conti, in Responsione ad epist. 8. & 9. Patris Dechamps; per Doctorem Germain in libro Gallicè inscripto, *Traditio Ecclesiæ Romanæ* to. 3. c. 4. & 5. denique per varia scripta edita adversus putidum illud, *Memoriale circa Jansenismi progressum* &c, ac per Authorem libri inscripti, *La foi & l'innocence du Clergé de Hollande*: tamque validè protrita, ut à calumnioſa impostura sese excusare nequeant qui, post tot in contrarium demonstrationes, figmenta illa cum P. Stephani recantare non cessant, per hoc demonstrantes, de iis sese esse, de quibus Isa. 28. scriptum est: *Posuimus in mendacio spem nostram.*

Et quo (amabo!) fundamento nititur impostura ista? Non alio nisi quòd prætensi illi Jansenistæ subinde dicant, absque gratia efficaci (qua subinde carent justi) non solùm nihil fieri, sed nec fieri posse, quod sit usquequaque bonum, id disertè exponentes de potentia complectente omnia ad faciendum necessaria. Id verò licèt tota asserat Schola Thomistica, & Augustiniana, asserantque omnes gratiæ per se efficacis necessitatem ad omnes actus Christianæ pietatis defendentes, Molinianæ Harpiæ illæ sibi sufficere putant, ad primam ex quinque damnatis propositionibus ipsis affingendam.

At prorsus infundatè & calumnioſè, & contra omnes æquitatis & charitatis leges. Quod enim gratia per se efficaci carentes id non possint, potentia complectente omnia necessaria ad tentationem aliquam v. g. de facto vin-

vincendum, non provenit ex impoſſibilitate antecedente, involuntaria, & abſoluta, ſed ex languore voluntatis corruptæ, adeóque ex impotentia conſequente, voluntaria & ſecundùm quid duntaxat, quæ divinæ legis violationem non magis excuſat à peccato, quàm ignorantia conſequens & voluntaria. Quòd enim tunc quiſpiam non poſſit (dicta potentiâ) eam ſervare, ideo eſt quia non vult, vel quia nimis languidè vult; poſſet enim, potentia illa, ſi vellet voluntate forti & plena, prout Auguſtinus mille locis docet, ſpecialiter in l. de grat. & lib. arb. c. 15. ubi ſic: *Ad hoc valet quod ſcriptum eſt, Si* volueris, conſervabis mandata, *ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Et c. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam. Poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam.*

Quare non poteſt, habens parvam voluntatem? quia, ut ait l. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 5. *ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis.* Et ſerm. 3. de verb. Apoſt. c. 10. *Volo ut velis; ſed non ſufficit ut velis; adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Quando ergo homo vel non vult, vel nimis languidè, non plenè vult mandata ſervare, hac quidem ratione dicit Auguſtinus ipſum non poſſe illa ſervare; ſed non dicit, nec dici poteſt, illorum obſervantiam ipſi eſſe abſolutè impoſſibilem. Nam, ut benè Steyartius nota 2. in 1. propoſitionem, vulgaris modus iſte loquendi, *non poteſt*, ſe tenet ex parte potentiæ, ſolumque in communi modo loquendi ſignificat, voluntati, ſeu potentiæ deeſſe aliquid neceſſarium ad agere, quod non habet, licèt habere poſſit. Locutio verò iſta, *præceptum impoſſibile eſt*, abſolutè & ſimpliciter prolata, ſe tenet ex parte objecti, ſignificatque præceptum impoſſibile eſſe in ſeipſo, nulloque modo reddi poſſe poſſibile. Ideas proinde diverſiſſimas confundit, quiſquis ſimpliciter aſſerit, mandatum eſſe impoſſibile ho-

mini, cui deest aliquid necessarium, non ad posse, sed ad actu illud implere. Et ideò Tridentinum ea ipsa sessione, eo capite, ea pagina, ea ferè linea ubi de possibilitate agit, deque observantia Dei mandatorum, rejecta voce impossibilitatis, velut temeraria, & à Patribus anathematizata, vocem admittit impotentiæ, seu non potentiæ, utpote traditam ab Augustino & Conciliis. *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod* NON POSSIS. Eandem vocem admittit, traditque Salvator Joan. 6. 44. NEMO POTEST *venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et v. 66. NEMO POTEST *venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Istis verbis, inquit Massoulieus in eruditissimo opere SS. D. Innocentio XII. dicato, cui titulus, *S. Thomas sui Interpres*, dissert. 3. q. 1. a. 3. *Nemo est qui S. Augustinum & S. Thomam. Magistros audierit, qui non existimet, significari gratiam, & quidem tantam, ut* TRACTIO *dici potuerit, quæ vim quandam adhibitam significare videtur.* Ita etiam Natalis Alexander in Commentario super quatuor Evangeliis, S. D. N. Clementi XI. dicato, Ribera, Sanctæ Teresiæ quondam Confessarius, in Commentar. super Evang. Joan. ad illa verba, *Sine me nihil potestis facere*, ubi ex Conciliis Africanis & Arausicano II. can. 7. 8. & 9. atque ex multis Patribus, (quorum testimonia apud ipsum videri possunt) ostendit Evangelica verba illa ab ipsis intelligi de gratia efficaci. Quod & ostendere poterat ex capitulis Cælestino Papæ attributis, atque ab Ecclesia Catholica receptis c. VI. VII. VIII. IX. X. XI. & XII. Jam verò si de gratia efficaci, verba illa Salvatoris, Conciliorum, SS. Pontificum, & Patrum, adeóque secundùm Traditionem intelligenda sunt; de fide esse videtur, absque gratia efficaci nihil ad Christianam pietatem pertinens effici posse: *Nemo* quippe *nisi per Christum libero benè utitur arbitrio:* Cælestinus Papa in regula fidei Catholicæ capitulo 7. De fide tamen est, Dei mandata non ideo impossibilia esse iis, qui gratia illa ob culpam suam destituti sunt.

Objiciunt quidem Molinæ sequaces censuram, non Fa-

Facultatis, ſed partis Facultatis Theologicæ Pariſienſis, adverſus Arnaldum latam anno 1656. Sed cenſuræ iſti meritò contradixerunt 80. ferè Doctores ex præcipuis, & minùs intereſſatis. Reſpondeant ergo Cenſores iſti argumento proximè facto, ſi poſſint. Si non poſſint, fateantur ſeſe Arnaldum damnando, damnaſſe Salvatorem, Concilia, SS. Pontifices, Patres, omneſque Sanctorum Auguſtini & Thomæ Diſcipulos.

Nec dicant, homini gratia efficaci deſtituto æquè impoſſibile eſſe mandata ſervare, quàm homini impoſſibile ſit curſim equitare abſque equo Neque enim homini, qui deſtitutus eſt equo, propriè & abſolutè impoſſibile eſt curſim equitare ; cùm *impoſſibile propriè ſignificet id ad quod nullo modo pervenire poſſumus, ne quidem cum alterius auxilio.* S. Thomas 1. p. q. 62. a. 2. ad 2. Propoſitio verò quæ dicit, *impoſſibile eſt curſim equitare abſque equo*, duas involvit, quarum altera ſupponitur, taciteque indicatur, videlicet, *poſſibile eſt curſim equitare cum equo*; altera exprimitur, *aſt ſine equo poſſibile non eſt*, poſſibilitate utique cum effectu, ut loquitur Auguſtinus. Neque juxta vulgarem loquendi modum quidquam poſſibile dicitur, poſſibilitate cum effectu, niſi dum actu habetur quidquid neceſſarium eſt ad effectum, etiamſi dum non habetur, dummodo haberi poſſit, ſimpliciter & abſolutè poſſibile ſit, non impoſſibile; utpote ad quod aliquo modo pervenire poſſumus.

Calumniantur ergo qui defenſoribus gratiæ per ſe efficacis, neceſſitatiſque illius ad ſingulos actus pietatis, affingunt primam ex quinque Janſenianis de mandatorum impoſſibilitate. Maximè cùm eam uno ore improbent articulo 5. ex quinque ab Alexandro VII. approbatis dicentes: *Cùm ex S. Auguſtini ſententia, quam tota S. Thomæ ſchola defendit, gratia efficax voluntatem indeclinabiliter & infallibiliter, citra tamen neceſſitatem, vi divinæ motionis, flectens & determinans, ad ſingulos Chriſtianæ pietatis actus neceſſaria ſit, nunquam contingit, ut vel oremus ſicut oportet, niſi cùm illa operatur ut oremus, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum ; nec ut Dei mandata ſervemus,*

nisi cùm illa facit, ut in ejus præceptis ambulemus; nec denique ut inimici tentationes superemus, nisi dum nobis victoriam largitur.

Et tamen cùm nonnunquam justi tentationibus succumbant, & in varia peccata prolabantur, etiam cùm illa vitare imperfectè & remisse volunt, manifestum est, justis istis, in illo imperfecta ac remisse voluntatis statu, vitio licèt suo, mandatum violantibus, efficacem illam ac victricem, qua præsente nunquam vincuntur, gratiam non adesse.

De his ergo justis, quibus illa magna non adest gratia, licèt parva & imperfecta non desit, verè utrumque dici potest, & potuisse illos Dei mandata servare, tentationique resistere; eosdemque alio sensu non potuisse. Potuerunt enim prorsus, quia non solùm liberi arbitrii virtutem & gratiam habitualem habuerunt; sed etiam gratiam actualem, qua sufficiens dici potest Thomistico sensu, qui gratiæ per se efficacis necessitatem supponit.

At quia absente gratia efficaci nunquam contingit, ut voluntas, sicut oportet, tentationi resistat, constansque est apud Thomistas dogma, gratiam sufficientem, ab efficaci separatam, non complecti omnia ad piè agendum necessaria: ideò usitatissima Scripturis, Patribusque locutione, & Thomistis omnibus probata, hoc sensu dici potest, justos illos, ejusmodi sufficienti gratia instructos, tentationi, cui succubuerunt, resistere non potuisse: quia nimirum ejusmodi potestatem non habuerunt, quæ complecteretur omnia ad agendum necessaria: cùm gratiam efficacem, ad agendum utique necessariam, non habuerint.

Quare cùm dicimus, nos sine gratia per se efficaci non posse agere, id hoc uno sensu intelligimus, eum cui deest gratia illa per se efficax, non habere omnia quæ requiruntur ad benè agendum.

Calumniantur quoque, qui iisdem affingunt propositionem quintam ex damnatis, quòd utique Christus mortuus non sit pro omnibus, sed pro sola prædestinatorum salute, & qui eam traditam asserere non verentur

in

in libro intitulato: *La foi & l'innocence du Clergé de Hollande, defendue contre un libelle diffamatoire &c.* Utpote in quo pag. mihi 204 propositio illa quinta expressè reprobatur, diciturque, *quòd erroneum sit asserere, Jesum Christum duntaxat mortuum esse pro prædestinatorum salute. Quòd summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. propositionem illam justissimè damnarint. Quòd inter hæreticorum errores hic unus sit, dicere scilicet, solos prædestinatos mortis atque meritorum Christi esse participes. Quod indubitatum sit, esse etiam reprobos, qui, sicut Ecclesiæ Romanæ fides nos instruit, pretiosæ istius mortis fructum acquirunt, atque in hac vita gratias, quas illa ipsis promeruit, obtinent. Quòd etiam ipse Judas illorum particeps fuerit.* Et pag. 205. *Quòd error sit hæreticorum, negare quòd Christus pro omnibus mortem subierit. Quòd pro omnibus mortuus fuerit, veritas sit fidei, quam Paulus Apostolus annuntiavit.* Cujus veritatis postquam plures protulit sensus, quibus Sancti Patres, maximè Augustinus & S. Thomas, veritatem illam exponunt, omnes sensus illos recipit ac veneratur, solumque rejicit sensum Semipelagianorum, Molinianorumque, aientium, sic mortuum pro salute æterna omnium, ut *id quod nos facit Christianos* (verba sunt Brevis Memorialis supra memorati) *illa sit certitudo infallibilis, quam quilibet Christianus habet, quòd Jesus Christus mortuus sit pro salute sua, sanguinisque sui pretio gratias sibi promeruerit omnes, quæ necessaria sunt, ut & peccata vitare, ac virtutes exercere, & in bono perseverare, & salutem reipsa consequi possit. Atque in hoc cardine versari fidem & spem omnis Christiani. Inde in homine amorem enasci, quo feratur in Christum.*

Quæ profectò assertio, vel necessitatem gratiæ per se efficacis, à S. Augustino & S. Thoma contra Pelagianos traditam destruit; vel gratiam illam, ipsumque perseverantiæ donum omnibus concessum adstruit. Quæ assertio, si vera esset, omnes Christiani salutem reapse consequerentur, contra fidem; & quilibet Christianus infallibiliter certus esset, quòd magnum illud perseverantiæ donum sine quo nemo salvus fit, quodque proin-

de necessarium est ad salutem reapse consequendam, Christus sibi absolutè efficaciter promeruisset. Quod à Tridentino damnatum est sess. 6. can. 16. hisce verbis: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Denique assertioni illi manifestè contradicit idem Concilium eadem sessione c. 3. cùm dicit, non omnes mortis Christi beneficium percipere, nec omnibus meritum passionis ejus communicari. Cum qua fidei doctrina non consistit Molinianorum opinio, eam mortis Christi pro omnibus generalitatem stabiliens, qua collatæ omnibus asseruntur gratiæ ita sufficientes, ut præter eas gratia per se efficax ad piè vivendum, operandum, perseverandum, & ad salutem de facto consequendam, non requiratur. Ista proinde opinio tutissimis & inconcussis Sanctorum Augustini & Thomæ dogmatibus adversatur.

Nec fundamentum habet in Scriptura; utpote quæ dupliciter de Christi morte loquitur. Uno modo de morte, qua pro hominibus mori voluit, voluntate absoluta & efficaci. Et hoc sensu Scriptura non dicit absolutè *pro omnibus*, sed cum aliqua restrictione, ut cùm Joan. XI. dicit, quòd *Jesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Et Matth. 26. *Hic est Sanguis meus, qui pro multis* (non dicit pro omnibus) *effundetur.* Alio modo de morte, qua pro hominibus mori voluit, voluntate, non absoluta & efficaci, sed voluntate secundùm quid, & inefficaci. Et hoc sensu absque restrictione dicit, pro omnibus mortuum esse Christum, & non tantùm pro multis. Et hinc Sancti Doctores aiunt, quòd Christus pro omnibus mortuus sit quoad sufficientiam pretii pro omnibus oblati, pro natura utique & debito omnibus communi, non quoad efficaciam. Quòd pro omnibus & pro salute omnium mortuus sit voluntate antecedente & inefficaci, non voluntate consequente & efficaci. Quòd pro omnibus eatenus mortuus sit, quatenus per meritum mortis, &

Pas-

Paſſionis ſuæ inſtituit ſacramenta, tanquam remedia ſufficientia contra obſtaculum ſalutis, omnibus expoſita, licèt abſolutè & efficaciter ea non voluerit omnibus applicari, ſed iis ſolis, quibus Pater ea abſolutè applicari voluit. Voluntas quippe abſoluta Chriſti quâ hominis paternæ in omnibus conformis fuit, juxta illud: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.*

Judicet ergo Sanctitas Tua, Beatiſſime Pater, an non inexcuſabilis ſit Moliniana criminatio, qua prætenſos Janſeniſtas, ſeu gratiæ per ſe efficacis defenſores, accuſat, velut aſſertores quintæ propoſitionis ex Janſenianis. Tantò certè inexcuſabilior videtur, quantò verior profeſſio qua articulo quinto inter oblatos Alexandro VII. ſic loquuntur: *Gratuitæ prædeſtinationis doctrina maximam jure meritò apud omnes Scholas Chriſtianas authoritatem habet. Hujus autem doctrinæ hæc ſumma eſt, ab omnibus ejus defenſoribus recepta. Solis electis, ſi ſpectetur non antecedens, ſed abſoluta & efficax Dei voluntas, ſalutem æternam abſoluto Dei decreto deſtinatam eſſe, cum ea gratiarum ac beneficiorum ſerie, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur: quorum beneficiorum utique præcipuum eſt perſeverantiæ donum; quod nemo proprium eſſe prædeſtinatorum inficiatur.*

Hinc ſequitur, Chriſtum, cujus abſoluta voluntas Paternæ ſemper conformis extitit, hoc Decretum nec precibus, nec morte ſua ſimpliciter & abſolutè mutare voluiſſe. Itaque ſolis illis abſolutè & efficaciter promereri voluit ſalutem æternam, & perſeverantiæ donum, quos ſibi à Patre datos, & de manu ſua à nemine raptum iri in Evangelio dicit.

De his capitibus apud omnes gratuitæ prædeſtinationis Defenſores convenit, quibus ea tantùm Chriſti mortis omnibus impenſæ generalitas excluditur, qua collatæ omnibus hominibus aſſeruntur gratiæ ita ſufficientes, ut præterea efficacem ad volendum ſeu operandum non requirant.

Sed hac opinione dempta, nihil obſtat, imò prorſus veritati conſentaneum eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe: tum

quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit: tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum est autem, & hæreticum, dicere, Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse: cùm multis reprobis, omnibusque adeò justificatis, gratias tradita à Thomistis notione sufficientes meruerit, quibus ad salutem pervenire possent; quamvis nemo iis benè utatur, & in acepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur.

Illorum quinque articulorum doctrinam Alexander VII. in Brevi Romæ 29. Julii 1663. dato ad Episcopos Galliæ *sanam* pronuntiavit, uti plures Galliarum Episcopi testati sunt, cumque ipsis Gonetus in Clypeo suo Thomist. to. 1. in Apolog. Thomist. a. 8. n 134. Contenson. to. 5. de grat. l. 8. dissert. 5. §. 1. Seraphinus Piccinardus to. 3. de approb. doctr. S. Th. Aquin. l. 6. a. 2. Cumque Jesuitæ anno 1691. ad Congregationem suam generalem convenissent, atque ex ipsis aliqui ex Belgio apud Rmum. P. Generalem Ord. Prædicat. ardentiùs instarent, ut una cum ipsis Articulorum illorum condemnationem à Sede Apostolica postularent; re cum præcipuis Ordinis sui Theologis communicata, post accuratum examen, hi omnes uno ore Jesuitis respondendum edixerunt; *Nec posse, nec velle Ordinem S. Dominici, ejusque Magistrum Generalem, nisi à doctrina Thomistica discederent, se ipsis unire in petenda quinque articulorum condemnatione; quin imò paratos esse illorum in se defensionem suscipere, si à Jesuitis S. Sedi ad censuram deferrentur.* Steteruntque verbo: delato namque ad S Congregationis S. Officii Tribunal libello patris Jacobi de la Fontaine, Jesuitæ, *Fraus quinque Articulorum* inscripto, eum proscribi obsecrarunt, facileque obtinuerunt. Examinatisque simul cum libello illo quinque articulis, hi currere permissi sunt, ille verò prohibitus die 19. Martii 1692.

Denique tantò inexcusabilior videtur dicta criminatio, quanto certius, quòd illi, quibus affingitur, de Christi pro omnibus morte nihil aliud docent, nisi quod docent S. Augustinus, S. Prosper, S. Fulgentius, S. Gregorius,

rius, S. Remigius, S. Prudentius, S. Thomas, Concilia Valentinum III. Lingonenſe & Tullenſe, Catechiſmus Romanus, Dyoniſius Carthuſianus, Facultates Theologicæ Lovanienſis & Duacenſis, Thomas de Lemos & Thomiſtæ omnes; Card. Toletus, Cardinalis de Laurea, Cardinalis Noriſius, atque ex Jeſuitis Ribera, Pererius, Theodorus Peltanus, Nicolaus Serrarius, Petavius &c. prout exhibitis ipſorum verbis facilè oſtendi poteſt. Iſtis verò omnibus quintam affingere propoſitionem Janſenianam nimiæ certè foret impudentiæ. Videant proinde obtrectatores iſti, an in ipſos non quadret, quod Sanctus Proſper in Præfatione ſuæ Reſponſionis ad Objectiones Vincentianas ait: *Quidam Chriſtianæ ac fraternæ Charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent ladere, ut ſuam ſe evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia; eaque oſtendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico ſuo continentur indiculo, quæ falsò in nos, ad excitandamque invidiam jactitata &c.* Et quænam illi Proſpero Auguſtinianam de gratia per ſe efficaci, gratuitaque prædeſtinatione doctrinam ex *Sedis Apoſtolicæ* (prout ipſe teſtatur ibidem) *authoritate* defendenti affingebant? Illa ipſa quæ prætenſis Janſeniſtis eandem doctrinam defendentibus, Moliniani, quæque Proſper diſſolvit ibidem, & in reſponſ. ad Objectiones Gallorum; eoque modo diſſolvit quo nos ſuprà.

ARTIFICIUM DECIMUM-OCTAVUM.

Ridiculas fabulas, frivolaque & injurioſa alia de iiſdem figmenta, eumdem in finem in vulgus ſpargere.

NOtæ ſunt Belgis paſſim omnibus fabulæ, quas in omnibus pene Belgii civitatibus & locis ſparſerunt de fœno manducando ab ipſis in pœnitentiam impoſito; ſicut & de induſio madido à puellis libidinoſis induendo.

De qua pœnitentia cuidam Beguinæ impositâ, nominatim incusatus fuit Doctor Huyghens. Sed Beguina ista juramento firmavit, falsum id esse, nec se Doctori Huyghens unquam confessam fuisse. Unde scitè Steyartius (licèt istius Doctoris parum amicus) in Conclusionibus Theologico-practicis concluf. 21. eos redarguens, qui pro aliquot peccatis mortalibus non nisi totidem Rosarii decades imponunt, *Hæc*, inquit, *dum ab aliquibus practicantur, & id ipsis à nobis objectatur, nihil habemus responsi, præter fabulas, quas vicissim objiciunt, de fœno, indusio madido, & si quid aliud fingunt ipsi, vel ab aliis fictum accipiunt.*

Nec minùs in Belgio nota criminatio, qua vociferati sunt, pœnitentiam publicam pro occulto crimine impositam à R. D. Curato de Iska. Verùm ab impostura ista publicè justificatus fuit per sententiam Officialis Mechlinienſis.

De Patre etiam Desirant, Illustrissimi Domini à Præcipiano, Archiepiscopi Mechlinienſis (cujus os & totum consilium Jesuitas esse, notorium est) ad S. Sedem Delegato, Doctor Hennebellus in Memoriali Eminentissimis DD. Cardinalibus anno 1696. exhibito, inter alia compulsus fuit hunc in modum conqueri, *Eminentissimi Patres, Coercendus præ ceteris videtur P. Bernardus Desirant, qui EE. VV. obtrudere audet farraginem accusationum frivolarum, quarum præcipuæ, si juxta normam in Brevi Apostolico præscriptam examinentur, mirabuntur EE. VV. insignem accusatoris eas deferentis temeritatem. Sanè inter accusationes illas primum facilè locum obtinet, quæ contra Pastorem Van Trappe, & Vicepastorem de la Tombe instituitur nomine Magistratus Aldenardensis; de qua quid censendum sit, docet epistola hic jmcta Episcopi Gandavensis, nuper defuncti, quam, facta diligenti informatione, ad tuendam Presbyterorum illorum innocentiam contra iniquas Magistratus Aldenardensis accusationes, Concilio Regio Bruxellas misit.*

Scribet etiam Episcopus Tornacensis, cùm jusserint EE. VV. quid de querela Magistratus Cortracensis censuerit ejus Prædecessor. . . . Scribet quoque Regium Consilium,

quid

quid de præfata informatione ſentiat. Cùm enim informationem ſuam primùm feciſſet Magiſtratus, præfato Conſilio delata fuit, eâque viſa ſummopere ſtupuerunt Miniſtri Regii, & longè magis perculſi fuerunt poſtea, cùm viſa Judicis Eccleſiaſtici, ad quem cauſam illam remiſerant, relatione, didicerunt, Magiſtratus nomine inſcriptam, in omnibus & ſingulis articulis falſiſſimam & calumnioſam eſſe.

Sic & innocentiam ſuam coram legitimo judice demonſtrare parati ſunt Begginaſii Lovanienſis Presbyteri, ut primùm, contra quorumdam accuſationes, eam ſervato juris ordine tueri illis concedetur.

Horribilis planè eſt calumnia, quæ de P. Willemans, & aliis quibuſdam Oratorii presbyteris hìc profertur, de qua EE. VV. informare poterit Epiſcopus Brugenſis.

Pudet loqui de iis quæ Doctori Huyghens, quæ Matri Marollarum, quæ aliis pluribus perperam opponuntur, & quæ jam pridem convulſa fuerunt & exploſa.

Cùm verò, Eminentiſſimi Patres, præceps hæc fratres ſuos accuſandi licentia ſine pacis ruina tolerari nequeat, nec aliter exterminari ea poſſit, niſi fideliter *obſerventur quæ in Brevi ad Epiſcopos Belgii miſſo tam ſapienter decrevit Sanctitas ſua, ad EE. VV. recurrit Orator, humillimè ſupplicans, Breve Apoſtolicum ad Epiſcopos Belgii miſſum, executioni mandari &c. Supplicat inſuper, ut ad reprimendam Accuſatorum ejuſmodi temeritatem, præcipuas aliquas, inter oblatas à P. Deſirant, accuſationes, juxta normam in Brevi illo præſcriptam, id eſt ſervato juris ordine, ab Ordinariis locorum. . . . examinari jubeant EE. VV. ut tandem eluceſcat, an, poſt clamores tam graves, quibus contra prætenſos Janſeniſtas, ac Rigoriſtas, tot jam annis EE. VV. aures obtuſæ ſunt, una ſaltem reperiatur, quæ ſolido fundamento nitatur. Et Deus &c.*

Poſt hæc nihilominus Joannes de Palazol, Jeſuita Hiſpanus, auſus fuit Memoriale ſuum juſſu & nomine Tyrſi Gonzales, Præpoſiti ſui Generalis, Catholico Regi Carolo II. præſentatum, tamque à Romana, quàm ab Hiſpanica Inquiſitione proſcriptum, innumeris ca-

lumniis & impostoris infarcire, quarum insulsitatem, falsitatem & injustitiam Author Refutationis infamis istius Memorialis universo Orbi manifestam fecit.

Noviſſimè tandem Baldassar Francolinus, Jesuita Romanus (ut alios multos prætream) in libro Romanis Typis vulgato anno 1705. quem inscripsit, *Clericus Romanus &c*, veritus non fuit iisdem prætensè Jansenistis & Rigoristis imponere;

1. Quòd putent præsentem Ecclesiam esse nimis benignam in pœnitentes.

2. Quòd doceant ab Tridentino requiri actum perfectæ contritionis, in Sacramento pœnitentiæ.

3. Quòd prævios fletus, contritionem perfectam, longam pœnitentiam, ad quam adhortantur Scriptura & Patres, tanquam necessariam Sacramento prædicent.

4. Quòd consuetudinarios, aut relapsos, etsi veri dent signa doloris, & propositi, plerosque, aut etiam omnes rejiciant, & post menses & annos redire jubeant.

5. Quòd asserant Confessarios fortes esse debere in imponendis gravibus pœnitentiis, etsi pœnitens imbecillis pœnam deprecetur.

6. Quòd intendant Confessarios inducere ad servandos antiquos Canones in pœnitentiis imponendis.

7. Quòd sint tristissima capita, hostes humani generis, odia dilatent, beneficia divina restringant, sacramenta pro libito tanquam domini denegent.

8. Quòd sentiant sacri sigilli legem à Christo non esse profectam.

9. Quòd satis fideles non sint custodes secreti sibi commissi.

10. Quòd usque adeo pœnitentes à sacramento pœnitentiæ absterreant, ut in aliquibus Parochiis, per aliquot annos, ab hoc sacramento, Paroche approbante, nunquam susceperint.

11. Quòd sacramenta paulatim tollant, sublaturi etiam sacrificia.

12. Quòd finis eorum sit fieri hæreticos. Aliaque ejus-

ejuſmodi inſana multa, quæ certè manifeſtè demonſtrant effrænem ipſius (utinam & non valde multorum aliorum Sociorum!) maledicendi licentiam, quam condignis ferulis caſtigavit *Clericus Belga*, anno 1706. Leodii editus. Ad 1. Francolinum provocans, ut vel unum è Lovanienſibus, qui id dicat, teſtem idoneum proferat. Si non potuerit, calumniæ ſe reum agnoſcat.

Ad 2. reſpondet, nunquam id docuiſſe Lovanienſes Theologos, nedum ex Tridentino intuliſſe, aut inferri poſſe putaſſe. Tametſi enim requirant cum ſacramento dilectionem Dei ſuper omnia affectu; hæc plurimùm differt à dilectione, ſeu potiùs charitate, ex qua naſcitur contritio perfecta.

Ad 3. ſic reſpondet: ſacramento ſufficere vel ſolam pœnitentiam interiorem eamque etiam repentinam, prædicavimus ſemper. Sed ſimul prædicamus, ad pœnitentiam iſtam interiorem, quæ cum Sacramento requiritur, & ſufficit (ſaltem poſt grandia peccata, vel conſuetudine firmata) veniri non ſolere facilè, nec repente. Calumniam inde fabricavit Francolinus.

Ad 4. Si veri, inquit, dent ſigna doloris, rejicimus nunquam. Si non dent; perſuademus ut patiantur ſibi abſolutionem differri, dum dederint. Nec eos redire jubemus poſt menſes & annos, ſed prima opportunitate, mox ut ea ſigna dederint, abſolvendos.

Ad 5. Vel unum è nobis, qui id aſſerat, proferat Francolinus. Et omnes eum cum Francolino libenter nimii rigoris condemnabimus. Sin, dum accuſat omnes, ne unum quidem proferre poſſit, ut poterit nunquam, ipſe ſeſe non poteſt non calumniæ condemnare.

Ad 6. Accuſatio eſt injuriæ plena; dum palàm conſtat, nos importunam ejuſmodi ſeveritatem ſemper damnaſſe, ac deteſtatos fuiſſe.

Ad 7. Dum, inquit, abſolutionem pauliſper iis, qui diſpoſiti non ſunt, differimus, odio Dei ipſos liberamus, & dignos reddimus amicitiæ divinæ beneficio. Triſtia proinde capita non ſumus, odia non dilatamus,

nec divina reſtringimus beneficia, ſed ad ea percipienda peccatores diſponimus. Neque ſacramenta pro libito denegamus, tanquam Domini, ſed, tanquam œconomi, ea diſpenſamus pro Domini noſtri voluntate, & pœnitentium diſpoſitione, quam nos juſſit ex operibus cognoſcere.

At tu, Francoline, vide an in te non quadrent, quæ in nos jactas dicteria, quibus nos *triſtiſſima* vocas capita &c. *Triſtiſſimum* enimverò *caput* eſt, & *hoſtis generis humani*; *odia dilatat*, & *beneficia* ipſa *divina reſtringit*; *ſacramenta* denique *pro libito*, non tanquam œconomus, ſed *tanquam Dominus* adminiſtrat, qui, ut doces, adminiſtrat ea paſſim omnibus, qui ſeſe diſpoſitos eſſe affirmant, etſi non adferant opera, quibus voluntas Domini innoteſcat, qui dixit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Sic enim & peccatores in odio Dei fovet, & à Divinæ amicitiæ arcet beneficio, & pro voluntate ſua, non pro voluntate Domini, quæ nondum illi innotuit, ſacramentum diſpenſat.

Ad 8. Doctrinam iſtam deteſtamur omnes, ut palam conſtat ex ſcriptis noſtrorum, quibus ſcribendi de ſacro ſigillo occaſio oblata eſt. Quod cùm ignorare non poſſit, aut ſaltem non debeat Francolinus; profectò nec poteſt, nec debet à calumnia excuſari.

Ad 9. Quantò gravius crimen eſt, *non ſatis fidelem eſſe cuſtodem ſecreti ſibi* in confeſſione *commiſſi*, tantò gravior eſt hæc Francolini in nos calumnia, nullo prorſus fundamento aut probatione ſuffulta.

Ad 10. Calumnia hæc in ipſa urbe jam dudum confutata eſt per Hennebellum. Res ita ſe habet. Sparſerat illic apud Viros Eminentiſſimos, alioſque, Deſirantius, plurimos in Belgio fideles à ſacramento pœnitentiæ abſterreri, aut revocari, per nimium quorumdam in eo adminiſtrando rigorem. Ad Hennebellum pervenit rumor calumniæ, quam ut confutaret, hanc ad Illuſtriſſimum D. S. Officii Aſſeſſorem ſcripſit epiſtolam 9. Septembris 1696.

» Illuſtriſſime Domine, Patrone colendiſſime.

» Spargi audio à quibuſdam, quòd per praxim no-

» ſtram

" ſtram avertantur homines à ſacramentis pœnitentiæ
" & Euchariſtiæ. Non eſt arduum, Illuſtriſſime Do-
" mine, rei hujus veritatem aſſequi. Tantùm mande-
" tur Patri Deſirant, ut nominet quinque Parochos,
" qui præ ceteris omnibus de rigore nimio in Diœceſi
" Mechlinienſi notantur.

" Tres ſunt Diœceſis urbes principales, Mechlinia
" nempe, Bruxellæ, Lovanium. E ſingulis nominet
" unum. Alios duos nominet e reliquis Pagis vel urbi-
" bus ejuſdem. Quinque illi à P. Deſirant ita nomina-
" ti, jubeantur Parochiarum ſuarum ſtatum exhibere
" Illuſtriſſimo D. Internuntio, ac præcipuè exponere,
" multiſne, an paucis, pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſa-
" cramenta in Parochiis ipſorum adminiſtrentur. Poſt-
" quam id fecerint, non deerunt D. Internuntio viæ
" opportunæ, quibus indagare poſſit, an Parochorum
" relationes veritate nitantur.

" Dicit P. Deſirant, praxi noſtrâ averti homines à
" ſacramentis pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Ego dico,
" Presbyteros, qui praxim noſtram ſequuntur, pœni-
" tentibus obrui, non tantùm in Feſtis majoribus, ſed
" ſingulis penè diebus, & in eorum Parochiis plures
" communicare ſingulis Dominicis, quàm in aliis, ubi
" praxis illa non ſervatur, communicent in maximis
" ſolemnitatibus. Uter noſtrûm Sedem Apoſtolicam
" fallat, docebit informatio à D. Internuntio mittenda,
" poſtquam rem totam maturè examinaverit.

" Plurimum Illuſtriſſimæ D. V. debebo, ſi, ut quan-
" tociùs informatio illa petatur ſuggerere dignetur E-
" minentiſſimis Dominis &c.

Epiſtola hæc, tum R^mis. Qualificatoribus, tum Eminentiſſimis Cardinalibus prælecta fuit: ſed oblatam ab Hennebello conditionem acceptare nunquam auſus eſt Deſirantius, ſuo ipſe ſe ſilentio coram urbe & orbe de calumnia condemnans.

Debuiſſet Deſirantii exemplo cautior eſſe Francolinus, nec ſopitos calumniæ iſtius cineres iterum ſuſcitare. Verùm cùm nec ſic ſapere voluerit, eadem ipſum conditione provocamus, qua Hennebellus Deſirantium;

pa-

parati probare, non tantùm in Parochiis quinque, sed in omnibus passim, quibus præsunt qui Rigorismi nomine traducuntur; multò diligentiùs frequentari pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta, quàm in Parochiis ceterorum, qui minimè de Rigorismo suspecti sunt. Accipiat, si ausit, conditionem Francolinus, quam accipere ausus non fuit Desirantius; sed & severiorem audaciæ suæ castigationem expectet.

Ad 11. Meritò dicit hoc maledicentiæ fastigium esse, non alio fulmine quàm hoc Apostolico deprimendum: *Neque maledici. . . . . regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6.

Ad 12. Cum eodem Clerico Belga supplex rogo, ut effrænem istam maledicendi licentiam compescat tandem Sedes Apostolica. Ad hanc Francolinum provocamus, ut coram ea vel criminationes legitimè probet; vel decretas calumniatoribus pœnas luat: parati vicissim carceres; & quævis supplicia hæreticis debita subire, si tantorum scelerum rei deprehendamur. Hactenus fortiter & sapienter Clericus Belga.

ARTIFICIUM DECIMUM-NONUM.

Omnes sibi contradicentes insimulare velut reos excessuum defectuumque omnium, quorum aliquis, vel aliqui cuipiam ex ipsis forsitan exciderint.

HOc quàm sit iniquum, quámque divinis & Evangelicis legibus adversum, res ipsa clamat: Quid enim iniquius, quid absurdius (ait piissimus Contenson *to. 3. disser. 6 c. 2.*) quàm omnes adversarios tamquam unum hominem spectare, & unius errores omnibus indiscriminatim tribuere? Si justum non est matri dedecus accersere ex nonnullorum excessibus filiorum, nec totum corpus infectum prædicare aliquorum contagione membrorum, ideóque jure hæretici culpantur, quòd privatorum Catholicorum excessus toti Romanæ tribuunt Ecclesiæ; quantò minùs justum est iis omnibus qui Jesuiticis novitatibus vel laxitatibus adversantur,

ex-

excessus omnes tribuere, in quos ex ipsis quispiam fortassis incurrerit; cùm nec isti omnes unum corpus propriè constituant, sive unam communitatem, nec omnes probent omnes aliorum opiniones, multò minùs excessus, imò eos ceteri improbent & redarguant?

Atque hinc perspicua est iniquitas P. Roberti Stephani in præfatione Conclusionum Theologicarum suarum in Auctorem laudati ibi speciminis ferociter sic insurgentis. " Augustinianos illos vocat, qui à proprio suo „ abductum sensu Augustinum cum Ecclesia commit- „ tunt. . . . qui asserunt circa condemnationem Au- „ gustini Jansenii opus esse collatione regulari. Qui ex „ Theologia discipulorum (ut aiunt) S. Augustini con- „ cludunt. . . . pleraque peccata, de quibus ait Apo- „ stolus, quòd *qui talia agunt, Regnum Dei non possi-* „ *dent*, mortalia dici posse, quoniam horum facinorum „ rei, aut amiserunt omnem charitatis sensum, aut „ exiguum retinent, ita ut ipsis omninò dominetur cu- „ piditas. . . . . adeóque qui planè repugnantes vel in- „ viti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis „ metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angu- „ stiis abrepti acri dolore tangerentur ob commissum „ peccatum, tam certò affirmari non potest excidisse „ illos gratiâ, aut incurrisse pœnam damnationis: quam- „ quam enim hoc momento dominata sit cupiditas bre- „ vis & temporaria, potuit esse ejusmodi dominatio, quâ „ *voluntatis intima dispositio non mutatur*. Et quod hoc „ temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina „ S. Augustini. Qui asserunt solam Thomistarum ti- „ miditatem admittere libertatem indifferentiæ &c. Ista omnia Robertus Stephani indefinitè & absque distinctione vel restrictione, atque adeò universim tribuit iis quos Augustinianos, seu Augustini discipulos memorati speciminis Auctor vocat. Qui cùm tales non vocet nisi gratiæ per se efficacis, gratuitæque prædestinationis defensores; omnibus ergo istis omnes excessus illos tribuere non pudet Patrem Stephani. Atqui hoc manifestè est iniquum, & tantò iniquius, quantò certius, quòd tam Auctor ille, quàm illi omnes quos Augustinia-

nianos vocat (si fortè unum vel alterum excipias) ista omnia usque adeò improbant, ut vel ipse Arnaldus, quem Jansenianorum Coryphæum & Caput Jesuitæ vocant; primus in epist. ad M. Ph. le Feron Doctorem Sorbonicum scripta 8. Novembris 1687. errorem proximè descriptum Auctoris libri, cui titulus. *La Morale de saint Augustin*, falsissimum esse ex Scriptura & Augustino demonstraverit, & ideò Doctor ille Sorbonicus librum illum approbare noluerit, nisi sub sponsione quâ Auctor pollicitus fuerat errorem illum à se correctum iri: quod & revera factum est. Verùm folium adjectitium emendationem continens, in plerisque libri exemplaribus, incuria Typographi, omissum est. Alia ejusdem Artificii exempla passim occurrunt in libris & libellis Jesuitarum.

ARTIFICIUM VIGESIMUM.

Moralis Christiana defensores pacis perturbatores vocare.

EXemplum in seipsis Curiones exhibent Parisienses in secundo scripto suo. Cùm enim adversùs Casuistarum Apologiam, velut corruptarum opinionum Moralium cloacam, zelum acuissent suum, illicò Socii adversus ipsos certatim insurgentes vociferati sunt, jactum ab ipsis schismatis ac divisionis inter ipsos & Regulares lapidem. Ethicen suam à solis posse seditiosis atque hæreticis reprehendi. Pacem se velle cum his qui oderunt pacem. Curiones illos, non Pastores esse, sed *Lupos rapaces* &c. ut suprà.

Quid ad hæc dignissimi illi Curiones? Non minori zelo quàm vigore reposuerunt, nimis infrunitam esse Jesuiticam audaciam impunitate succollatam. Ipsosmet esse, qui pacem Ecclesiæ turbabant pestilentibus doctrinis suis, Episcoporum judicio Christi doctrinam subvertentibus, veris Ecclesiæ filiis notum esse discrimen inter veram, quam mundus dare non potest, falsamque, quam mundus dat pacem. Veræ pacis amatores sectatoresque non esse, nisi qui veritatis, juxta Spiritus Sancti

Sancti Oraculum: *Veritas & pax oſculatæ ſunt.* Ea propter pacis dilectioni Dominus per Prophetam jungi voluit veritatis dilectionem: *Veritatem & pacem diligite.* Veram proinde pacem non eſſe in defenſione mendacii, ſed in illius coargutione. Veræ pacis charitatiſque deſtructores eſſe, qui ſub benignitatis ſpecie falſas docent tuenturque opiniones, quibus peccata excuſantur, peccatoreſque ſuis in vitiis tranquillè quieſcere permittuntur. Hinc ſolemnis illa vox Patrum: *Hæc charitas deſtruit charitatem.* Audiantur ipſi nativo idiomate ſe ipſos exponentes, quod latinè ſic ſonat.

" Quid non audet impudentia impunitate ſuccollata! " Quantos progreſſus temeritas facit, dum nullus agger " ejus impetum cohibet! Hi caſuiſtæ poſt turbatam " Eccleſiæ pacem horrendis opinationibus ſuis, quæ " cum Chriſti doctrinâ patenter pugnant, ut illuſtriſſimi Præſules noſtri inquiunt, nunc tanquam pacis Ec" cleſiæ turbatores inſimulant eos, qui doctrinam Chri" ſti vindicare nituntur. Poſt diſſeminatas ubique non " ſine ingenti ſcandalo profligatiſſimas ſententias, hos " velut quietis publicæ perturbatores depingunt, qui " tam tetris molitionibus obſequi recuſant, quique " pati nequeunt, ut hi *novæ Legis Phariſæi* (ſic enim ſe " ipſi appellarunt) humanas traditiones ſuas Divinis " conculcatis ſtabiliant.

" Verùm nihil agunt. Noſtrum erga pacem ſtudium " abunde comprobavimus, tunc demum locuti dum " ſilere nefas fuit. Hac pace abuſi ſunt ad invehendas " exitioſas opiniones ſuas, quibus magis magiſque fir" mandis novas inducias lubenter impetrarent. At veri " Eccleſiæ filii norunt ſecernere veram pacem, quam " ſolus Salvator dare poteſt, & quam mundus non no" vit, à falſa pace quam mundus dare poteſt, ſed quam " Salvator deteſtatur. Sciunt veram pacem eſſe illam, " quæ ita veritatem conſervat illibatam, ut in mentes " humanas pacatum dominium exerceat; falſam verò " pacem hanc eſſe, quæ ſic errorem ſervat, ut homi" num mentes ſecurus poſſideat. Sciunt veram pacem " nec poſſe ſeparari à veritate, nec coram Deo inter-

" rumpi

" rumpi disceptationibus, quæ hominum judicio vi-
" dentur illam frangere, quando Dei voluntate susci-
" pitur defensio veritatis injustè lacessitæ : immò id
" quod tunc existimaretur pax coram hominibus, fore
" bellum apud Deum. Norunt pariter hujusmodi cor-
" reptionibus adeo non lædi charitatem, ut potiùs læ-
" deretur omittendo ; quia falsa charitas illa est, quæ
" improbos vitiis suis permittit, cùm è contrario vera
" charitas funestam hanc quietem turbet, atque ita hæc
" lenitatis species adeo non facit pro charitate Divina,
" ut potiùs illam indulgentiâ criminosâ destruat, juxta
" illud SS. Patrum effatum: *Hæc charitas destruit cha-*
" *ritatem.*

" Et certè eam ob rem Scripturâ teste Christus venit
" mittere non tantùm pacem, sed etiam *gladium &*
" *divisionem.* Hæc enim singula suo quæque tempore
" necessaria sunt illustrandæ veritati, quo vergere de-
" bet ultimus fidelium scopus, cùm pax & bellum sint
" quædam ad eundem finem adminicula, eatenus legi-
" tima quatenus ad veritatis progressum conferunt.
" Quapropter Scriptura dicit esse *tempus belli & tem-*
" *pus pacis*; licèt dici non possit esse tempus veritatis &
" tempus mendacii. Et quidem SS. Patres docent sa-
" tius esse ut veniant scandala, quàm ut veritas dese-
" ratur.

" Indubitatum est igitur eos qui hunc charitatis &
" pacis prætextum perpetuò obtrudunt ut non scriba-
" tur adversus hostes veritatis, hoc ipso testari se falsæ
" pacis amantes esse, veritatis autem ac veræ pacis ad-
" versarios. Et verò hoc præclaro pacis obtentu im-
" manitatem suam velare voluerunt sævissimi Ecclesiæ
" hostes : eodemque falsæ pacis amici in opprimendas
" religionis veritates viroque Sanctos earum vindices
" persequendos turpiter consenserunt.

" Hoc pacto S. Athanasius, S. Hilarius, aliique E-
" piscopi, dum viverent sanctitate insignes, lacerati
" fuerunt quasi rebelles, factiosi, pertinaces, & pacis
" ac concordiæ hostes. Hoc pacto ab officiis depulsi,
" proscripti & derelicti fuêre ab omnibus ferè fidelibus,

" qui

" qui eorum pro veritate zelum reputabant pacis læ-
" ſionem. Hoc pacto ſanctus & celeber monachus Ste-
" phanus accuſatus fuit tanquam perturbator tranquil-
" litatis Eccleſiæ ab illis trecentis ac triginta Epiſcopis,
" qui imagines è templis ſublatas volebant : quod qui-
" dem caput non erat unum ex maximè neceſſariis ad
" ſalutem : quia tamen ne minùs neceſſarias quidem
" veritates deſerere oportet pacis obtentu, in faciem
" illis reſtitit vir ſanctus, ideoque tandem condem-
" natus fuit, ut videre eſt in Annalibus Baronii ad
" ann. 754.

" Eâdem ratione Sancti Patriarchæ & Prophetæ in-
" ſimulati fuerunt, & hos inter Elias, quaſi *conturba-*
" *ret Iſraël*, immò Apoſtoli & Chriſtus ipſe damnati ſeu
" auctores turbarum & diſſenſionum, quia ſalutare bel-
" lum indicebant vitiis & funeſtis erroribus phariſæo-
" rum hypocritarum, necnon tumidorum ſynagogæ
" ſacerdotum. Denique id ipſum Scriptura nobis ge-
" neratim ob oculos ponit, dum deſcribens falſos do-
" ctores, qui res diabolicas, Divinas dixerunt, ut ho-
" die circa ſuam Ethicam faciunt Caſuiſtæ, addit Sap.
" 14. eos *tot & tam magna mala pacem appellare. Et*
" *hæc fuit*, inquit, *vitæ humanæ deceptio : quoniam af-*
" *fectui, aut regibus deſervientes homines, incommuni-*
" *cabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt. Et non*
" *ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed & in ma-*
" *gno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala*
" *pacem appellant.*

" Veritas ergo capitalis eſt noſtræ religionis, tempus
" eſſe, quo turbare oporteat erroris poſſeſſionem quam
" iniqui pacem appellant; neque ullus ſupereſt dubitan-
" di locus poſt tot teſtimonia id confirmantia. Porrò ſi
" ulla unquam fuit occaſio id faciendi, ſi ulla neceſſitas
" urgens, videamus an non ſit hodierna.

" Intuemur potentiſſimam numeroſiſſimamque Ec-
" cleſiæ ſocietatem, quæ omnium ferè Magnatum con-
" ſcientias dirigit, pertinaciſſimè conſpirare ad ſuſtinen-
" das horrendas opinationes, quibus profligatiores nun-
" quam luxit Eccleſia.

" Cer-

„ Cernimus societatis membra neglectis amicis monitionibus, & publicis & privatis, mordicùs approbare vindictam, avaritiam, voluptatem, falsum honorem, amorem sui ipsius, omnesque naturæ corruptæ passiones, profanationem sacramentorum, sordidam depressionem Ecclesiæ ministeriorum & contemptum Antiquorum Patrum, subrogatis eorum loco viris supinâ insciti& & cœcitate laborantibus. Et tantum depravationis torrentem Ecclesiæ minitantem intuentes, non audebimus, ne pacem turbemus, ad ejus Rectores clamare: *Salvate nos, perimus?*

„ Pro minimis Religionis articulis ad mortem usque decertatum est: nos autem præcipua capita summè necessaria, summi ad salutem momenti, turpiter deseremus, quia visum est non trecentis Episcopis, immò nec uni quidem Episcopo aut supremo Pontifici, sed tantùm Societati Jesuitarum illa subruere?

ARTIFICIUM VIGESIMUM-PRIMUM.

Adversariorum seu ipsos impugnantium sententias sub odiosa repræsentare larva, non quales sunt, sed quales esse confingunt, ut incautis hominibus larvâ illâ territis ipsos odiosos reddant.

ISto Artificio larvatus Auctor Franciscus Simonis in libro, cui titulum fecit: *Status, origo, scopus &c.* Lovanienſibus Theologis odiosissima affingit dogmata, nunquam ab ipsis tradita, quæ deinde velut statuas ad scopum rectas oppugnat, prosternitque. Atque hoc pacto de Theologis illis, velut de prostratis hostibus, imò velut de damnatis hæreticis, triumphum sibi videtur agere.

Simili quoque sub larva doctrinam libri *De frequenti Communione* Socii Romæ repræsentarunt, quasi Auctor illius modernam Ecclesiæ praxim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, velut abusum condemnaret, priscorum de pœnitentia Canonum disciplinam restaurare vellet, nullos peccatores, pœnitentiâ non peractâ absol-

abſolvi poſſe contenderet, ſatisfactionem abſoluta neceſſitate abſolutioni jure divino præmittendam aſſereret. Verùm criminationes iſtas Joannes Bourgeois Doctor Sorbonicus, verbis Auctoris in medium prolatis, meras eſſe calumnias demonſtravit, & Cardinalis de Lugo (tametſi Jeſuita) iſta Arnaldo calumnioſè imponi, ſolâque libri ipſius lectione refelli, Concellitis ſuis, eodem D. Bourgeois teſte, declaravit.

Simili rurſum ſub larva Huyghenii Methodum (in qua nihil reprehenſibile Romana reperit Inquiſitio) Hiſpanis Inquiſitoribus repræſentarunt, velut continentem propoſitiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. proſcriptas, quarum ne unam quidem vel per umbram continet.

Simili denique ſub larva Richardus Arſdekin in damnata ſua Theologia tripartita, ſicut & Sabranus, ſeu *Bajanarum* ſtropharum artifex, ſcriptorum, ſibi ſuiſque adverſantium ſententias innocentiſſimas frequenter exhibent ut Lutheranas, Bajanas, Janſenianas, novas, impracticabiles, rigorem intolerabilem continentes &c. Et quid Jeſuitis uſitatius, quàm iiſdem adverſariis ſuis damnatos imponere errores, quos diſertè refellunt? Id videre eſt in damnato Memoriali nomine & juſſu Generalis Jeſuitarum anno 1698. Catholico Regi præſentato, ſicut & in libro pariter damnato Tellerii cui titulus, *La défenſe des nouveaux Chrétiens*; necnon in damnato Problemate Eccleſiaſtico aliiſque ejuſmodi multis.

Manifeſtum proinde eſt, quòd in Antagoniſtis ſuis errores Jeſuitæ non inveniunt, niſi quia invenire volunt, nec ipſos novitatis accuſant, niſi ut ſuas ipſi novitates abſque contradictione ſtabiliant, nec denique Rigoriſmum & Rigoriſtas inclamant, niſi ut ſuum ipſi laxiſmum ſeu corruptam morum doctrinam impunè ſuſtineant.

Dominari utique volunt in Eccleſiâ, omneſque ſibi contradicentes ſub ſcabello pedum ſuorum ponere, ut non audeant oculos in altum levare. Quod ut obtineant, nullum non lapidem movent, ut ab officiis beneficiiſque repellantur, juſtitiæ januæ ipſis occludantur, æterna odia

odia Chriſtiana in Republica foveantur, nec finem accipiant ſuſcitatæ ab ipſis turbæ, donec vel Orbis Magiſtri evadant, vel ab eo confundantur, qui deponit potentes de ſede, & de ſua virtute gloriantes humiliat.

ARTIFICIUM VIGESIMUM-SECUNDUM.

Inverecundè aſſerere, ſuas ſuorumque opiniones à ſolis hæreticis reprehendi.

ISTud eſt de quo jurè quiritantur Pariſienſes Rhotomagenſeſque Parochi, quodque iſti in Epiſtola ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum Rhotomagenſem data 3. Maii 1658 egregiè refutant hiſce verbis:

„ Hoc eſt Pſeudo-Jeſuitarum pertinax ſtudium, hæc „ ſumma eorum ambitio, audacia & præſumptio, quòd „ in tantum dominari velint, aut potiùs tantam in „ omnium animos tyrannidem exercere, ut quilibet „ teneatur ipſorum ſenſa ſequi, omneſque eorum opi- „ niones indiſcriminatim amplecti, niſi ubique haberi „ & diffamari velit tanquam impius & apoſtata. Id de- „ nuò tentare non dubitarunt in refutatione Facti Cu- „ rionum Pariſienſium, ubi diſertis verbis aiunt pag. 5. „ *ſuis decretis nullos niſi hæreticos adverſari.* Quibus ver- „ bis & Gallicanæ Societatis ingenium nativo colore de- „ pingunt, & manifeſtant, quo ſpiritu moveantur. „ Poſt emiſſam adeo intempeſtivè Apologiam ſuſce- „ ptumque ejus patrocinium, ſpes erat fore, ut incuſ- „ ſo eapropter pudore humiliarentur, &, ob ſiniſtrum „ temerariæ molitionis ſucceſſum, eorum faſtus & „ arrogantia frangeretur. Sed enorme iſtud convi- „ cium, quod vel depreſſi ingerunt tot hominibus di- „ gnitate, ſcientiâ & pietate conſpicuis, qui eorum „ errores impugnant, ad oculum oſtendit eos in malo „ inflexibiles eſſe; & obfirmato ſemel ad errorem ani- „ mo nullâ ratione ad veritatem reduci poſſe.

„ Illa ſuperbia quæ ipſi perſuadet, ipſos ſolos eſſe „ ſcientiæ oracula, ſic illos faſcinat, ut nullum in ſe „ errorem cadere arbitrentur, ideóque grande piacu-

„ lum

» lum esse suis placitis adversari. Hinc tam procaciter
» statuunt, suis decretis nullos nisi hæreticos refragari,
» ita ut si hujusmodi doctoribus orbis fidem habere opor-
» teat, soli demum hæretici damnaverint doctrinam
» diabolicam, quæ execranda illa parricidia docet, de
» quibus antea diximus, quæ principum legitimorum
» ditiones exponit occupationi & injustæ usurpationi
» tyrannorum, quæ tamen doctrina à viginti ferè Je-
» suitis propugnata fuit, iisque in Societate eruditissi-
» mis ac celeberrimis. Soli pariter hæretici effecerint
» ut libri Marianæ & Santarelli, nec non *Spongia* Floidi
» carnificis manu comburerentur. Soli hæretici impu-
» gnaverint articulos Molinæ de gratiâ, quorum defen-
» sionem corpus Societatis suscepit in famosâ Congre-
» gatione de Auxiliis habitâ sub Clemente VIII. &
» Paulo V. Pontificibus Maximis. Soli hæretici insur-
» rexerint in prodeuntes ex Angliâ libros sub nomine
» Smithii, Danielis à Jesu, & Loëmelii, Episcopis, hie-
» rarchiæ mirum quantum exitiosos. Soli hæretici re-
» jecerint sententias P. Baunii contentas in ejus *Summâ*
» *peccatorum*, *Praxi juris canonici*, *& Theologiâ morali*.
» Soli hæretici contradixerint *Aphorismis Emmanuelis*
» *Sa*, doctrinæ Lessii de gratiâ & prædestinatione, *sum-*
» *mæ Theologicæ Garassi*, & ejusdem *Doctrinæ Curiosæ*,
» necnon *Bonartii Amphitheatro honoris*, libellis seditio-
» sis quorum hic est titulus: *Admonitio ad Regem Lu-*
» *dovicum XIII.* & *Mysteria politica*, libro P. Rabardæi
» contra Optatum Gallum, Operibus Pozæ, *Hierarchiæ*
» Cellotii, scriptis Sterelli, & Erardi Billii, *Jansenismo*
» *profligato Brisacerii*, Libello famoso per P. des Desers
» evulgato sub nomine *D. Pacifici Abrincensis*, & *De-*
» *fensioni Juris Episcopalis* à Bagotio in lucem editæ. Soli
» jam hæretici refragantur fœdis decisionibus morali-
» bus Molinæ, Sanchii, Gregorii Valentiæ, Tanneri,
» Azorii, Lessii, Emmanuelis Sa, Laimanii, Fagundii,
» Filiutii, Hurtardi, Castro-palai, Reginaldi, Sancii,
» Amici, Baunii, Escobarii, Mascarenæ, & alio-
» rum è Societate Casuistarum. Denique soli hære-
» tici adversantur principiis *Apologiæ Casuistarum*,

" cujus patrocinium Jeſuitæ palam in ſe recepe-
" runt.

" Atqui conſtat Regium Conſilium, ſupremos Sena-
" tus, comitia generalia Cleri Gallicani, Academias
" Facultateſque Theologiæ celeberrimas, & ipſammet
" Inquiſitionem Romanam, tametſi Jeſuitarum in Ur-
" be auctoritatem nemo neſciat, ferè omnes hoſce li-
" bros & ſententias damnaſſe (addo quod longè majus
eſt, ſummos Pontifices, Alexandrum VII. Innocen-
tium XI. & Alexandrum VIII. perplures ex iis ſenten-
tiis confixiſſe.)

" Et conſequenter Pſeudo-Jeſuitarum judicio Con-
" ſilium Regium, ſupremæ Curiæ, Epiſcopi Gallicani,
" Doctores Facultatis Pariſienſis, Lovanienſis ac Dua-
" cenſis, Inquiſitio Romana (*memoratique ſummi Pon-
" tifices*) hæreſeos notam ſubire debent, cùm omnes
" illas novitates Jeſuiticos fœtus proſcribere non dubi-
" taverint. Ecce quomodo ad ſupremum gradum Je-
ſuitica pervenit inſolentia.

ARTIFICIUM VIGESIMUM-TERTIUM.

Quiritare, ſibi ab adverſariis exprobrari, quæ Eccleſiæ ab hæreticis exprobrantur.

INeptiſſima eſt querela iſta. Neque enim Catholici, qui tot novitates laxitateſque Jeſuitis exprobrant, eas Eccleſiæ tribuunt, prout hæretici faciunt. Sed cùm eas labes in quibuſdam divini corporis membris reprehendunt, quæ itidem ab hæreticis reprehenduntur, in ſimilitudine operum, diſſimillimis utuntur conſiliis (ut ſapienter obſervat Wendrockius in notis præambulis ad ſeq. epiſt. Theol. Mor. ſpect. nota 2.) „ His „ filiorum dedecus in Matrem refundere propoſitum „ eſt: illis contra Matrem à filiorum dedecore defen-„ dere. Hi ſtudent revelare ignominiam Jacob, & „ ſanctuarium Domini polluere: illi diligunt decorem „ domus Dei, & expurgare ſanctuarium quærunt. Hi „ ab Eccleſia Deum abeſſe ex Catholicorum vitiis pro-

" bare

" bare contendunt: illi adeſſe in Eccleſia Deum indè
" confirmant, quòd ſola Eccleſia Catholica omnes er-
" rores, omnia ſcelera deteſtatur.

" Demus igitur, ut antè dixerat, quoſdam Jeſuitis
" errores à Montaltio, ſeu alio quovis ſcriptore Catho-
" lico objectos, quos impiè Molinæus (Drelincurus, Ju-
" rius &c.) in totam refundunt Eccleſiam; quid aliud
" ſequitur, niſi Caſuiſtas illos Eccleſiæ dedecus, hære-
" ticorum offenſionem eſſe? Quid ſequitur, niſi ab illis
" alios ab Eccleſia alienari, alios in ipſa Eccleſia cor-
" rumpi, ut in ipſos jure iiſdem uti verbis poſſet ſan-
" ctiſſima Mater, quibus olim ſanctus Patriarcha filio-
" rum offenſus ſævitiâ, uſus eſt: *Turbaſtis me, & o-*
" *dioſum feciſtis Chananæis & Phariſæis habitatoribus ter-*
" *ræ hujus.*

" Non ſatis tamen eſt Jeſuitis, nihil de contumacia
" ſua remittere, quòd opinionum ſuarum licentiâ tan-
" tam hæreticis materiam dederunt Dei viventis agmi-
" nibus inſultandi. Etiam indè gloriantur: indè ſe
" efferunt: indè aliis inſultant. Et quaſi ad confirman-
" dam ſuam doctrinam non minoris eſſet ponderis hæ-
" retici reprehenſio, quàm Concilii œcumenici ſanctio,
" jam palam pro hæreticis inſectantur, quotquot Ca-
" ſuiſtis ſuis infenſos vident; nec modò errores, quos
" invaſerunt hæretici, hoc ipſo in tuto poſitos arbi-
" trantur; ſed omnia generatim Caſuiſtarum flagitia,
" quæ nuſquam ab hæreticis Eccleſiæ exprobrata ſunt.
" Itaque ſi hæc ratio valeat, nihil jam habent quòd
" vereantur Jeſuitæ. Impunè poſſunt omnes Chriſtia-
" nam diſciplinam evertere, nemini quicquam contra
" muſſitare fas erit. Nuſquam enim non in promptu
" erit ipſis hæc defenſio adverſus reprehenſores ſuos:
" *Ab Hæreticis moralem Caſuiſtarum doctrinam carpi &*
" *reprehendi ſolere.*

" Verùm doceri potuerant ab Auguſtino, canibus
" quidem Lazari ulcera lingentibus hæreticos eſſe ſimi-
" les, quòd ut canes in ulceribus lambendis, ſic illi in
" Eccleſiæ vulneribus verſentur, ibique linguæ maledi-
" centiam paſcant; atque illos quidem propterea ſemper

„ injustos ac sceleratos esse, quòd ex filiorum crimini-
„ bus matri dedecus & infamiam quærant, totumque
„ corpus infectum prædicent aliquorum contagione
„ membrorum. Sed tamen ut ab istis canibus, sic item
„ ab hæreticis vera nonnumquam vulnera lingi, vera
„ morderi flagitia.

„ Quamobrem Ecclesia hæreticorum maledicta, eo-
„ rum quæ incusant, non defensione, sed damnatione
„ repellit, palàm ostendens atque denuntians, quàm non
„ illa sibi probentur, quamque non minùs illa, quàm
„ hæretici, imò longè ampliùs veriúsque detestetur.

„ Sic Augustinus Manichæos quidem reprimit, pri-
„ vatorum corruptelas in totam Ecclesiam regerentes,
„ sed illas tamen ipse non minùs severè, quàm Mani-
„ chæi, damnat, & ab Ecclesia damnari demonstrat.
„ *Nolite*, inquit de mor. Eccl. l. 1. c. 34. *mihi colligere Professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sint, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quidquid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores. Novi multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni. Novi multos esse, qui renuntiaverunt verbis huic seculo, & se omnibus hujus seculi molibus opprimi velint, oppressique latentur. . . Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet.*

„ Talis. . . . omnium Catholicorum debet esse adver-
„ sus hæreticos oratio, cùm privatæ Societatis labes toti
„ Ecclesiæ intendunt, quas illa semper tum Conciliis suis
„ repressit, tum Patrum scriptis & voce damnavit, tum
„ summorum Pontificum Episcoporumque decretis pro-
„ fligavit, tum maximè bonorum vita quotidie, & quo-
„ dam communi pietatis sensu, Christianorum animis
„ impresso, damnat & improbat.

„ Quid

" Quid enim aliud cauſæ fuit, cur illæ Caſuiſtarum " opiniones apud populum evulgatæ, plus invidiæ o- " diique Jeſuitis conflarint, quàm ulla inimicorum " convitia, niſi quòd alienos ab iſtis corruptelis popu- " lorum animos offenderunt? Nec ignorant ipſi quan- " tum Montaltii litteris exiſtimationi Societatis vulnus " impoſitum ſit: præcipuè verò ſuorum in Gallia ſolitu- " dinem, omniumque à ſe hac in cauſa defectionem " lugubri queſtu lamentantur recentioris Apologiſtæ " voce: *Non dubito*, inquit ille, *quin Jeſuitis multò tole- rabiliora fuerint exilia & Martyria, ſolitudine illa & de- ſertione quam Societas experta eſt. Exules ipſos honor olim & populorum gratia ſequebantur: nunc verò quemcum- que vultum ſibi fingant, malè accipiuntur. Si tacent, ridentur, ſi reſpondent, objurgantur, quaſi patientiæ Au- ctores aliis, irrideri ſe impatienter ferant.*

Et infrà: „ Ridicula igitur prorſus & puerilis Jeſui- " tarum cantilena, dum ſibi objici toties quiritantur, " quæ Eccleſiæ hæretici objiciunt. Tantò enim hæc " ipſis vehementiùs objicienda fuerunt, ne Eccleſiæ " Catholicæ ab hæreticis objici poſſent. Amovenda " prorſus fuit ab Eccleſia teterrima ſuſpicio, & neceſ- " ſariâ privatæ Societatis infamiâ totius corporis dede- " cus redimendum. Quamquam quòd iſtorum patefa- " ctione infamatam Societatem ſuam putant, perverſæ " teneritudinis eſt. Verum dedecus in ſuſcipiendis ſce- " leribus, in fovendis erroribus ſitum: contrà, nefa- " rias opiniones objicere glorioſum ac prædicandum " eſt. Hoc veriſſimum decus ſemper in Jeſuitarum " manibus erit: hoc ipſis optant qui ipſis novitates & " laxitates exprobrant.

ARTIFICIUM VIGESIMUM QUARTUM.

Quiritare etiam, ſibi ea tribui, quæ ab aliis ipſi hauſerint.

QUerelam quoque iſtam Guimenii, Honorati Fabri &c. ſolidiſſimè ſic refellit Wendrockius loco citato

nota 3. „ Aliquid ad augendam virtutis laudem facit, „ non habere consortes; nihil ad vitium excusandum, „ delicti socios habere: sufficit ut hæc Jesuitæ docue- „ rint, ut meritò Jesuitis tribui possint. Nec necesse „ fuit libros ineptos undique conquirere & scrutari ut „ illud cognosceretur, an soli Jesuitæ flagitiosi fuerint. „ Non is modò opinionis alicujus Auctor dicitur, qui „ illam primus extulit; nonnumquam etiam qui ma- „ jori studio & auctoritate propugnavit. Donatista- „ rum Princeps dictus Donatus, nec tamen ille Prin- „ ceps seu primus Auctor schismatis illius fuit. Simil- „ limè Jesuitæ, etsi varias hinc indè corruptelas ex qui- „ busdam aliis arripuerint: tamen illarum Auctores „ meritò dicuntur, quia illas undique disseminant & „ suæ per orbem sparsæ Societatis operâ omnium ani- „ mis instillant. Alii Scriptores ferè sibi peccant, aut „ certè non multis; Jesuitæ toti Ecclesiæ peccant, „ quam ubique suis novitatibus inficiunt. Latebant „ hæc dogmata in Bibliothecarum angulis, paucis no- „ ta, paucis nocebant; at ipsa Jesuitæ super tecta præ- „ dicarunt, in Aulas Regum, in familias privatorum, „ in Curias Magistratuum invexerunt.

Refellunt & Parisienses Parochi in sexto & octavo scripto suo ad 3. Annati objectionem, quia ad sustinendas novitates cujuspiam è Doctoribus vel scriptoribus suis, tota v. g. Sorbona non conspirat, nec tota seu S. Benedicti, seu S. Dominici, vel S. Augustini familia: verùm ad sustinendas novitates alicujus Sociorum universæ Societatis vires conspirant, uti manifestè apparuit in causa Molinæ, necnon in causa Casuistarum Apologiæ &c., cujus ut corrupta dogmata Galliæ innotuerunt, è Sacerdotibus omnes ferè Hierarchici in ea insurrexerunt, præcipuè verò Gallarum Parochi mirum in iis infectandis fidei ardorem ostenderunt, nec obscurè tota penè hodie S. Benedicti & S. Dominici familia, ac Congregationis Oratorii Presbyteri, quàm ab iis alieni essent passim significarunt. Soli penè Jesuitæ in hoc luto hæserunt, ad istiusque doctrinæ patrocinium, universæ (ut dictum est) Societatis vires contulerunt.

Præ

Præ ceteris igitur peſtilentis illius doctrinæ Auctores & defenſores habendi ſunt.

Similiter Parochi Rothomagenſes Epiſt. ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum: „ Fruſtrà Jeſuitæ dicunt odioſas illas opiniones non eſſe proprias & peculiares Societati, ſuos ſcriptores illas eruiſſe ex aliis Auctoribus, & ideo non eſſe conflandam ea propter ipſis ſolis invidiam. Nam præterquam quod quinquaginta & plures numerare poſſimus articulos ex iis qui minimè ſuſtineri poſſunt, quorum Jeſuitæ ſunt inventores & artifices; eſt cur ceteros illis tribuamus & credamus hanc prorſus eſſe doctrinam, non quidem totius Ordinis, ſed ſaltem factionis Pſeudo-Jeſuitarum; cùm Doctores, qui non ſunt è Societate, tam Seculares, quàm Regulares, illam rejiciant, nec ſatagant eam vindicare prout Jeſuitæ. E contrario videmus Doctores Lovanienſes anno præterito haud ægrè cenſurâ notaſſe plures depravatæ ethicæ ſententias, quas docuerant Theologi ſeculares, quorum nonnullos fortè in ipſorum Academiâ numerare eſt; & quidem diſcimus Doctores Sorbonicos ſic eſſe compoſitos, ut corruptelas à Doctoribus è gremio ſuo aſſertas non magis diſſimulent, quàm invectas ab extraneis & obſcuriſſimis ſcriptoribus. Amant quidem ſocios, eorum memoriam venerantur, at magis amant veritatem, nec unquam miniſterium ſuum tam turpiter & perfidè prodent, ut deſerant cauſam veritatis, meticuloſique ſinant dominari errorem, ne famæ & nomini aliquot privatorum è Facultate ſuâ maculam inurant.

„ Soli ergo Pſeudo-Jeſuitæ palam & manifeſtò conjurarunt ad patrocinandas & ſuſtinendas opiniones, quas ceteri deſerunt. Quæ res anſam eorum adverſariis præbet dicendi illas Jeſuitarum eſſe, & ad ipſos pertinere, non autem ad reliquos Ordines ac ſocietates Eccleſiæ.

ARTIFICIUM VIGESIMUM QUINTUM.

Quamlibet exorbitent sui Casuistæ, semper illos excusare, nunquam damnare ne contemptui habeantur.

DEmonstratur 1. ex responso R. P. de Lingendes Provincialis Jesuitarum, cui cùm amplissimus D. Decanus Metropolitanæ Ecclesiæ Parisiensis objiceret, mirari se quòd à Jesuitis tanta cum obstinatione sustineretur omnibus invisa Casuistarum Apologia, respondit Provincialis, *sibi suisque permolestum esse, quòd liber ille tantos causaret rumores, non posse tamen eum non defendere, quòd in Casuistarum suorum tuitionem conscriptus esset.*

2. Ex eo quòd ne tunc quidem suorum damnent excessus, dum eos cum Episcopis, Theologicisque Facultatibus damnat Orbis penè universus, ut postea videbitur.

ARTIFICIUM VIGESIMUM-SEXTUM.

Audaciâ magnâ tam exorbitantes opiniones sustinere, ut nativum in se lumen videantur extinxisse.

QUid enim? An non tales sunt plurimæ saltem ex propositionibus §. 6. recensitis? An non talis doctrina Tamburini, permittentis (etiam coram Judice) falsa injusto testi scienter imponere crimina, ipsam quoque hæresim, eaque firmare juramento, falsis testibus, publicis scripturis falsificatis, dum aliter seipsum quis tueri non potest? Istam tamen esse Tamburini doctrinam constat ex propositionibus 652. 653. 684. &c. suprà exhibitis, Idque Tamburinus eo in opere scripsit quod Generalis sui Caraffæ jussu, cum approbatione præcipuorum Societatis Theologorum conscripsit.

An non talis quoque est propositio 546. permittens occidere hominem pro pomo. . . . . sicut & ista 447. Christus suo nos sanguine liberavit à necessitate amandi Deum

Deum in ordine ad meritum; & 164. Ignorans vincibiliter Deum, à peccato nihilominus excusatur, quòd eum non colat, etiam suborto dubio de ipsius existentia; & 462. Licitum est Christianis, rationabili de causa, coram idolo publicos exhibere reverentiæ cultus, qui ex loci consuetudine vel lege, pro sacris habentur, & ad idolum referuntur; & 419. Licitum est Catholicis præstare juramentum ab omnibus ad Magistratum promovendis in Provinciis Acatholicis exigi solitum: *Ego juro quòd reformatam Religionem ego protegam & conservabo* &c. 418. Licitum est Catholico in auctoritate constituto, dicere *se huguenotum, seu protestantem* esse, non formaliter velut fidem illam profitendo, sed recitativè dumtaxat id dicendo, dum alioqui è ditione sua pellendus esset cum periculo perversionis multorum Catholicorum subditorum suorum per Acatholicum ipsi substituendum.

Ista sunt nihilominùs Sociorum opinamenta, ut visum est suprà. An non igitur nativum in se lumen videntur extinxisse, qui sic opinati sunt?

ARTIFICIUM VIGESIMUM-SEPTIMUM.

Ne tunc quidem eas damnare, dum universus penè Orbis damnat, sed tunc dicere, quòd eas nec probent nec damnent.

HOc est quod circa execrandas Apologiæ Casuistarum propositiones Jesuitæ in libro cui titulus: **Jesuitarum judicium de Apologiâ Casuistarum* palam declararunt, dum Galliam penè universam adversus eas insurgere conspexerunt. Sed & hoc est quod in sexto Scripto suo Parisienses Curiones validè refutant hisce verbis: „ Id maximè in votis habuimus, ut ipsimet Je„ suitæ suis renuntiarent erroribus, ut his in fonte sup„ pressis, metuendi non forent in posterum funesti ri-

 „ vu-

* Les sentimens des Jesuites sur le livre de l'Apologie pour les Casuistes.

» vuli, qui ex eo in totum orbem Christianum diffun-
» duntur . . . . sed . . . . ultimum eorum scriptum
» spem omnem nobis adimit. Isthîc proprio & totius
» corporis nomine loquuntur hoc titulo præfixo: *Je-*
» *suitarum judicium &c.* illud evulgantes ut pateret
» quid ab iis exspectandum sit. Porrò nullam mutatio-
» nis notam ibidem cernimus, nec eos reperimus ve-
» ritati viciniores, sed semper dispositos ad utendum
» iisdem sententiis . . . . verbo prorsùs Jesuitæ sen-
» tientes . . . . cùm innumeros dirigant qui molliùs
» vivere volunt, sic tamen ut pii habeantur, hujus-
» modi placita iis omninò necessaria sunt, ideóque nun-
» quàm illa deserent. Verùm aliunde cum hominibus
» ut nunc affecti sunt sese accommodare velint, no-
» lintque adire graviſſimum odium populi quod in ha-
» sce corruptelas fertur, non audent ampliùs eas tam
» apertè sustinere; ideóque, ut iis suo tempore uti li-
» ceat, sic tamen ut communis sensus nunc non offen-
» datur, id factu optimum judicarunt si dicerent se
» nullius esse partis, Apologiam nec damnare, nec ap-
» probare . . . . Hæc sunt quæ singulis paginis occi-
» nunt: *Ex arbitrariis hisce quæstionibus nulla est quam*
» *vel impugnare vel tueri satagamus. Hanc doctrinam*
» *flagitiosam esse dicitis. At illius Auctor dicit se accepis-*
» *se à nobilibus Theologis. Si sana est, nolite hâc gloriâ*
» *spoliare ejus assertores. Si perversa, vestrum est ratio-*
» *nibus demonstrare; ipsorum se tueri. Absit ergo ut de-*
» *bitum tantis viris honorem ladatis . . . . Ut quid li-*
» *tem nobis movetis de doctrinâ, quam nec approbare,*
» *nec damnare volumus?* Verùm nos iis contrà reponi-
» mus: ideo quippe de vobis expostulamus, quòd re-
» cusetis damnare doctrinam tantopere dignam dam-
» natione, quæ à vobis manavit . . . . Non continuò
» scriptum improbat qui dicit se non approbare, cùm
» innumeræ considerationes particulares, vel leves cir-
» cumstantiæ ab ipsa materiâ penitus alienæ efficere
» possint ut quispiam librum non approbat. Id queri-
» tamur. Id vobis exprobramus.

» Hæc inter nos quæstio agitatur, an æterna salus

» ob-

» obtineri poſſit non amando Deum, & perſequendo,
» immò calumniando & occidendo proximum. Qua
» de re vos frigidè pronuntiatis, *ex arbitrariis hiſce quæ-*
» *ſtionibus nullam eſſe quam vel impugnare, vel tueri ſa-*
» *tagatis.* Quis ferat affectatum hoc æquilibrium? Vel-
» letis ſcilicet eas ſuſtinere, at nunc non audetis. Cete-
» rùm non improbare vobis fixum eſt. Quid, Reve-
» rendi Patres? Totam Eccleſiam præſens diſceptatio
» exagitat. Hinc Evangelium, inde Apologia ſtat.
» Hinc Præſules, Paſtores, Doctores & Populi ſimul
» conſpirant: at Jeſuitæ compulſi ad eligendum decla-
» rant pag. 7. *ſe nullas in hoc bello partes ſequi.* O cri-
» minoſam tergiverſationem! Hiccine ergo eſt labo-
» rum noſtrorum fructus, obtinuiſſe à Jeſuitis ut ma-
» neant indifferentes inter errorem & veritatem, inter
» Evangelium & Apologiam, nec hanc, nec illud dam-
» nando? Si in his terminis hærerent omnes, Eccleſia
» parùm profeciſſet, & Jeſuitæ nil amiſiſſent. Nam
» Evangelii ſuppreſſionem nunquam petierunt. Ipſis
» damnoſa foret. Indigent illo in regendis bonis, &
» ſubinde non minùs utiliter eo utuntur quàm Caſui-
» ſtis. Sed damnoſum ipſis etiam foret Apologiam a-
» mittere, utpote iiſdem ſæpe neceſſariam. Hic eſt ip-
» ſorum Theologiæ ſcopus, neutrum excludere & u-
» trumque in promptu habere. Atque ita dici poteſt
» nec Evangelium ſolum, nec ſolam Apologiam eorum
» ſenſa continere.

» Hæc ipſa copulatio eſt quæ iis exprobratur, nec ſe-
» ſe purgare queunt niſi his ſejunctis perſpicuè decla-
» rent ſe unum recipere & alteri renuntiare; ita ut nil
» eos liberet minùs, immò nil ipſos confundat magis,
» quàm dum accuſati imprimis quòd horrendâ ſocieta-
» te Chriſtum uniant Belial, id unum reſpondent ſe
» non renuntiare Chriſto, nullatenus dicendo ſe ejura-
» re Belial.

» Suis itaque ſcriptis hoc ſolum conſecuti ſunt, quòd
» ipſi rem alioqui vix credibilem manifeſtaverint, ni-
» mirum ſuſpenſum hunc & indifferentem animum
» inter veritates ſummè neceſſarias ad ſalutem, & er-

" rores maximè capitales, eſſe animum non aliquot
" tantummodo Sociorum, ſed integræ Societatis & in
" hoc propriè conſiſtere, ipſis fatentibus, *Jeſuitarum*
" *judicium*.

" Miranda ergo cœcitas in quam Divinâ Providentiâ
" juſtè permittente prolapſi ſunt. Poſtquam enim in-
" juſtitiæ nos toties accuſarunt, quaſi privatorum opi-
" niones toti Societati tribueremus, poſtquam *veram*
" *effigiem ſuam* orbi exhibere voluerunt, ut *innoteſce-*
" *rent*, ſeipſos profectò horrendis coloribus depinxe-
" runt, ita ut poſt eorum declarationem dicere poſſi-
" mus non jam noſtrâ, ſed ipſorummet Jeſuitarum de-
" nuntiatione divulgari Societatis corpus ſtatuiſſe nec
" damnare, nec impugnare hæc portenta.

" Et verò ſi Societas diviſa foret, aliquos ſaltem vi-
" dere eſſet, qui contra iſtos errores ſtarent. At cor-
" ruptionem valdè generalem eſſe oportet, cùm nul-
" lum adhuc è Societate ſcriptum prodierit quo dam-
" narentur, ubi ad eoſdem vindicandos plurima pro-
" dierunt. Nullum exſtat in Eccleſiâ exemplum hujuſ-
" modi conſenſus integri Ordinis in errorem. Priva-
" tos aberrare non eſt magnopere mirandum: ſed eoſ-
" dem nunquam in viam redire, & Corpus declarare
" quòd nolit illos corrigere, id & admiratione dignum,
" & propter funeſtas conſequentias eorum zelo com-
" peſcendum eſt, quibus Deus auctoritatem commiſit.
" Res enim non jam ſecreta; verùm publica eſt. Id
" gloriæ ſibi ducunt affectantque cunctis propalare uno
" Jeſuitas omnes animo conſpirare ad propugnandas
" ſingulorum ſententias. Sperant nimirum ſe formi-
" dabiles & ſecuros fore, ſi reſciatur unum non poſſe
" peti, quin ſimul omnes petantur.

ARTI-

ARTIFICIUM VIGESIMUM-OCTAVUM.

Si quando exorbitantes aliquas ſuorum opiniones aliqui ex ipſis improbant per principia directa, eas illi ipſi approbant per reflexa probabilitatis principia.

DEmonſtratur evidenter per ea quæ dicta ſunt ad propoſitionem 40. & 41. quæ videri poſſunt fuſiùs deducta per eruditiſſimum Apologiſtam litterarum ad amicum Provincialem (contra noviſſimam P. Danielis ad eas reſponſionem) p. 1. pag. 82. 83. 84. 85. 86 87. 88. 89. 90. 91. ubi in ſummam contrahens à ſe dicta ſuperioribus paginis, ait, quòd cùm tota penè Societas, paucis exceptis, probabiliſſimum profiteatur, perque extrinſeca & reflexa probabilitatis principia cenſeat licita, quæ plerique Sociorum per principia intrinſeca & directa exiſtimant illicita, dummodo probabiliter licita ſint, ſaltem ab extrinſeco, id eſt licita cenſeantur ab Auctore aliquo gravi, ſive erudito & pio; etiam illi è Societate probabiliſtæ, qui in materiis particularibus ſeveri videntur, ſolùm apparenter & ſpeculativè tales ſint, cùm per reflexa & extrinſeca probabilitatis principia practicè deſtruant, quod per directa & intrinſeca ſpeculativè ædificant, nec ſeveræ reſolutiones ipſorum regulæ ſint, etiam ſecundùm ipſos, quas in praxi ſequi neceſſe ſit, ſed practicè ſequi liceat contrariam reſolutionem probabilem. Eam verò hoc ipſo probabilem cenſent, quo traditam ab aliquo Auctore gravi, ſive erudito & pio. Quales in Societate non ſolùm habentur omnes Societatis ſcriptores, Theologiæque Profeſſores (quos *omnes divina regit ſapientia, humanâ Philoſophiâ dux longè certior; longè ſecurior*, ut dicit *Imago primi ſæculi* Societatis) ſed & de exteris etiam laxiſſimi, ut Sancius, Diana, Caramuel &c.

Hinc laudatus Apologiſta legitimè concludit 1. omnes penè Jeſuitas, etiam illos qui in materiis particularibus nonnumquam rigidè ſentire videntur, per probabilitatis principia eſſe practicè reos fidejuſſoreſque opinio-

num omnium, quæ inveniuntur in libris & Thesibus Auctorum, etiam exterorum, qui ab ipsis graves habentur, & quamdiu ab ipsis è gravium Auctorum ordine non degradantur. Eò quòd opiniones omnes probabiles per probabilitatis principia fiant practicè communes, quamlibet in speculatione aliæ aliis oppositæ & particulares.

Hoc ipso itaque quòd Theologus quispiam probabilista est, sive Jesuita sit, sive non, eo ipso Casuista est practicè laxissimus (quamlibet speculativè severus) utpote admittens licitum in praxi usum quarumcumque opinionum, quamlibet laxarum, quæ inveniuntur in quocumque Auctore, quem ipsi gravem reputant, saltem quamdiu eas Ecclesia non damnat.

ARTIFICIUM VIGESIMUM-NONUM.

Nullam non machinam movere ad impediendam exorbitantium opinionum suarum damnationem.

HOc est quod olim practicarunt, quodque in dies practicant Jesuitæ, hoc, inquam, quod olim practicarunt in causa Molinæ uti demonstratum est §. 5. Hoc etiam quod sub Innocentio XI. practicarunt in causa propositionum, quas suæ Sanctitati in materia morum Deputati Lovanienses Vianæus, Lupus, Steyartius detulerunt, ex quibus sexaginta quinque, velut ut minimùm scandalosas, in praxique pernicioſas Innocentius XI. proscripsit.

Verùm quas non seculi Potestates interposuerunt, ut earum discussionem, laudatorumque Doctorum deputationem, vel saltem ut effectum ipsius impedirent? Quid Romæ non moverunt, ut eas damnabiles non esse (si Superis placuisset) persuaderent? Hoc utique Romana novit Curia, exploratumque facit liber, cui titulum fecerunt: *Doctrina Theologica per Belgium manans*, quem eum in finem Jesuitæ Belgii Romam miserunt.

Insuper Deputatos illos mendaciis, criminationibusque

que falsis, more suo, famâ spoliare conati sunt, ne audirentur, quâ de re fidem facit epistola Doctoris Steyart scripta Romæ 18. Octobris 1677. cujus ecce fragmentum: „ Gaudeo vehementer, dum video quam te „ afficiat causa communis, quam nos credimus esse „ causam Dei. Præter clara indicia, quæ hîc videmus, „ vel ipsa illa mendacia omnia, quæ venditantur adversus nos, sperare nos jubent, quòd veritas nobiscum „ sit, & juxta propria promissa sua liberabit nos; cùm „ tanto furore & violentiâ contra nos armetur falsitas. „ Non video quî homines omnes judicio & ingenio „ prædîti non intelligant, quæ esse debeat pars veritatis, quando considerant quæ pars ea sit, quam pro „ sua accepit mendacium &c.

Quanto etiam molimine Jesuitæ conati fuerint impedire condemnationem Apologiæ Casuistarum, librique P. Tellerii, cui titulus: *La défense des nouveaux Chrétiens* &c. videri potest in septimo & octavo scripto Curatorum Parisiensium, nec non in historia Congreg. de Aux. l. 1. c. 11.

Et quæ pars Orbis ignorat, totam penè Societatem tot ab annis in motu esse perpetuo, ne Romæ damnentur, Idololatricique declarentur, Confutii cultus, quos Sinenses è Societate Missionarii Christianis permittunt?

ARTIFICIUM TRIGESIMUM.

Adversus denuntiatores, accusatores & reprehensores errorum suorum furere, eo prætextu quòd violatores sint fraternæ charitatis.

VIderi possunt furoris istius exempla tum apud Montaltium epist. XI. tum in variis scriptis & factis Curatorum Parisiensium Rothomagensiumque, prætextum illum violatæ charitatis validè confutantium. Neque enim fraterna charitas vetat, imò mandat, publicè argui, reprehendi, accusari publicos errores, animarum perniciem inferentes, à Jesuitis totum per Orbem dis-

diſſeminatos. Eos (inquam) publicè argui vult charitas, ad perniciem illam avertendam, præſertim poſt leniora remedia in caſſum tentata. Et hoc eſt quod ſibi vult illa Nazianzeni ſententia: *Habet quoque ſpiritus manſuetudinis & charitatis ſuam vehementiam, ſuam iracundiam.* Unde & Paulus 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.*

Enimverò niſi iſtam ſequi placeat diſciplinam, quàm multis locis Eccleſiæ utilitates, animarumque ſalutem neceſſe erit negligere! Quid enim an non publica utilitas exigit pro viribus impedire, ne in Eccleſiam pernicioſa ſpargantur commenta? „ Licebitne Jeſuitis ad „ vitandam alapam occidendi veniam dare, & hunc er„ rorem tam publicum, tam exitioſum publicè convin„ cere non licebit, inquit Montaltius?

„ Impunè illi corruptis Judicibus veniam dabunt, „ acceptæ ob faciendam injuſtitiam mercedis tutâ con„ ſcientiâ retinendæ; Theologis adverſus tantam per„ niciem ne hiſcere quidem fas erit? Licebit Jeſuitis, „ libris cum privilegio Regio, cum ſuorum ſuffragiis „ religioſorum, cum ſuorum licentia Præpoſitorum „ Generalium editis, illis qui numquam Deum amave„ rint, ſalutem polliceri; nemini licebit Chriſtianæ fi„ dei ſummam hoc dogmate penitùs convulſam defen„ dere? Omnium ora Jeſuitæ unâ ratiunculâ obſtruent, „ inſectandis ſuæ Societatis erroribus fraternam violari „ charitatem?

„ Dubito RR. PP. an hæc tam abſurda cuiquam „ probetis. Si tamen aliqui reperti ſint, qui iſta ſibi „ perſuaderi ſinant, & exagitandis veſtris decretis vio„ latam à me charitatem putent, hos rogo ut paulò di„ ligentiùs expendant, undenam talis in ipſorum ani„ mis ſenſus extiterit. Arbitrantur illi, ſat ſcio, hunc „ ex vero zelo proficiſci, qui proximo doleat injuriam „ fieri. . . . . Dolent Religioſos ignominioſè habitos. „ Quæro an acriùs etiam doleant ignominioſè à Religio„ ſis illis habitam veritatem? Utrumque ſi doleant. . . „ fatebor zelum illum ex bono zelo, ſed minùs quàm „ par erat erudito, poſſe proficiſci. . . . At ſi repre-

hen-

„ henſionem ſolùm culpant, non autem ea quæ repre-
„ henſa ſunt, non temperabo mihi, quin talibus aper-
„ tè denuntiem, craſſo illos & ſupino errore teneri,
„ & cœco impetu ferri. O zelum præpoſterum, qui
„ publica ſcelera carpentibus iraſcitur, patrantibus i-
„ gnoſcit! O novam & inauditam charitatem, quæ
„ manifeſtos errores exſcindi moleſtè fert, totam
„ iſtis erroribus morum diſciplinam exſcindi non cu-
„ rat!

Quem in Jeſuitis profectum habuit privata & fraterna monitio Doctorum Lovanienſium, dum ſuas Lovanii novitates invehere Leſſius Hameliuſque cœpiſſent? An eos propterea compreſſerunt? Quàm multi in Gallia Antiſtites eodem fraternæ charitatis officio perfuncti ipſos exhortati ſunt, ut à tot invidioſis exitioſiſque ſe dogmatis temperarent? Quàm multi pariter Romæ Cardinales v. g. Sabellus, Baronius &c.? An inde cautiores facti? An ſapientiores? Non abs re erit Rhotomagenſes Curiones audire. Sic ergo ipſi in ſcripto ſuo quod Factum vocant: „ Sesquiannus eſt cùm fuimus
„ planè coacti querimonias noſtras deferre Tribunali
„ Eccleſiaſtico Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Rhotomagen-
„ ſis. . . . . ad occurrendum periculoſis iſtorum Caſui-
„ ſtarum novitatibus. Magnus ille Præſul hanc mate-
„ riam, utpote ſummi pro tota Eccleſia momenti,
„ dignam cenſuit pietate totius Cleri Gallicani tunc Lu-
„ tetiæ congregati. . . . . Quare noſtras expoſtulatio-
„ nes miſit ad hæc comitia generalia, ut tot Præſules
„ ſuam ſcientiam & zelum ſimul conferrent ad rete-
„ gendos peſtiferos errores. . . . . Verùm hic agno-
„ vimus, illos qui leges Dei & Eccleſiæ humanis com-
„ mentis corrumpunt, non ignorare artes ſeculi, &
„ vafritie ſua æquiſſimas pœnas nonnunquam effuge-
„ re. Innexis de induſtriâ morandi cauſis tempus ſic
„ protraxerunt, ut præcipuum deliberationis fructum
„ impedierint, ita ut Clerus. . . . expoſtulationum no-
„ ſtrarum æquitate perſpecta vix tamen quidquam effi-
„ cere potuerit, niſi quod inſigni monumento poſteris
„ teſtatus ſit, quàm ægrè ferret otium ſibi deeſſe ad pro-

„ nun-

„ nuntiandum de excerptis oblatis ab uno è Vicariis
„ generalibus Illuſtriſſimi Præſulis noſtri. Clerus igi-
„ tur ne ſilentio ſuo approbare videretur molitiones eo-
„ rum, qui ipſa impunitate abſolutos ſe arbitrantur,
„ opportuniſſimum & præſentiſſimum remedium. . .
„ judicavit opponere venerandum S. Caroli Borromæi
„ nomen effræni licentiæ tot Neotericorum. . . . Ideo
„ mandavit ut denuò typis ederentur ejus Inſtructio-
„ nes. . . . cum gravi & eruditâ præfatione. . . quæ
„ funeſta carnalium illorum Caſuiſtarum deliramenta
„ deplorat. . . . Spes affulgebat fore ut hæc agendi ra-
„ tio Cleri. . . . tanquam agger ſeu moles quædam
„ coerceret temeritatem iſtorum ſcriptorum, qui ſpe-
„ cialem Epiſcoporum cenſuram non effugerunt, niſi
„ quia Comitiis non ſuppetebat otium diſcutiendi tot
„ errores, quibus eorum libri ſcatent. Ecce autem Ec-
„ cleſiaſticæ ac ſecularis poteſtatis oculis manifeſtant
„ proterviam ſuam nullo aggere cohiberi poſſe, & il-
„ los qui indulgentiâ pluſquàm paternâ eorum honori
„ parcunt, novam temeritatem incogitanter iiſdem in-
„ ſpirare. Cujus rei peſſimum exemplum ab aliquot
„ menſibus prodiit, ita ut diffiteri jam nemo poſſit le-
„ nibus remediis gravia vulnera irritari, & pharmaca
„ exhortationibus & monitis efficaciora adhibenda æ-
„ gris, quibus non ſufficit perire, niſi plurimos ſecum
„ in foveam pertrahant. Summa impudentia neſcit e-
„ rubeſcere, & dum ſuperborum præſumptio licentiâ
„ ſuccollatur, exitioſa eorum ſcientia nullos ſibi præ-
„ ſcribit limites.

„ Hi ſcriptores antea ſycophantiæ & calumniæ no-
„ tam inurebant auctoribus planè orthodoxis & integris
„ Academiis à quibus arguebantur tam infandorum dog-
„ matum. Nunc autem ignorantiæ inſimulant Paſto-
„ res, qui tantos errores detexerunt, detectoſque præ-
„ ſulibus ac Judicibus miniſterio ſuo compulſi denuntia-
„ runt. . . . . Id quod ore proprio fatebantur eſſe de-
„ teſtandum. . . . jam factum eſt innocuum ac legi-
„ timum. . . .

„ Tanquam totius Eccleſiæ regulam obtrudunt ſen-

„ ten-

„ tentias, à quibus meritò abhorrebant fideles, novoſ-
„ que errores adjungentes iis quorum optimo jure ac-
„ cuſati fuerant, omnes prolapſiones ſuas Apologia-
„ rum procaciſſimâ & teterrimâ coronarunt &c.

Efficacioribus proinde remediis, cenſuris utique, publicâque confuſione coercendi ſunt, quibus leniora non ſufficiunt, ut S. Thomas in 4. diſt. 18.

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-PRIMUM.

Cenſuras in Sociorum in libros vel errores latas facta ſubmiſſione eludere.

HAc in re Pariſienſes Parochi in ſexto Scripto ſuo ſic Jeſuiticam ſtropham exponunt: „ Dabimus hic „ aliquot exempla rationis agendi ipſorum, quibus pa-
„ teſcet illos ſemper ſuſtinere ſemel aſſertas à ſuis opi-
„ niones tametſi horrendas: nullum non movere lapi-
„ dem ad impediendum earundem cenſuram: opus eſ-
„ ſe utraque poteſtate tam Eccleſiaſticâ, quàm ſeculari
„ ad obtinendam condemnationem: hac obtentâ illos
„ cenſuras eludere ambiguis declarationibus: quod ſi
„ ad perſpicuas adigantur, ſtatim poſt violare.

„ Cujus rei illuſtre exemplum ſuppeditat hiſtoria li-
„ bri P. Becani tam exitioſi Reipublicæ, immò ipſis-
„ met Regibus noſtris: Sorbonam enim commotam vi-
„ dentes ſtuduerunt impedire ne librum cenſurâ feriret,
„ callidè curando ut ei ſcriberetur hanc ſupervacaneam
„ fore, cùm à Pontifice in dies cenſura exſpectaretur.
„ Cùm autem aliquanto poſt ex Urbe miſſa foret cen-
„ ſura declarans hoc libro plures contineri propoſitiones
„ *falſas & ſeditioſas*, adjuncto mandato illum corri-
„ gendi, Becanus ſimulans ſe, ut juſſum erat, ſtudere
„ expungendis multis illis propoſitionibus peſſimis, u-
„ nicum expunxit articulum, moxque librum Summo
„ pontifici obtulit velut omnibus erroribus ſecundùm
„ ejus mentem purgatum: ita ut liber ille, qui nunc
„ palam obtruditur, præter plures alias enormes, haſ-
„ ce propoſitiones contineat. . . . . *Poſſe Regem ex-*

„ *com-*

„ *communicari & etiam deponi, ſi id meritus ſit. An* „ *autem meritus ſit, ex prudentia doctorum ac piorum* „ *hominum judicio æſtimandum. Reges & principes qui vio-* „ *laverint privilegia Monaſteriis conceſſa excommunican-* „ *dos, & ſuâ dignitate ac honore privandos eſſe.* Hoc „ pacto Sorbonam, quæ in deteſtandos hoſce articulos „ inſurrexerat, ludificarunt, primùm artibus ſuis ef- „ ficiendo ſub prætextu cenſuræ Romanæ, ut de hâc re „ non cognoſceret, deinde hanc ipſam cenſuram elu- „ dendo induſtriâ quam deſcripſimus, Jeſuitis tam fa- „ miliari.

„ Eodem modo ſe geſſerunt circa condemnationem „ hujus propoſitionis à Facultate Lovanienſi proſcriptæ, „ *Licere Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimi-* „ *na de ſe vel de ſuâ religione ſpargere minantem occide-* „ *re, quando alius defendendi modus non ſuppetit.* Hanc „ aſſeruerat Amicus Jeſuita in *Curſu Theologico juxta* „ *ſcholaſticam hujus temporis Societatis methodum* con- „ cinnato. Cùm enim non tantùm pietas, ſed etiam „ prudentia Jeſuitis perſuadere debuiſſet hujuſmodi „ doctrinam ſupprimere, ejuſque cenſuram prævenire, „ è contrario totis viribus reſtiterunt & Facultati quæ „ illam cenſurâ notavit tanquam toti reipublicæ ac ge- „ neri humano pernicioſam, & ſupremo Senatui Bra- „ bantino qui eam denuntiarat. Nihil intentatum re- „ liquerunt. Miſſis huc & illuc litteris conquiſierunt „ Approbatores, quos Facultati opponerent. . . . . „ Verùm. . . . nequicquam conſiderato tot ſubſidia- „ riorum Doctorum agmine, & quamvis Caramuël ex- „ ſertis verbis pronuntiaſſet, *Doctrinam Amici ſolam eſ-* „ *ſe veram, & oppoſitam improbabilem cenſemus omnes* „ *Docti*, his, inquam, incaſſum tentatis Amici liber „ manſit condemnatus, & Conſilium Brabantiæ tam „ diſtrictè juſſit hunc expungi articulum, ut Patribus „ nullus ſuperfuerit tergiverſandi locus. Cùm ergo a- „ pertâ contumaciâ jam evadere non poſſent, illudendi „ cauſâ fictam adornarunt obedientiam, finem duntaxat „ propoſitionis reſcindentes relicto principio quod to- „ tam complectitur, ita ut invitâ primariâ Facultate

„ Flan-

" Flandriæ, invito ſupremo Regis Hiſpaniarum Senatu " hodiedum in Amici libro exſtet horrenda iſthæc do- " ctrina, Religioſos verum honorem defendere poſſe " *etiam cum morte invaſoris* &c.

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-SECUNDUM.

Si quando ad exactam ſubmiſſionem compellantur, ab ea modico poſt tempore reſilire.

PRobant & idipſum Curiones Pariſienſes loco citato. Sic enim pergunt: „ En quomodo infandorum dog- " matum ſuorum condemnationem eludant fictis & " imaginariis ſubmiſſionibus. Quapropter dum Illu- " ſtriſſimi Præſules noſtri Gallicani ab ipſis exegerunt " declarationes circa articulos alicujus momenti, ſolli- " citè caverunt ne ullum ſubterfugiis & ambiguitatibus " locum relinquerent. Verùm licèt perſpicuas decla- " rationes extorquere potuerint, nullatenus impedire " valuerunt quominus eaſdem violarent. Longum fo- " ret ſingula exempla proferre. Nemo ignorat eorum " agendi rationem circa libros Anglicanos contra Hie- " rarchiam, quos coacti abnuere per Patres De la Sal- " le, Haineuve, Maillant &c. poſtea pro ſuis agnove- " runt & quidem non ſine encomiis in libro famoſo ap- " probato à Generali Societatis, ubi Epiſcopos ſugil- " lant velut *contumaces* ac *novatores*. Similiter quan- " tumcumque ſolennis fuiſſet declaratio, qua coram " Cardinale Richelio faſſi fuerant ſe non poſſe nec " debere excipere confeſſiones ſine Approbatione " Epiſcoporum, prout Synodus Tridentina definivit, " eandem non minùs ſolenniter violarunt in libro Bau- " nii, & poſtea procaciùs in libro Cellotii; qui coactus " ſententiam revocare mox defenſorem habuit Pinte- " rellum in Reſponſione ad Theologiam Moralem So- " cietatis 2. p. n 87. ubi dicit Jeſuitas non potuiſſe nec " debuiſſe renuntiare juri quod habent excipiendi con- " feſſiones ſine Approbatione Epiſcoporum, & Baunium

" 2-

„ alioſque eſſe laudandos, quòd ſcriptis ſuis hanc pote-
„ ſtatem vindicent, de quâ cum ipſis ex merâ invidiâ
„ decertatur. Paſtores quoque Ambianenſes nuperri-
„ mè obtulerunt libellum ſupplicem Illuſtriſſimo Præ-
„ ſuli ſuo, ubi inter alia expoſtulant quòd Pater Poi-
„ gnant eandem doctrinam haud pridem in collegio ſuo
„ tradiderit, quam tamen revocare toties compulſi ſunt.
„ Adeo impoſſibile eſt Eccleſiæ Jeſuitas abſtrahere ab
„ errore, in quem ſemel prolapſi ſunt Adeo vivit in
„ Societate hoc principium, quod ſinguli debeant defen-
„ dere quidquid unus ipſorum ſcripſit.

„ Notatu dignum eſt exemplum quod eorum *fax*
„ Caramuel tanquam iis honorificum proponit occaſio-
„ ne cujuſdam caſus ſpectantis ad ejuſdem Amici doctri-
„ nam, nempe, *An homo Religioſus, qui fragilitati ce-*
„ *dens feminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe*
„ *proſtituiſſe tanto viro, rem enarrat, & eundem infa-*
„ *mat, poſſit illam occidere* ? Præclaras enimverò de
„ Chriſti lege quæſtiones ! Quis non lugeat Theolo-
„ giam ab hujuſmodi viris tam indignè tractari, tam
„ fœdis propoſitionibus contaminari? Immò quis ferat
„ totam Societatem conjurare ad earum defenſionem
„ hâc unicâ ratione, quòd ſui illas docuerint? Id ta-
„ men palam dicere non verentur, ut patet apud Cara-
„ muelem Fund. 55. p. 551. ubi de horrendo illo caſu
„ opinionem unius Jeſuitæ refert notatu digniſſimam.
„ Sic ſe habet : *Potuiſſet Amicus hanc reſolutionem omi-*
„ *ſiſſe; at ſemel impreſſam debet illam tueri, & nos eam-*
„ *dem defendere &c.*

A R-

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-TERTIUM.

Centies refutatas Sociorum, pro defensione putidarum opinionum scriptiones, dissimulatis argumentis, quibus confutatæ, deque falsitate convictæ fuerunt, novam semper in scenam inducere; noviſque ubique terrarum tibiis decantare.

Eleganter id prosequitur Auctor Hist. Congreg. de Auxil. in Monito Defensioni istius Historiæ præfixo: „ Ductâ (inquit) ad umbilicum opellâ, nuntiatum est „ Italiæ Socios supplicem Monitionem Illustrissimo Ar„ chiepiscopo Remensi ante annum tertium oblatam, „ & Leodiensem epistolam, Abbati Auxiliorum Historiam „ meditanti olim inscriptam, Italicè reddidisse, ac stu„ diosè disseminare; ut turbatos suorum animos eri„ gant, illosque in Molinisimi fide contineant: vulga„ tâ enim per Italiam Historiâ nostrâ. . . .

Pavor ingruit ingens
Omnibus, inque pedes animus mox decidit omnis.

„ Erit fortasse qui stupeat, dum veteres nænias no„ vam in scenam induci videt, putidasque fabellas à „ nobis jamdudum datâ operâ confutatas, novis tibiis „ decantari, iis planè dissimulatis, quæ scripsimus in „ oppositum, quasi obliterari illa possent, & ab eruditorum mentibus deleri tam brevi spatio. Nos con„ tra nihil ista miramur; quibus dudum perspectum est, „ si quid ab Sociorum aliquo alicubi gentium, in com„ munis causæ præsidium scriptum est, id à cæteris u„ bique terrarum velut ex condicto indesinenter obtru„ di, atque ad ravim usque decantari, tametsi fuerit id „ sexcentis scriptionibus confutatum.

„ Id scilicet in Societate videre est, quod olim in Do„ donæo Jovis templo. *Erat illud* (ut scribit Suidas a„ pud Manut. in Adagiis) *Lebetibus æreis undique cin„ ctum, ita ut invicem sese contingerent. Unde necessum „ erat fieri, ut uno quopiam pulsato, vicissim & omnes „ resonarent sonitu per contactum ab aliis in alios succeden„ te:*

„ *te: durabatque in longum tempus tinnitus ille, videli-*
„ *cet per orbem redeunte sono.* Ita nunc Socii. Si quis
„ alicubi, communis commodi studio, næniam ali-
„ quam, seu novam opinionem quamlibet laxam, etiam
„ lugentibus cunctis præcinuerit, eandem ubivis gen-
„ tium ceteri vocem reddunt, idem carmen, quasi
„ succedente per vices sono alii succinunt: ut planè
„ *Tot pariter pelves tot tintinnabula credas Pulsari. . . .*
„ Nec spes est ut sibi temperent, oraque comprimant,
„ tametsi futilem cantilenam congestis magnâ mole li-
„ bris eventiles: sed contra potiùs, obfirmatis animis,
„ rerumque exitu dissimulato, eamdem ævo integro
„ fabulam ingerent: ut sin minus eruditis, at aurito
„ gregi, & servo pecori fucum faciant.

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-QUARTUM.

Præcipuarum Academiarum Censuras floccifacere.

IN promptu sunt exempla id demonstrantia Censura-
rum utique Lovanienſis & Duacenſis de quibus suprà
§. 3. Censuræ quoque Lovanienſis adversus execran-
dam Amici propositionem, asserentis *licere Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se vel de suâ Religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetit.* Contra cujus infamis pro-
positionis æquissimam Facultatis Lovanienſis Censuram,
pro Amici sui defensione, Casuistarum pro ista propo-
sitione suffragia per totam Europam conquisierunt, si-
gnanter Caramuelis, ut constat ex epistola Zergolii ad ip-
sum, quâ ipsi in tantum adulatur, *ut ingeniorum facem* appellet, addatque Doctores Lovanienses *rubore suffun-dendos*, quòd eam opinionem stigmate notaverint, cu-
jus protectionem *Magnus Caramuel susceperit*, ut videre est Theol. fundam. fund. 55. pag. 542. Quid verò Ca-
ramuel post tam adulatoriam Jesuitarum submissionem? *Doctrinam*, inquit, *Amici solam esse veram, & oppos-tam improbabilem censemus omnes docti.* Nullum proin-
de de Facultate Lovanienſi doctum censuit, Lovanien-
sem-

ſemque Cenſuram velut improbabilem abjecit. Sed benè eſt, inquit Sinnichius in Vindiciis Decalogicis *c.* 23. §. 2. *n.* 13. quòd Lovanienſem Cenſuram Romana Cenſura confirmaverit, ut ipſemet Caramuel fatetur in Lugdunenſi editione anni 1657. ubi de eadem Amici opinione dicit, *Cùm rejecta ſit à Romanis Cenſoribus, & propter illam fuerit Amici liber. . . . ab Eccleſia interdictus, eſſe omninò improbabilem.*

Et numquid propter Pariſienſem Lovanienſemque Cenſuram propoſitionis Baunii, de neceſſaria cognitione malitiæ actionis ad peccandum formaliter, ab ea propoſitione Jeſuitæ receſſerunt? Imò Cenſuram ipſi cenſurantes in eadem propoſitione ferè tota Societas permanſit.

Numquid etiam propter damnatam à Sorbona Caſuiſtarum Apologiam, Apologiæ defenſionem Jeſuitæ abjecerunt? Imò in Sorbonam petulanter inſurrexerunt, uti fidem facit epiſtola encyclica de qua infrà. Sed antè audiendus ſæpè memoratus Auctor Hiſtor. Congreg. de Auxiliis in illius Hiſtoriæ defenſione pag. 54. *Cenſuras non paucas pro varia conditione temporum in Societatem ejuſve privatos ſcriptores expedivit Theologiæ Facultas Pariſienſis, ceterarum toto Orbe mater & caput. Quale de Jeſuitis judicium tulerit anno* 1554. *norunt omnes, nec ego obductam illius cicatricem refricare velim; ſed anno* 1626. *die* 4. *Aprilis Antonium Santarellum gravi Cenſurâ notavit, quam peculiari Decreto tabulis ſuis inſcribendam, & quotannis publicè legendam ſanxit Academia univerſa* 20. *ejuſdem menſis. Illarum exemplo ejuſdem Santarelli librum proſcripſere eodem anno Academiæ Gallicæ Cadomenſis, Remenſis, Tolozana, Burdegalenſis, Pictavienſis, Valentina, Bituricenſis &c. ejuſdem anni menſe Septembri Franciſci Garaſſi ſummam Theologicam confixit. Non paucos de Sacramento Confirmationis errores ab Angliæ Sociis procuſos Cenſorio ſtigmate inuſſit anno* 1631. *Stephani Baunii ſummam de peccatis, proſcripſit anno* 1641. *Famoſam Caſuiſtarum Apologiam gallicè ſcriptam à Jeſuita Piroto feriit anno* 1659. *Matthæum de Moya, ſub Amadæi Guimenii larva latitantem Cenſorio mucrone per-*

cussit anno 1665. Propositiones plures Gobiani, Comitis, Dezii, de Religione & Cultu Sinensium reprobavit anno superiori 1700. Quid interim Societatis Professores? Contra Censuras illas *certant pro aris & focis..... suam inustis Sodalibus advocationem accommodant, congestis magna mole libris & scriptionibus, in iis sales omnes advocant, ut Academiarum Principem ejusque Censuras ludant, Sorbona judicia flocci facienda, nullius auctoritatis ac roboris habenda, Sequanam non transire, à viris livore percitis cadi, malo genio animisque in transversum actis fabricari aiunt.* „Celebre olim Sorbonæ nomen fuisse, judiciumque in pretio habitum; postea „ paulatim illius auctoritatem viluisse, eruditione destitui, scatere calumniis, fæcem esse celebris Academiæ, inania esse Censurarum ejus nomina, Jesuitæ Angli scripserunt, *etiam iis duriora congerentes, quæ vel referre pudor esset.* Istis similia congerunt Gallicanæ Societatis Provinciales in epistola encyclica ad Rectores & Superiores tenoris sequentis:

Reverende Pater, Pax Christi.

„ Non est demonstrandum, quòd nos attonitos reddant tot Censuræ. Si de Sorbonica vobis Censura „ sermo injiciatur, dicite quòd in Sorbona non pauci „ sint Doctores ignari, favoreque promoti. Quòd librum illum non benè perceperunt, qui Censurâ notarunt; quandoquidem illâ suâ Censurâ *damnent celebriores* sui sæculi Doctores, magisque commendatos „ præcipuis in Academiis, in quibus sententias illas „ cum plausu tradiderunt, in ipsa quoque Sorbona. „ Quòd Censuræ istius sollicitatores fuerint Jansenistæ, „ ut sese ulciscerentur de impetrata à Jesuitis Romana „ litterarum suarum damnatione. Quòd Fabricatores ejusdem fuerint inquieti homines, factioque „ Curionum in Societatem conjuratorum. Quòd per „ ejusmodi Censuras, gloriæ suæ maculam non semel „ aliàs Sorbona intulerit. Quòd Aurelianensem virginem velut sagam damnaverit, damnandoque causa fuerit occisionis ipsius per ignem Quòd à fidelitatis Sacramento Francos absolverit sub Henrico III.

„ Quòd

„ Quòd nomen ipſius eradi juſſerit è Canone Miſſæ,
„ populoque inhibuerit orare pro ipſo. Quòd adver-
„ ſus Henricum IV. multa decreverit. Quòd Socie-
„ tatis inſtitutum à duobus ſummis Pontificibus ap-
„ probatum confirmatumque infami perſtrinxerit
„ Cenſurâ, aliaque multa fecerit haud minùs inſul-
„ ſa.

„ Denique quòd Doctores Sorbonam hodie compo-
„ nentes ſapientiâ non antecellant iſtos Prædeceſſores
„ ſuos, qui tam horrendè erraverunt. Iſta ſunt,
„ mi Pater, in defenſionem noſtram à vobis re-
„ ponenda, dum aliud interim remedium expecta-
„ mus.

Epiſtola iſta manifeſtum facit genium Jeſuitarum, quia illi ipſi Sorbonæ in Apologiam Caſuiſtarum, Cenſuram unanimi voto fabricatam, atque ab Alexandro VII. deinde confirmatam, ad infernum uſque deprimunt, qui tumultuariam ejuſdem Sorbonæ in Arnaldum Cenſuram, ſine lege, ſine æquitate, ſine dicendi libertate, contradicentibus propè octoginta præcipuis Doctoribus procuſam, in Cælum extulerunt, ac ſi ab oraculo falli neſcio pronuntiata fuiſſet. Ecce quomodo apud ipſos eſt *pondus & pondus, abominabile apud Deum.* Ecce quomodo convincuntur amatores eſſe non veritatis, ſed ſuæ exiſtimationis, ſecundùm cujus exigentiam iſtud apud ipſos eſt abominabile *pondus & pondus.*

ARTIFICIUM TRIGESIMUM QUINTUM.

Ipſorum quoque Epiſcoporum ſanctiſſimorum, ſapientiſſimorum, etiam præcipuorum, ac penè omnium Eccleſiæ Gallicanæ, Cenſuras contemptui habere.

EPiſcoporum judicium & auctoritatem in materia fidei & morum, omnibus ſinceris amatoribus veritatis magno in pretio eſſe debere, nemo unus eſt qui in dubium revocare poſſit. Cùm ex divinis Scripturis

& Patribus certum ſit Epiſcopos Eccleſiarum ſuarum nedum *Angelos eſſe*, ſed & jure divino *Doctores*, legitimoſque controverſiarum fidei ac morum Judices, quibus à Deo commiſſum *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*, nec alio ex fonte ſchiſmata hæreſeſque pullulent, niſi ex Epiſcoporum contemptu.

Per conſequens nemo unus eſt qui revocare poſſit in dubium, Epiſcopis debitam eſſe à ceteris fidelibus obſervantiam ſubmiſſionemque. Nec ei Jeſuitæ deſunt, dum Societatis doctrinæ Epiſcoporum favet cenſura. Propterea namque in damnato Memoriali, quod Generalis ſui juſſu & nomine Catholico Regi anno 1698. obtulerunt, de teſtimonio ſex Epiſcoporum Belgii dixerunt, præſumi non poſſe, unanime tot illuſtrium Epiſcoporum teſtimonium obnoxium eſſe falſitati.

Verùm quàm diſpar (pari in cauſa) eſt ſenſus loquelaque ipſorum, de judicio non ſex, ſed longè plurium, ſapientiâque & ſanctimonia illuſtriorum Galliæ Epiſcoporum, Sociorum vel errores, vel libros improbantium, vel eos probantium libros, quos Socii non probant?

Anno 1643. celeberrimus Doctor Antonius Arnaldus, aureum vulgavit librum *De frequenti Communione*, à ſapientioribus ſanctioribuſque Eccleſiæ Gallicanæ Archiepiſcopis Epiſcopiſque triginta non ſolùm approbatum, ſed & adoptatum, & mirè commendatum, velut continentem doctrinam ſaluberrimam, ſanandiſque peccatoribus neceſſariam. Unanimi tot & tam illuſtrium Epiſcoporum judicio ſeſe ſubmiſerunt Jeſuitæ? Imò prorſus illud contempſerunt, ipſoſque Epiſcopos velut hæreticos, Eccleſiæque ſeu Religionis ac Status peſtes, omnes pudoris metas tranſiliendo, omnemque impudentiam prætergrediendo traduxerunt.

Anno 1658. & 1659. prodierunt ſolemnes Archiepiſcoporum Senonenſis, Rothomagenſis, Bituricenſis, necnon Epiſcoporum Aurelianenſis, Tullenſis, Alectenſis, Apamienſis, Convenenſis, Vaſatenſis, Conſe-

ra-

ranenſis, Nivernenſis, Bellovacenſis, Andegavenſis, Ebroïcenſis, Lexovienſis, Cadurcenſis, Catalaunenſis, Vencienſis, Sueſſonenſis, Dinienſis, Vicariorumque Generalium Archiepiſcopi Pariſienſis in Caſuiſtarum Apologiam peſtiferaque ipſius dogmata cenſuræ, in quas tantus ceterorum Epiſcoporum, aliarumque Eccleſiarum aſſenſus fuit, ut adverſus eas, per totam licèt Galliam ſparſas, nemo reclamarit, præter unum Ex-Jeſuitam, quem poſtea aliis acceſſiſſe fama fuit. Tota proinde Gallicana Eccleſia Apologiæ damnationi conſenſit, ſoli Jeſuitæ unanime tot Epiſcoporum judicium contempſerunt, concitatiſque tumultibus, & ſparſis furorem ſpirantibus libellis, in Epiſcopos inſurrexerunt, ſpem quidem in Romana ponentes Curia: verùm ut ab ea quoque, ſive à Romano Pontifice Alexandro VII. (quamlibet Jeſuitis propitio) Apologiam ſolemniter damnatam intellexerunt, contumelioſis vocibus in ipſummet Romanum Pontificem (Wendrockio teſte) privatim invecti fuerunt, quemadmodum & in Innocentium XI. velut Janſeniſtam, dum ſexaginta quinque propoſitiones cenſoriâ notâ confixit; adeò familiaris ipſis eſt adverſus Jeſuiticarum Novitatum laxitatumque Cenſores & reprehenſores inſulſa fatuaque Janſeniſmi accuſatio. De Epiſcopis verò quid Honoratus Fabri in Apologetico ſuo to. 1. pag. 665. editionis Colonienſis? Vah (inquit) quid non potis ſum de illis efferre? *Abſtineo tamen præ modeſtia & cultu etiam minùs dignis debito.* Inſigne utique ſpecimen Jeſuiticæ modeſtiæ, debitæque Eccleſiæ principibus obſervantiæ,

ARTIFICIUM TRIGESIMUM SEXTUM.

Vanitatem ex confusione sua captare, dum Episcoporum Academiarumque Censuris Sociorum libri erroresque damnantur, eos pro Martyribus habendo, tamquam persecutionem passos pro causa Dei.

COnstat hoc ex Epistolâ Encyclica pag. 530. exhibita atque ex Epistolâ Curionum Rhotomagensium ad Illustrissimum Archiepiscopum suum datâ 3. Maii 1658. in quâ sic: „ Postquam protervè lacerarunt famam tot „ piorum eruditorumque Curionum, qui corruptis „ eorum principiis sese opposuerunt; postquàm in A„ pologia & alibi eos depinxerunt velut lupos crudeles, „ factiosos, pestes publicas, hostes Ecclesiæ & Regni, „ velut hæreticos flammis addicendos: nunc cùm vi„ deant hanc procaciam ab omnibus damnari, zelum„ que maxime moderatorum & amicorum suorum non „ vulgarium contra hujusmodi molitiones inflammari, „ verbo, cùm incipiant propriam infirmitatem sentire, „ & agnoscere ab inferenda persecutione necessariò de„ sistendum, se martyres simulant, fingunt afflictos, „ aiunt cruci & persecutionibus addictos. In Respon„ sione ad Factum Parisiense ad nauseam usque depræ„ dicant suam moderationem, amorem pacis, in fe„ rendis injuriis patientiam, facilitatem ad veniam Ad„ versariis concedendam.

„ Verùm, Deus bone, cujusmodi martyres! Cùm „ vident se incassum laborare ad evertendam veram Le„ gis Evangelicæ doctrinam & huic substituendam dia„ bolicam: cùm advertunt nullis jam artibus conciliari posse auctoritatem infandæ illi Apologiæ, & quò „ magis studeant ejus virus tegere tantò acriùs illam ex„ agitari ac respui: cùm intuentur quanto magis per„ suadere volunt solos Jansenistas improbare ac impu„ gnare suam Theologiam, tanto minùs sibi credi, per„ spectâ jam lippis & tonsoribus tam enormis sycophan„ tiæ falsitate: denique cùm cernunt unumquemque

„ re-

" refragari corrupta doctrinæ ſuæ, Clerum Gallica-
" num in Comitiis generalibus demonſtraſſe quantope-
" re illam abhorreret, præcipuos Concionatores è ſug-
" geſtibus in ipſam vehementer invehi, Facultatem
" Lovanienſem damnaſſe ſex & viginti ejuſdem articu-
" los, Facultatem Pariſienſem modò cenſuram quoque
" meditari, teque, Illuſtriſſime Domine, cum aliis
" Epiſcopis fulmina parare, quibus illam comminuas:
" in hoc rerum ſtatu de vi illatâ expoſtulant perinde ac
" ſi jugularentur hoc ipſo quo impetitur ut proſcriba-
" tur doctrina pandens januam uſuræ, ſimoniæ, fur-
" tis, calumniis, dolis, violentiis, homicidiis & medi-
" tatis cædibus. Quod ſanè manifeſtat quantâ pertina-
" ciâ illi inhæreant, & quanto, ut ita dicamus, furo-
" re tam portentoſis principiis patrocinentur, ne ab
" uno quidem articulo vel latum unguem diſceſſuri.

Hactenus Rhotomagenſes Paſtores. Nec minùs apoſitè & nervosè Pariſienſes in ſexto Scripto ſuo: „ Nec
" poſt cenſuras, nec poſt Eccleſiaſticæ ac ſecularis po-
" teſtatis edicta damnatas opiniones ſuas retractare de-
" crevit Societas. Laudi ſibi ducit quidlibet potiùs pa-
" ti. Contra imminentia exinde mala ſic animum ob-
" firmat, ut propterea ſe comparare audeat Chriſto Pa-
" tienti & Martyribus. Hic eſt audaciæ cumulus Je-
" ſuitis tamen familiaris, quem etiam renovant in ul-
" timo ſcripto ſuo. *Noſtra Societas* (inquiunt pag. 2.)
" *poſt Filium Dei patitur, quem Phariſæi accuſabant*
" *ut violatorem Legis. Hæc cum Chriſto opprobria pa-*
" *tiri Jeſuitis glorioſum eſt. Diſcipulos pudere non de-*
" *bet excipi ſicut Magiſtrum.*

" In hunc modum ſuperba Societas ibi triumphat,
" ubi rubore ſuffundi oporteret. Sed ſacrilegam auda-
" ciam reprimere juvat, quâ criminoſam in tuendis er-
" roribus pertinaciam præſumunt comparare Sanctæ &
" Divinæ Chriſti ac Martyrum conſtantiæ in acerbis pro
" veritate tolerandis. Ecquæ enim inter duo tam re-
" mota proportio? Filius Dei & Martyres nil niſi veri-
" tates Evangelicas aſſerebant, & graviſſima quæque
" ſupplicia ipſamque mortem paſſi ſunt ſævitie eorum,

" qui magis dilexerunt mendacium; Jesuitæ verò eas-
" dem veritates evertere studeant, nec ullum ob ple-
" ctendam eorum pervicaciam cruciatum ferunt. Jam
" quidem populis innotescunt, ægrè ferunt amici, non-
" nulli recedunt, ipsorum auctoritas in dies minuitur.
" Verùm hoccine appellant persecutionem? Consideret potiùs tanquam Dei beneficium, qui ipsos invi-
" tat ad relinquendum tot consilia clandestina, totque
" profanas occupationes, quas secum vehebat nimia ip-
" sorum auctoritas, & ad sectandum vitam magis so-
" litariam magisque conformem Religiosis, ubi incum-
" bant in exercitia pœnitentiæ, quibus alios tam facilè
" liberant.

" Equidem si ædibus suis pellerentur, bonis spolia-
" rentur, si adversarii eos persequerentur, carceri man-
" darent, vexarent. . . . . tunc Jesuitæ dicere pos-
" sent se pati, sed non *ut Christianos*, quemadmodum
" S. Petrus loquitur, nec idcircò jus haberent usurpandi
" nomen Beatorum aut Martyrum, quandoquidem i-
" dem Apostolus eos demum pronunciet Beatos, qui
" patiuntur propter justitiam *(si propter justitiam, beati)*
" & rursus secundùm insignem Ecclesiæ Patrem eun-
" demque inclytum Martyrem, *non pœna, sed causa* Mar-
" tyrem faciat.

" Sed Jesuitæ ita cœcutiunt in erroribus suis, ut eos
" pro veris accipiant putentque se non posse pati ob me-
" liorem causam. Hic supremus est obstinationis gra-
" dus. Primus est detestandas sententias propalare; se-
" cundus, declarare se nolle eas damnare, nequidem ce-
" teris damnantibus; postremus, proponere ut San-
" ctos Martyrumque socios eos qui publicam indigna-
" tionem incurrunt, quia illas pertinaciter tuentur. Ad
" hunc pervenerunt Jesuitæ. Neminem arbitramur
" aliquo pietatis sensu affectum posse non succensere
" tam iniquæ periculosæque temeritati.

ARTI-

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-SEPTIMUM.

Suam erga Decreta Pontificia præ ceteris exactam ſubmiſſionem, cœcamque obedientiam buccinare; ab ea tamen præ ceteris deficere, dum ad ſalivam Decreta non ſunt.

NUllos erga S. Sedem tam ſubmiſſos eſſe quàm Jeſuitas, paſſim jactitant Jeſuitæ; imò ſolipſi ſunt erga S. Sedem verè obedientes, ſi ipſis fides. Nec à ſexaginta circiter annis de alio ſolemniùs ſermonem inſtituunt, quàm de obedientia ſummis Pontificibus debita, de ſubmiſſione ad eorum Conſtitutiones, de formula Alexandrina ſubſcribenda &c. Cur ita? Notum eſt Orbi univerſo, ideò eſſe, quia in obedientia iſta particulare ſuum inveniunt intereſſe Innocentianam quippe Conſtitutionem, ſicut & Alexandrinas duas, noviſſimamque Sanctitatis veſtræ *Vineam Domini Sabaoth*, Moliniſmo ſuo ſtabiliendo favorabiles exiſtimant.

Verùm ipſos præ ceteris inobedientes eſſe, à debitaque ſummorum Pontificum decretis ac Conſtitutionibus, Sociorum votis adverſantibus deficere, ſequentia probant ſpecimina, ſeu exempla inobedientiæ ipſorum.

Id probant imprimis tot artes §. 5. enarratæ, quibus S. Sedis judicium, in cauſa Molinianarum Novitatum, ſubterfugere conati ſunt. Quod profectò indicium non eſt animi erga S. Sedem verè ſubmiſſi, nihilque niſi veritatem amantis; animi namque erga S. Sedem verè ſubmiſſi, nihilque niſi veritatem amantis, eſt paribus votis, parique zelo S. Sedis judicium in rebus difficilibus exquirere ac depoſcere, ſivé votis noſtris propitium ſperetur, ſive pertimeſcatur adverſum. Quemadmodum animi erga Superioris voluntatem verè ſubmiſſi eſt, pari zelo eam exequi, ſive voluntati noſtræ contraria ſit, ſive non ſit. Nec verus obediens magis fugit judicium, quàm voluntatem ſuperioris ſui,

sed ipsius tàm judicio quàm voluntati judicium suum voluntatemque submittit, in iis quæ divino judicio voluntatique non adversantur.

Secundò, id probant molestiæ, quas Clementi VIII. ad definiendam contra Molinam accincto, fecerunt. Nam ut clarissimus Author Historiæ Congregationum de Auxiliis narrat l. 2. c. 23. „ Clemens VIII. hac u-
„ nica difficultate cruciabatur (quam post dies aliquot
„ Francisco Pegnæ, Rotæ Romanæ Decano, secretò
„ detexit) ne Jesuitæ Apostolicæ definitioni subesse de-
„ trectarent. Quod facilè ex tumultuantis Societatis
„ querelis ac minis suspicari erat. Id falsum esse præ-
tendit Eleutherius, aiens, quòd calumniam hanc satis refellit perpetua Societatis erga Apostolica Decreta reverentia & observantia, votumque peculiare, quo S. Sedi ceteris arctiùs constringitur. „ Quasi ve-
„ rò (pergit Historicus in 2. edit. l. 5. c. 2. sect. 5.)
„ quod semel votum fecerint Socii, hoc fallere non
„ possint. Age nunc, Eleutheri, eaque expedita argu-
„ tatione nulli unquam Apostolicæ Sanctioni aut refra-
„ gatos hactenus Socios, aut refragaturos in ævum
„ nobis evince. Certè haud temerè de Sociis suspica-
„ tum, ne minùs reverenter Pontificio judicio pare-
„ rent, non illæ duntaxat querelæ ac minæ, de qui-
„ bus sequenti capite sermo erit, palàm faciunt, verùm
„ etiam quæ sub Paulo V. contigisse referuntur, cùm
„ jam instructum esset Pontificii Diplomatis specimen:
„ tunc enim Claudius Aquaviva, Societatis Præpositus
„ Generalis, liberali audacia Pontifici significavit, se
„ quidem, si fortè Sanctitas sua eam infamiæ notam
„ Societati inureret, dena Jesuitarum millia præstare
„ non posse, qui contumeliosa & indecora Apostolicæ
„ Sedis authoritati non scriberent. Ita ex manuscriptâ
„ controversiarum istarum Historia, à Jesuita Possino
„ elucubrata, recitat nuperus author libri gallicè in-
„ scripti, *Etat du Siege de Rome*, id est, *Status Romanæ*
„ *Sedis* to. 3 pag. 28. in Clemente VIII. . . . . di-
„ gnum profectò Sociorum erga Decreta Apostolica re-
„ verentiæ & observantiæ documentum, dignum pe-

„ cu-

„ culiaris obedientiæ ſpecimen, qua S. Sedi ceteris „ arctiùs conſtringuntur.

Alterum ſpecimen exhibent amaræ Sociorum de eodem Clemente VIII. expoſtulationes, hunc *malo in Societatem animo fuiſſe. Ab Hiſpanis in Prædicatorum gratiam circumventum. Minùs pro dignitate argumenti peritum. Moliniana doctrina, ac præſertim ſcientia media myſteria non ſatis edoctum*; quibus Joannes Martinez de Ripalda, Franciſcus Annatus, Paulus Leonardus aliique Socii abundant, teſte laudato Hiſtorico l. 3. c. 44. edit. 1. qui hoc ex ipſorum verbis probat in 2. edit. l. 5. ſect. 6. c. 5.

In familiari etiam colloquio cum Generali Prædicatorum habito, cùm eidem Clementi VIII. Generalis ſpopondiſſet, Ordinem ſuum id omne lubenti pronoque excepturum animo quod Pontificia authoritate ſanciret, Pontifex reſpondit, *eandem ſe obſequii fidem in Jeſuitis vehementer deſiderare*, addiditque, *ſat clarè perſpectum haberi, Patres Jeſuitas velle huic negotio moras injicere, conantes mihi timorem injicere, de magnis turbis inde orituris, ſi cenſuram adverſus Molinam emittam, ante auditas omnes illorum Apologias; cùm tamen jam per duos integros annos illos quotidie audierimus.* Nec ſolùm audiri voluerunt omnes ſuas Apologias, ſed „ & autho„ rem per ſeſe audiendum, conſulendas totius orbis A„ cademias, quin etiam Concilium Generale indicen„ dum . . . . aliàs timendum, ne Pontificiam defini„ tionem Academiæ parvifacerent, novoque diſcrimi„ ni Eccleſia committeretur, prout videre eſt in eadem Hiſtoria l. 2. c. 9. edit. 1. Cúmque D. Epiſcopus Cariatenſis & D. Agatenſis Pontifici retuliſſent, quòd Jeſuitæ *& inſolenter & impudenter in Congregatione ſe geſſiſſent, & contumeliis totam Congregationem affeciſſent*, intimum doloris ſui ſenſum ipſis beatiſſimus Pontifex declaravit, dicens: *Ut vobis fatear, adeò me iſti perturbant, ut penè mentis errore ex perturbatione me afficiant*, prout videre licet ibidem c. 18. An non iſta præclara Jeſuiticæ erga S. Sedem obſervantiæ ſubmiſſioniſque ſpecimina?

Tertiò, idipsum probant expostulationes ipsorum tempore Innocentii X. Cùm enim sanctissimus iste Pontifex anno 1646. quo Congregationem generalem Societas habebat, auditis primariis Congregationis Patribus, ad instantiam plurimorum ex ipsis, pro reformandis abusibus, qui in regimine Societatis emerserant, Constitutionem edidisset, sapientia & æquitate plenissimam, quâ sub pœna excommunicationis ipso facto, nec non suspensionis à divinis, privationisque vocis activæ & passivæ, atque inhabilitatis ad quodcumque officium, indispensabiliter in perpetuum statuit, Congregationes generales singulis novenniis exactè celebrandas, in iisque novos Assistentes semper eligendos, Provinciales verò, Visitatores, Rectores, aliosque Officiarios inferiores nonnisi per triennium in officiis istis permanere posse, eoque elapso per annum & dimidium ab istis officiis vacare debere. Adversus Constitutionem seu Bullam istam, pro bono Societatis tam sapienter editam, Pater Avendaño ejusdem Societatis in Thesauro Indico to. 2. c. 4. insurrexit, tanquam Societati *perniciosam, inconvenientem, contra ordinem fabricatam, Prædecessorum Bullis contrariam*, sicut & *juri communi*; addens quòd *dispositiones hujusmodi juxta informantium solent testificationem oriri, & . . . . quandoque accidit, ut Constitutio aliqua, etiam post deliberationem seriam, minùs conveniens, aut verò etiam disconveniens oriatur.* Et *sicut intimè adstantis alicujus vitio Constitutio notabilis, & ita perniciosa prodire potest; ita & aliorum non vera suggerentium. A quo malo neque ipsa Apostolica Sedes exempta reperitur.* Sic utique Jesuitæ Constitutiones Pontificias, summa licèt æquitate emanatas, recipiunt ac venerantur, dum ad salivam non sunt. Liber quippe ille anno 1668. Antverpiæ prodiit, de licentia Provinciali provinciæ Toletanæ, certificantis de approbatione ipsius à plerisque Doctoribus gravibus & eruditis Societatis.

Quartò, dum sociorum doctrinam Sedes Apostolica proscribit, nullum jam amplius obedientiæ, sed rebellionis & inobedientiæ specimen præbent Jesuitæ, prout

ap-

apparuit, dum Pozæ librum doctrinamque damnavit; Hiſpanicam namque Inquiſitionem adverſus Romanam, Regiamque authoritatem adverſus Pontificiam concitarunt. Palam quoque ſcripſerunt adverſus Romanam cenſuram librorum Cellotii, Baunii, Rabardei &c.

Quintò, dum Alexander VII. Facultati Theologicæ Lovanienſi Brevi reſcripſit, quo SS. Doctorum Auguſtini & Thomæ doctrinam mirificè commendavit, inconcuſſaque atque tutiſſima eorum dogmata declaravit, ex Sociis *nonnulli, in furorem velut acti, in impias has voces erupêre; laudatum Breve per diabolicam machinationem fuiſſe impetratum.* An non egregium Jeſuiticæ obſervantiæ ſpecimen erga Apoſtolicam Sedem? Porro narrationis iſtius teſtes ſunt Cardinalis Noriſius Vindic. Auguſtin. c. 6. Chriſtianus Lupus epiſt. apolog. de attrit. c. 5. Vincentius Baronius opuſc. p. 4. l. 1. ſect. 2. & 5. § 7.

Sextò, dum idem Alexander VII. infamem Caſuiſtarum Apologiam ſolemniter condemnavit, contumelioſis vocibus adverſus Romanum Pontificem Socii inſurgentes (quemadmodum & adverſus Innocentium XI. tamquàm Janſeniſtam, dum ſexaginta quinque propoſitiones, ex ipſis ferè omnes excerptas, velut ut minimùm ſcandaloſas & pernicioſas proſcripſit) modicæ ſuæ erga S. Sedem obſervantiæ & ſubmiſſionis iteratum exemplum dederunt.

Septimò, tantus etiam furor ipſorum adverſus denuntiatores propoſitionum illarum, argumentum non eſt jactitatæ ab ipſis Jeſuiticæ ſubmiſſionis, uti nec temeritas, qua in dies adhuc audent nonnullas ex damnatis propoſitionibus illis ſuſtinere

Octavò, poſt damnatam ſupradictam Apologiam, eam adhuc in deliciis habent, nec adduci poſſunt, ut eam ipſi damnent. Poſt damnatum quoque ſpeciali cenſura Stubrochium, Apologiæ Defenſorem, damnatum ipſius librum Honoratus Fabri, Pontificiam prohibitionem nihil reveritus, apologetico ſuo doctrinæ Societatis inſeruit.

Nonò, Honoratum imitatus P. Moia, ſub nomine

Amadæi Guimenii, damnatas Apologiæ laxitates tantâ adhuc petulantia sustinuit, ut piorum omnium in se concitaverit horrorem, multiplicemque sacræ Congregationis prohibitionem. Cui sese non submittentes Socii, cùm adhuc Amadæum legendum distribuerent, Innocentius XI. de ista inobedientia gravissimè conquestus, Guimenii librum non solùm iteratò proscripsit, velut Christianis moribus exitiosum, sed & flammis addixit.

Decimò, post damnatam ab eodem Innocentio XI. sexagesimam (Baunii) propositionem, P. Daniel, seu author novissimæ responsionis ad literas provinciales, etiamnùm sustinere audet, dicens propositionem illam *nihil mali continere*, uti demonstrat literarum illarum Apologista epist. XI. sicut & sustinere non veretur Sanchesii sui de restrictionibus mentalibus doctrinam, ab eodem Sanctissimo Pontifice in terminis damnatam proposit. 26. & 27. prout videre est apud eundem epist. XV. & XVI. Qui etiam epist. V. VI. VII. VIII. XIII. XV. & XVI. demonstrat, alias insuper propositiones, partim ab eodem Pontifice, partim ab aliis damnatas, variis in Thesibus libellisque Sociorum adhuc propugnari, saltem ut speculativè probabiles, propositiones utique de homicidio, de probabilitate, de peccato philosophico &c. Damnatas certè amphibologicas, mentalesque restrictiones, adhuc nonnulli defendunt Jesuitæ in diœcesi Atrebatensi cumque ipsis P. Daniel, qui prolixam dissertationem in earum defensionem, suis inter Eudoxium & Cleandrum dialogis attexuit. Ubi ergo peculiaris illa præ ceteris obedientia, ab ipsis tantopere deprædicata?

Undecimò, dum Lusitaniæ Socios Sancta Sedes solvere jussit pecuniam Cameræ Apostolicæ debitam, ipsorum disparuit obedientia, rebellio apparuit.

Duodecimò, dum eadem S. Sedes ipsis inhibuit, è fœderatis Provinciis eleemosynas à Catholicis acceptas transferre, eo quòd inde Catholici efficerentur odiosi, orphanique pueri Parochiarum ipsis commissarum, Catholicorum auxiliis destituti, cum orphanis parentum

hæc

hæreticorum in hæresi educarentur, adduci non potuerunt ut tam rationabili mandato obtemperarent.

Decimo-tertiò, dum eadem S. Sedes omnibus Missionariis cujusvis Ordinis & Instituti, etiam Societatis Jesu, iisque præsertim (quia propter eos facta fuit inhibitio, non propter alios) multoties inhibuit negotiationes, tot Pontificiis inhibitionibus usque adeo prævaluit Sociorum cupiditas congregandi divitias, ut Pontificia authoritate non potuerit cohiberi, uti demonstrat Moralis Practica Jesuitarum to. 3. c. 7. Et hinc est quòd cùm Hispalenses Jesuitæ, post accepta à viduis, pupillis, orphanis, virginibus, aliisque personis Ecclesiasticis & laïcis supra quadringenta ducatorum millia ad interesse, cum ingenti luctu scandaloque totius populi Hispalensis, turpiter cessissent foro; ideóque in jus vocati, sæcularem justitiam sub Ecclesiasticæ immunitatis prætextu vellent declinare; per sententiam supremi Castellæ Consilii edictum est, ut Laïcorum more à Judicibus sæcularibus judicarentur, qui Laïcorum more negotiabantur, prout testatur Illustrissimus beatæ memoriæ Episcopus Joannes de Palafox in epist. ad Innocent. X.

Decimo-quartò, cùm in favorem laudati Palafoxii, Episcopi Angelopolitani, nonnullæ emanassent Resolutiones S. Congregationis, adversùs Patres Societatis Mexicanæ, iis obedientiam submissionemque tam diu recusarunt, ut necesse fuerit eas ad ejusdem Episcopi instantiam, renovari, per breveque Innocentii X. confirmari, cum clausula, ut Breve Præposito generali Jesuitarum intimaretur, cum mandato executionis, sub pœna ducatorum mille auri de Camera, uti testantur præstantissimi Curiones Parisienses in nono Scripto suo.

Decimo quintò, veri obedientiæ filii tantâ cum insolentia, tantoque cum scandalo Vicariis & Legatis Apostolicis, in Angliam, Indiam &c, à S. Sede missis, non resistunt, cum quanto Jesuitæ in Anglia restiterunt Episcopo Calcedonensi, ad desolatæ Ecclesiæ Anglicanæ regimen à Papa misso, adversùs quem Catholicorum

rum partem concitarunt, conspirationibusque & secretis delationibus molitionibusque suis effecerunt, ut ex Anglia pedem referre Episcopus ille à Rege Angliæ compelleretur, ut soli ipsi in Anglia dominarentur. Nam ut eminentissimus Cardinalis de Monopoli tempore Clementis VIII. Francisco Pegnæ dixit: *Hi Jesuita. . . . per superbiam suam. . . . . alios Religiosos & Doctores floccifaciunt, hac præconcepta opinione, alios omnes indoctos esse & ignaros*, ideóque soli ubique dominari volunt.

Ob suam etiam rebellionem adversus Vicarios Apostolicos à S. Sede in Indiam missos, S. Sedem usque adeo offenderunt, ut à Tunquinensi & Cochinchinensi Missione per S. Congregationem de propaganda fide excluſi fuerint (uti conqueritur P. Franciscus Noel Jesuita in literis ad fratrem suum in Machao datis 23. Novembris 1686.) neque enim ab optatissimis Missionibus istis ob suam obedientiam excluſi fuere: ob suam igitur rebellionem.

Ob quam etiam ipsis (præ ceteris) novitiorum receptio per totam Italiam, Insulasque adjacentes, ab Innocentio XI anno 1684. interdicta fuit.

Et ecce similem ob causam, in offensionem magnam Sanctissimi D. N. Clementis XI. inciderunt, ob suam utique rebellionem adversus Illustriss. D. Carolum Maigrot Vicarium Apostolicum Fokiensem, in Regno Sinarum, nunc Episcopum Cononensem, sicut & adversus Eminentissimum D. Cardinalem de Tournon, Patriarcham Antiochenum, ejusdem Sanctissimi Domini Legatum à Latere, & Visitatorem Apostolicum in præfato Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis.

Cùm enim Illustrissimus Maigrotius magno zelo magnoque divini cultus incremento, & animarum lucro, nullo laborum, molestiarum aut injuriarum aspectu territus, ethnicam superstitionem, omnemque idololatricum cultum, à Christianis, in Apostolico Vicariatu suo existentibus extirpare niteretur, à Jesuitis ad Imperatorem effrænatè delatus, & apud ipsum accusatus,

ab

ab Imperatore non ſolùm vio enter impeditus fuit regiminis ſui jura exequi, ſed & captivatus, ſive carceri pro religionis cauſa mancipatus apud Jeſuitas accuſatores ſuos.

Eminentiſſimus verò Cardinalis à Turnone, in epiſtola proximè ſubjicienda teſtatur, ſe paſſionum & contumeliarum ipſius eadem in cauſa comparticipem fuiſſe, tribulationeſque multas & magnas paſſum, ob exaſperatum à Jeſuitis deſperatè agentibus adverſum ſe Imperatorem procurataque ab iiſdem varia impedimenta commiſſi ſibi regiminis & Apoſtolicæ Sedis Mandatorum executionis, quæ rem Chriſtianam iſto in Imperio in magno diſcrimine poſuerunt, in ingentique periculo ne quid deterius contingat. Quæ omnia conſtant ex ejuſdem Turnonii epiſtola ſcripta ex urbe Liñ Chiñ die 6. Octobris 1706 ad laudatum Epiſcopum Cononenſem, cujus tenor eſt ut ſequitur.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine.

„ Inter navigationis otia mente ſæpiùs revolvens ea quæ „ poſterioribus menſibus ante meum diſceſſum iſthinc „ præter expectationem contigerunt, neſcio an doloris, „ vel gratulationis officiis ad Dominationem tuam Illu„ ſtriſſimam animum meum convertam. Flendum quip„ pe eſt ſuper Epiſcopo pro Religione captivo; non tàm „ propter captivitatem quàm propter perſecutionem, & „ eò amariùs quò magis inauditum, quòd pro cuſtodibus „ habeat ſuos Accuſatores, hoſque Religioſos.

„ Sed ubi Spiritus Dei, ibi libertas; & cum gaudio le„ gimus beatos qui propter veritatem & juſtitiam per„ ſecutionum ſuſtinent tormenta.

„ Horreſcent aures piæ audiendo quòd Eccleſiaſtici Pa„ ſtores à ſuis provocentur Adjutoribus ad Gentiles tan„ quam ad Judices de arcanis Chriſtianæ Legis; & qui„ dem concitato priùs in illos iſtorum odio ad fraudes & „ injurias non minus in Religionis quàm in Epiſcopalis „ dignitatis contemptum. Quæ enim participatio juſti„ tiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

„ Negleĉto tamen perſecutionis Auctore nonne exul„ tans canit Eccleſia: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpe„ ctu

„ ctu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine
„ Jesu contumeliam pati? Quæ igitur Ecclesia Dei sacrâ
„ exultatione commemorat cum mœrore tractabimus?

„ Etenim pro nomine Jesu patitur qui pro gloria &
„ sanctitate Evangelii convicia reportat, atque ad vin-
„ dicandum divinum cultum ab inquinamentis super-
„ stitionum & à verbis mendacii legitimè certat, nullo
„ molestiarum aut injuriarum aspectu territus.

„ Quâ sanè laude zelûs Dominationis tuæ Apostо-
„ lico Brevi nuper à me allato non tam commendatur
„ quàm præmunitur. Quonam hominum figmento ea
„ tibi poterit unquam auferri?

„ Dicere lætanter potes: Locuti sunt adversum me lin-
„ guâ dolosâ, & sermonibus odii circumdederunt me;
„ cúmque loquebar illis impugnabant me gratis.

„ Gratis siquidem qui sine crimine impugnaris, qui
„ impugnaris ut noxius, cùm sis in confessione lauda-
„ bilis. Sed qui insurgunt in te confundentur, & vi-
„ debis Sapientes in eorum stultitiâ comprehensos; ju-
„ stus autem lætabitur, scriptum est enim: *Perdam sa-*
„ *pientiam sapientium & prudentiam prudentium reprobabo.*

„ Si quæ verò prudentia est damnabilis, ea utique quâ
„ per vim & insidias vitia sua tegere, noxia pro bonis,
„ falsa pro veris ostendere quidam nituntur, & quæ si
„ dicerentur à se facta puderent, per alios subdolè pa-
„ trasse gloriantur.

„ Inauditum sanè consilium in mentem cedit istorum
„ Prudentum, probatæ scilicet vitæ testimonia, non
„ operum præstantiâ, sed minarum vi & vexationibus
„ exigendi à Visitatore Apostolico, & ab eo extorquen-
„ di, metu humanæ potestatis interposito, ut integer-
„ rimi Episcopi famam eorum damnatis praxi & opi-
„ nionibus infensi, calumniis inficerent apud summum
„ Pontificem. Nonne in his confundetur eorum stul-
„ titia?

„ Hujus etiam naturæ est Tartarica illa expeditio quâ
„ ad novum violentumque Dominationem tuam traxere
„ certamen, in quo victor remansit Captivus; in quo
„ vulnera non pectori sed animo, quò acerbiùs eò glo-

„ rio-

„ riosiùs, fuerunt inflicta ; in quo denique fratres ha-
„ buisti Aggressores , & passionum comparticipem,
„ quem jure sperabas ultorem.

„ De hoc utique ego semper in Domino gloriabor,
„ quia hæc est vera fraternitas ; & si gloriari oportet ;
„ quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor , gaudens quòd
„ nos infirmi , illi autem sint potentes. Atque utinam
„ ficut fui contumeliarum particeps , ita sim & præmii
„ per virtutem illius qui pro peccatis nostris seipsum
„ obtulit hostiam immaculatam in abundantia miseri-
„ cordiæ , & est merces nostra magna nimis ex dono
„ promissionis.

„ Gaudemus igitur in hac sanctâ expectatione : in
„ multo tamen fateor experimento tribulationis est gau-
„ dium meum , cùm cogito ad graves difficultates in
„ hac Missione auctas Evangelicæ prædicationi & Apo-
„ stolicæ Sedis Mandatorum executioni ex temerè ibi
„ gestis & ab Imperatore procuratis , super quibus non
„ habeo requiem spiritui meo , quamvis nihil mihi in
„ his conscius sim.

„ Ea enim quæ ad Religionem , ad causam Dei (à
„ quâ tua est indivisa) atque ad Pontificiam potestatem
„ spectant corde satis impavido , ni fallor , sustinui ,
„ quantum mea fragilitas & rerum conditio permisit.
„ Quæ mea sunt contempsi ; quæ regiminis , omnibus
„ notum est quanta pro meo munere obeundo sim
„ passus.

„ Jam verò desperatè agentium furorem quæ ratio-
„ num vis , quis pœnæ timor , quæ potestas cohibere
„ valebat ?

„ Omnia perperam adhibui. Ab infligendis censuris
„ abstinuisse non me pœnitet ; saltem ut in illius cedat
„ pudorem , qui haud pridem ex causis longè leviori-
„ bus quàm ipse sit reus , fratres suos ejusdem Socie-
„ tatis vitandos enunciare præsumpsit usque ad Aulæ
„ Pekinensis murmurationem & derisum ; quique in
„ suos semper latrans cùm jam in alios dentes acueret
„ seni Catulo ab Imperatore meritò fuit comparatus.

„ Sed potissimum quia rei Christianæ hujus Missionis

„ in

„ in tantò discrimine positæ, ne in deterius contingeret „ mansuetudine magis quàm pœnæ rigore erat consu- „ lendum.

„ Omnia si quidem quemadmodum Dominatio tua „ experta est efferènatè ad Imperatorem deferebantur, „ ubi crimina tutum inveniebant sub tanto Patrono „ præsidium, per fas & nefas eos defendere volente „ per quos periculum imminebat, prout sæpiùs à Re- „ giis Præfectis audivi declaratum.

„ Per vim solvuntur jura regiminis, nullaque potestas „ ubi nulla vivendi ratio; & cum hujusmodi naturæ „ hominibus patientiâ vincendum est, animadversio „ quippe utilior plerumque graviorque redditur cuncta- „ tione; at verò emendationem quæramus non pœnam.

„ Rogamus Dominum Messis ut alios mittat Opera- „ rios in Vineam suam, vel istos, si sperare licet, ad „ meliorem revocet frugem. Non clamemus, Utinam „ abscindantur qui nos conturbant: sed potiùs oremus „ Deum ut nihil ampliùs mali faciant, non ut probati „ appareamus, sed ut boni ipsi efficiantur.

„ Interim verò absens quidem corpore, sed spiritu „ præsens ad Dominationem tuam invidis gratulationi- „ bus convertor, de hoc quod ex adeò justâ causâ pro „ glorioså scilicet Ecclesiâ non habente maculam aut ru- „ gam ibi violenter detineatur, non tam ad supplicium „ quàm ad coronam. Nova etenim seu protracta oc- „ casio fortitudinem suam probandi æmulatione potiùs „ digna est quàm commiseratione.

„ Ego sanè vehementer optarem ibi adesse gaudii ad- „ jutorem, & non minus passionum socium quàm „ consolationis, quæ abundat in omni tribulatione no- „ stra per Christum, pro quo, licèt indignus, legatione „ fungor.

„ Ac propterea invideo sortem Joannis Catechistæ „ viri de Missionariis jam pridem benemerentis, qui „ pro me detentioni Dominationis tuæ fuit adauctus, ut „ injuriæ fierem consors non meriti: libenter tamen „ audio de eo, quòd hæc constanti animo ferat, exem- „ plo Dnis. tuæ proculdubio confirmatus, quandoqui-

„ dem

„ dem firmitatis virtus in hujus Miſſionis neophytis per-
„ quàm rarò invenitur. Eum plurimum ſaluto in Jeſu
„ Chriſto & charitati tuæ commendo.

„ De cetero confortamini in Domino & in potentiâ
„ virtutis ejus corroboramini; nam vereor ne plures ad-
„ huc & quidem graviores Dnem. tuam expectent tri-
„ bulationes, cùm modò ea ſit ibi inter amaritudines
„ omni humano ſolatio deſtituta: ſed jam non eſt par-
„ vulus fluctuans qui circumferri poſſit omni vento do-
„ ctrinæ in nequitiâ hominum & in aſtutiâ ad circum-
„ ventionem erroris; & fidelis Deus non patietur Eam
„ tentari ſupra id quod poteſt, ſed faciet etiam cum
„ tentatione proventum, ita ut ea majori qua inter
„ catenas Apoſtolus utebatur ſcribendi libertate dicere
„ poterit D^io. tua: Chariſſimi, nolite jugum ducere
„ cum infidelibus; nolite noxiis eorum operibus aſſen-
„ tiri; nolite dare ullam offenſionem, ut non vitupere-
„ tur Miniſterium noſtrum. Et utinam in ſancta & re-
„ ligioſa animi ſimplicitate hæc audirentur ad corre-
„ ptionem, non ex invidia, ſed ex charitate prolata!

„ Verum quis etſi auctoritate pollens, eos monere
„ poteſt de peccato, quin ſtatim hoſtis reputetur, &
„ ex eo damnabilis?

„ Omnis igitur fiducia noſtra eſt per Chriſtum, à quo
„ nos ſpero futuros innoxios, quemadmodum à tantis
„ periculis nos eripuit & eruit, & in quem ſperamus
„ quoniam & adhuc eripiet, adjuvantibus vobis in ora-
„ tionibus pro nobis; in meis, etſi ex infirmitate con-
„ temptibilibus, non ceſſabo memoriam facere veſtrûm;
„ & hic interim in oſculo ſancto fraterni amoris Domi-
„ nationem tuam amplector.

Ex his luce clarius eluceſcit Jeſuiticus genius, per mendacia; per calumnias, per violentias, per recurſum ad laïcas Poteſtates, etiam Gentiles, opponendi ſe Vicariis & Legatis, etiam à Latere, à S. Sede miſſis, eoſque effræni audaciâ & furore perſequendi, etiam cum ingenti detrimento rei chriſtianæ, dum contrariantur, etiam ex mandato Apoſtolico, praxi & opinionibus ipſorum. In reſponſione quidem ad quæſita Illuſtriſſimi Maigrot.

S. Con-

S. Congregatio Sancti Officii, & ſanctiſſimus Dominus, honori & famæ ipſorum conſulens, noluerunt ipſos velut Idololatriæ fautores traducere, pro eo quòd Sinenſes Ritus, revera idololatricos, idololatricos non eſſe ſenſerant, priuſquam eos idololatricos eſſe S. Sedes definiiſſet, ſperans quòd, finita jam cauſa, S. Sedis mandatis, ea qua decet, humilitate & obedientia forent obſecuturi. Aſt quanta cum obſtinatione & inobedientia per recurſum ad Imperatorem ethnicum mandatorum illorum executioni obicem interjecerint, epiſtola Eminentiſſimi Turnonii demonſtrat, ſicut & libellus præcedenti anno 1709. ab ipſis vulgatus, quo decretum Pontificium, proximè memoratum, velut imprudenter editum, revocari poſtulant *. Eant igitur, & buccinare deſinant ſuam erga S. Sedem præ ceteris obedientiam, videantque quàm verè Illuſtriſſima Domina Lionnea in celebri epiſtola de 23. Aprilis 1701. ſic ipſos allocuta fuerit: *Diſcrimen inter amicos filii mei, & vos, Patres mei, in eo ſitum eſt, quòd ipſi obediant S. Sedi non emiſſo peculiari de obedientia voto; vos autem non obediatis, emiſſo illo voto.*

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-OCTAVUM.

Cenſuris, notis & conviciis aliorum afficere opiniones, inter Catholicos controverſas; nolle autem iis ſuarum opiniones affici.

ET iſtud novum eſt Jeſuiticæ erga Pontificia decreta inobedientiæ argumentum; notum quippe eſt univerſo Orbi, quotidie Socios in libris, libellis, & Theſibus ſuis Pontificia prævaricari decreta, quibus v. g. Innocentius XI. in virtute S. Obedientiæ inhibuit, tam ipſis, quàm aliis quibuſcumque, ut *caveant ab omni cen-*

* Dum hæc ſub prælo ſudant, Pariſiis ſcribitur, Jeſuitas Gallos conteſtatam Denunciationem edidiſſe, qua Orbi univerſo ſignificant, numquam à ſe Ritus Sinenſes condemnandos, neque ſe è ſuprema altarium parte abſtaturos tabellam in qua ſcriptum eſt, KIEN-TIEN, *Colum colito.*

censura & nota, nec non à quibuscumque conviciis, contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur. Et Innocentius XII. vetuit, *ne quisquam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traducatur, nisi priùs suspectum esse legitimè constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse ac tenuisse.*

Et ideò in Memoriali cum Vindiciis librorum Patris Magistri Thomæ de Lemos, *Panoplia gratiæ* inscriptorum, Innocentio XI. à PP. Ord. Prædicat. contra indiscretas censuras ipsorum exhibito, ad argumentum, quo PP. Societatis instabant pro librorum illorum prohibitione, sub prætextu quòd censuris & notis afficerent propositiones inter catholicos hinc inde controversas, contra Innocentii XI. prohibitionem.

Responderunt PP. Prædicatores, mirum esse, quòd illi Patres tam oculati & solertes essent, in librorum illorum defectibus perscrutandis, suæque professionis libros non attenderent, qui tot notis, censuris & imposituris, contra Sanctos Patres ipsos, Authores, & propositiones adhuc in Ecclesia controversas scatent, ut si propter abductam ratiocinationem anxio illorum desiderio foret satisfaciendum, & ex alia parte justitiæ aliqualis habenda ratio, valde paucos Authorum Societatis libros ab opprobrio & pœna, quam cuperent libris Patris Lemos inflictam, immunes fore. Ex innumeris aliqua solùm delibabuntur.

P. Alfonsus Salmeron to. 4. *in Evangelic. histor. p. 31 tr. XI. edit. Colon. anni* 1602. *pag.* 473. asserit præceptum correctionis fraternæ, secundùm ordinem à Christo præscriptum, inutile esse, fomentum malorum, justitiæ exequendæ impedimentum, pessimorumque hominum ad peccandum velamen & prætextum. Bellarminus de Romano Pontifice *to.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *& l.* 4. *c.* 12. sententiam S. Hieronymi & S. Ambrosii damnat falsitatis. Lib. 1. de grat. & lib. arbitrio c. 12. ait, sententiam ponentem Deum prædeterminare physicè (quæ est omnium discipulorum D. Thomæ) eandem esse cum errore Calvini & Lutheri. Suarez in Relect. de libert.

libert. div. volunt *disp. 1. Sect. 3. n. 8.* sententiam SS. Augustini, Prosperi, Fulgentii & Anselmi, firmam non esse, & S. Scripturæ non admodùm consentaneam.

Vasquez *1. p. q. 12. disput. 32. cap. 2. 3 & 4.* ait S. Chrysostomum erroneam Armenorum opinionem docuisse, idque contra benignè ipsum interpretantes mordicùs defendit, eandemque opinionem Patribus Græcis & Latinis tribuit.

Prima p. disp 91. c. 9. & 10. D. Chrysostomum Semipelagianis annumerat. Disp. 97. c. 3. suspecta sibi dicit testimonia SS. Prosperi & Fulgentii, eo quòd fuerint exactissimi S. Augustini discipuli. Alibi apud Eminentiss. Card. Norisium in Vindic. Augustin. ait, opinionem Augustini meritò Theologis Scholasticis non probari, nam ex ea cogimur in hæresim Pelagii incidere.

Molina *1. p. q. 22. a. 1. disp. 2.* dicit, D. Thomam non solùm falsum dixisse, sed quod ipse non dubitat errorem in fide appellare. In concordia *edit. Antverp. q. 23. m. ult. Et 1. p. q. 23. m. 6. §. Quoad Augustinum*, dicit ex doctrina Augustini multos in Gallia fuisse turbatos, eorumque salutem periclitatam, imò multos ex eadem doctrina ad Pelagianismum defecisse. Et *1. p. q. 23. a. 4 disp. 1. m. 6. § Nonnulli*, & §. *Certè*, sententiam S. Thomæ Thomistarum esse errorem in fide. Et *1. p. q. 19 a. 2. disp. 2.* cum Herice, Salas & Fonseca, opinionem Cajetani, de volitione divina (quam plurimi è Soc. defendunt) esse parum tutam, piarum aurium offensivam, nimis audacem.

Maldonatus *super Joan. c. 6.* Theophylactum & Euthimium esse nimis affines Pelagianorum erroribus.

Valentia *1. p. q. 23. de reprob. p. 4.* Augustinum arguit, tanquam minus clarè locutum.

Lessius *de grat. effic.* dicit prædeterminationem indicere statum plusquam adimantinum, & Thomistas statuere Deum authorem tam malorum operum, quàm bonorum &c.

Pererius to. I. *in Genes.* ad illa verba, *Cœlum & terram*,

ram, Sancti Auguſtini dictum, *durum & inſolens eſſe.* Super epiſt. ad Rom. omnes Græcos PP. & non paucos ex Latinis, S. Scripturæ contrariari.

Dionyſ. Petavius ſuper Epiphan. pag. 244. S. Chryſoſtomum in homiliis multa falſa & boni ſenſus inania ſcripſiſſe. . . . Faſolus Patrem Navarrete ſtultitiæ inſimulat.

Henao Hyacinthum Coquetium ut ſacrilegum & mendacem, eundem quoque, & Antonium Reginaldum, alioſque Prædicatores, ut haræ Calvinianæ & Lutheranæ ſubulcos.

Henſchenius & Papebrockius P. Bandellum Ord. Prædic. Generalem, tanquam falſarium, impoſtorem & interpolatorem.

Ingens volumen non caperet ſingula convicia, notas ac cenſuras, hinc inde in PP. Societatis, libris extantes tantam ſcommatum, dicteriorum & impoſturarum farraginem continent.

Contra Pontificias prohibitiones de gratia libros Suarez, Ribas, Præpoſitus, Martinonus, Joſeph Auguſtinus, Pallavicinus, Annatus, Henao, Avendaño, Ripalda &c publicæ luci mandarunt. Hactenus Patres Prædicatores in laudato Memoriali.

ARTIFICIUM TRIGESIMUM-NONUM.

Abſque fronte negare Sociorum eſſe damnatam doctrinam, eamque fateri damnabilem, dum publica adverſus eam fervet indignatio.

DEmonſtratur exemplis: decem aut duodecim abhinc annis (inquit Montaltius epiſt. XV.) hæc vo„ bis exprobrata eſt ſententia, *Occaſiones proximas pec„ candi primò & per ſe queri poſſe*, quam Baunius ve„ ſter refert tr 4. q. 14. pag. 94. ex Baſilio Pontio, cu„ jus ſenſui *lubens ſubſcribit*. . . Quid ad hæc Cauſſinus veſter anno 1644. in Apologia Societ. Jeſu? *Legatur* (inquit) *locus Baunii citatus, legatur integra pagina, conſulantur margines, antecedentia, conſequentia, reli-*

qua, imò totus liber, ne levissimum quidem istius sententiæ reperietur vestigium, quæ nonnisi in hominem perditum possit cadere; adeòque Baunio affingi non potest nisi ab organo dæmonis. Eâdem audaciâ vester Pinterellus: *Hanc sententiam ut docere nemo potest nisi perditæ planè conscientiæ, sic Baunio adscribere nullus potest, nisi qui sit ipso dæmone deterior. Vide locum Lector, nullum nec indicium, nec vestigium ejus in toto Baunii libro invenies.*

Si propositio illa Baunio adscribi nequeat nisi ab organo dæmonis, uti Caussinus, vel ab eo *qui sit ipso dæmone deterior*, ut Pinterellus ait, *dæmone deterior & organum dæmonis* est Casuistarum Apologista, qui propositionem illam in Baunio extare duodecim post annis ingenuè fatetur, alio quidem consilio quam Caussinus & Pinterellus, sed non alio fine & scopo. Anno quippe 1644. Caussinus & Pinterellus sententiam illam in Baunio non extare dejeraverunt, quia erubuerunt fateri in Socio suo extare sententiam quæ ipsis adeò detestabilis videbatur, ut *nisi in hominem perditæ conscientiæ non caderet.* Anno verò 1656. eam Baunio tribuere Casuistarum Apologista non erubuit, quia adeò innoxiam existimavit, ut vel imperitum crederet, vel malignum, *qui hanc Baunii opinionem culparet, quæ vulgò in scholis non rejicitur:* unus proinde tribus istis Jesuitis scopus fuit, defendere, non veritatem, sed Socii sui honorem. Ideò Caussinus & Pinterellus, qui sententiam illam dixerunt *non cadere nisi in hominem perditum*, negaverunt eam Baunii esse. Pirotus verò, qui concessit Baunii esse, censuit sententiam malam non esse.

Aliis exemplis quamplurimis eadem Sociorum stropha manifesta reddi potest, utpote ipsis frequentissima; ceteris omissis unum adhuc & alterum accipe. Etiam istud Baunii dogma Sociis aliquando objectum fuit. *Etsi pœnitens consuetudinem peccandi habeat, jurandive, aut aliud quid simile admittendi contra Legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, non est tamen ei neganda absolutio, si verè eum admissorum pœnitet, ac emendandi sui propositum habeat. Dico 2. nec negandam nec differendam ei, etsi emendationis futuræ spes nulla appareat.* Quam ad objectionem, diversa quoque fuit, hinc Pinterelli, inde Brisacerii responsio.

Pin-

Pinterellus pag. 18. ſententiam illam faſſus eſt damnabilem, at Baunii non eſſe vix non per omnes Deos juravit dicens : *Quid eſt aliud, omnes pudoris metas tranſilire, omnem impudentiam prætergredi, niſi Baunio quaſi certam ejus ſententiam, tam damnabilem doctrinam affingere ? Iſtius indignitatem calumniæ, obſecro, Chriſtiane Lector, expende. Vide quibuſcum Jeſuitæ contendunt, ac decerne, num tam nefandæ calumniæ artifex non ipſius diaboli, mendaciorum parentis, interpres habendus ſit.*

Briſacerius verò p. 21. certè (inquit) *hæc habentur apud Baunium* (impudentis proinde mendacii Pinterellum arguit) *At tu qui hæc carpis, expecta dum Angelus pœnitentis Cuſtos pignori opponat pro eo quidquid in Cælo juris habet; expecta dum Deus Pater per Caput ſuum juret mentitum eſſe Davidem, cùm Spiritus Sancti inſtinctu dixit, omnem hominem eſſe mendacem, fallacem, fragilem; expecta dum ille pœnitens non ſit amplius mendax, fragilis, mobilis quemadmodum alii. Et ſic ſanguinis Chriſti beneficium nulli conferes.*

Quod ergo Pinterellus omnes pudoris metas tranſiliens, & omnem impudentiam prætergreſſus, negavit dogma illud Baunii eſſe, Briſacerius affirmavit, ſed damnabile eſſe negavit. Pinterellus verò damnabile eſſe faſſus eſt; & revera damnabile eſſe Innocentius XI. definivit, dum illud damnavit. An ideò expectari Innocentius voluit, *dum Deus Pater per Caput juraret* non omnem hominem eſſe mendacem, fragilem, mobilem &c. non, quia id Deum vel Angelum jurare neceſſe non eſt, ut emendationis ſpes aliqua affulgeat: emendationis quippe ſpes certiſſimè affulgere poteſt, tametſi emendatio non ſit certiſſimè futura, nihilque gratiæ contumelioſius eſt quàm quod Briſacerius aſſerit, ſperari non poſſe emendationem hominis, qui Dei, naturæ, vel Eccleſiæ Leges conſueverit violare, niſi Spiritus Sanctus mendacii arguatur. Peſſima proinde eſt Briſacerii concluſio, nemini tribuenda Sanguinis Chriſti beneficia, ſi iis abſolutio vel negetur vel differatur, in quibus futuræ emendationis ſpes nulla appareat.

Tertium si vis exemplum, en tibi, non minùs quàm duo priora manifestum. Evidens est ex propositionibus 70. 71. & seqq. pag. 25. recensitis, ad hoc ut (secundùm Sanchez aliosque passim Jesuitas) imputentur peccata, contra Dei Legem ex ignorantia vincibili commissa, necessariam esse notitiam seu advertentiam malitiæ actualem, non sufficere virtualem, quâ peccator Legem cognoscere potuerit debueritque. Auctor nihilominus Dialogorum seu Colloquiorum Cleandri & Eudoxii pag. 146. deposito omni pudore asseveranter dicit: *Doctrinam esse Jesuitarum omnium, ignorantiæ vincibilis peccata, seu actiones factas contra Legem, quam peccator potuerit debueritque cognoscere, facientibus imputari, tametsi eas faciant absque ulla cognitione mali, & absque prævia ulla inspiratione.*

Ecce quomodo sibimet ipsis fidem omnem, per apertam insinceritatem suam, adimunt Jesuitæ; quibus tam familiare est res certissimas, agnitamque veritatem negare.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM.

Dum publica adversus damnatam suorum doctrinam utcumque deferbuit indignatio, eam saltem ut probabilem & ut bonam sustinere, quam antè fassi fuerant detestabilem esse.

JAm verificata est stropha ista per exempla Artificio præcedenti producta. Siquidem opinio illa Baunii, de proximis peccandi occasionibus, primò & per se quæsitis, quæ anno 1644. à Jesuitis dicebatur detestabilis, anno 1656. à Piroto Casuistarum Apologista defensa fuit ut innoxia, quemadmodum & altera ejusdem, de consuetudinariis, quam Pinterellus damnabilem censuerat, à Brisacerio censita fuit irreprehensibilis &c.

Uberiùs tamen idipsum ostendunt Curiones Rhotomagenses in Epistolâ ad Illustrissimum D. Archiepiscopum suum hisce verbis. „ Hi patres evolutis tandem „ simulationis integumentis nunc audacter sustinent „ quod

„ quod aliàs non ſine execratione reſpuere & diffiteri „ videbantur. Nam in libello ſupplici quem anno „ 1644. obtulerunt Senatui Burdigalenſi contra librum „ cui titulus: *Theologia Moralis Jeſuitarum*, agno„ ſcunt propoſitiones quæ in eo libro ipſis adſcribuntur, „ eſſe *impias, periculoſas, ſcandaloſas, execrandas, exi„ tioſas bonis moribus & ſocietati civili.* . . . Verùm ab „ eo tempore ſtylum & orationem quantùm mutarunt! „ Nunc palàm profitentur ſe vindices ac protectores A„ pologiæ, quæ ſuſtinet pleraſque corruptelas ejuſdem „ *Theologiæ moralis.*

Quid mirum? Jeſuitis propoſitum eſt Moralem accommodatam tradere. Ideò ut omnibus accommodent ſeſe, uno eodemque frequenter ex ore calidum frigidumque exſufflant, etiam eadem in materia, iiſdemque in circumſtantiis, *Eſt & non eſt, licet & non licet, peccat & non peccat, tenetur & non tenetur, ſufficit & non ſufficit, damnabile eſt & innoxium &c.* Nec ſolùm ipſis propoſitum eſt Moralem tradere accommodatam variæ pœnitentium diſpoſitioni, ſeu inclinationi, verùm & Societatis utilitati, quæ poſtulat ut pro varietate temporum circumſtantiarumque flexibilis ſit moralis ipſorum, ita ut hanc vel illam propoſitionem modò approbent, modò improbent, non ex immotæ præſcripto veritatis, ſed ex varia circumſtantia temporis, ut in ipſis vetus illud dictum impleatur, *Omnia pro tempore, nihil pro veritate.* Videri poteſt Provincialium Apologiſta epiſt. IV.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-PRIMUM.

Licentioſam Caſuiſtarum ſuorum doctrinam, intolerabili audacia Eccleſiæ tribuere, non ſine grandi hæreticorum ſcandalo.

HOc eſt quod Caſuiſtarum facit Apologiſta, dum paginâ non unâ pro indubitato habet, *Summorum Pontificum adverſus quinque propoſitiones Decretis generaliter approbatam eſſe Caſuiſtarum doctrinam.* Verùm in-

sulsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæque & summis Pontificibus injuriosa videtur assertio illa. Quid enim magis injuriosum, quid magis temerarium, quid magis insulsum, quàm tot portentosarum opinionum approbationem Ecclesiæ eo tribuere prætextu, quòd quinque de gratia propositiones damnaverit, quæ nullam cum ipsis connexionem habent? An non pudet Jesuitas tam fatuâ prætensione Ecclesiam hæreticorum exponere scandalo ludibrioque? An non suam ab Ecclesia separationem hæretici isto excusant prætextu? Hoc utique fecit primùm Molinæus, deinde Drelincurtius, Jurius &c. Romanam Ecclesiam à fide defeciſſe contendentes ex tanta morum licentia, quàm devotis suis Romana, uti cum Jesuitis putant, concedit Ecclesia.

Audiri meretur hâc de re optimè differentes Curati Parisienses in quinto Scripto suo his verbis: „ Isti hostes fidei nostræ postquam ab Ecclesiâ recesserunt, „ schismati suo prætextus ostendere gestiunt. . . Ecce, „ inquiunt suis, quæ sit illorum fides, quorum communionem reliquimus. Illic universè regnat impietas. Exulat amor Dei & proximi. *Illic creditur* (inquit Minister Drelincurtius) *hominem non teneri amare suum Conditorem: Obtineri posse salutem nullo unquam in hâc vitâ elicito actu interiori amoris Dei, & ipsummet Christum potuisse mereri Redemptionem mundi per actus à charitate in ipso non productos, ut docet Sirmundus. Creditur ibi* (ait alius Minister) *licitum esse occidere ad evitandam injuriam. Non esse obligationem restituendi quando non potest fieri sine dedecore. Non solum fœminam quamcumque, sed etiam marem, ut dicit Emmanuel Su Jesuita, posse recipere & exigere pecuniam tanquam pretium prostitutionis.* . . En quantum in discrimen Jesuitæ adduxerint Ecclesiam. Cùm „ fulgor sanctitatis ejus omnibus populis venerationem „ & amorem inspirare deberet, eam hæreticorum ludibrio & contemptui exposuerunt: ita ut Jesuitis dicere queat, quod crudelibus filiis patriarcha Jacob: „ *Turbastis me & odiosum fecistis habitatoribus terræ hujus*, aut quod Deus per prophetas dicit membris sy-

„ nagogæ

" nagogæ rebellis: *Contaminaſtis terram meam in abo-*
" *minationibus veſtris, & nomen meum per vos blaſphe-*
" *matur inter gentes, cùm dicitur de vobis: Populus Do-*
" *mini iſte eſt, & de terra ejus egreſſi ſunt.* Hæc in
" nos effutiunt hæretici, & videntes horrendam ethicen,
" quæ in ſinu Eccleſiæ afflictæ graſſatur, eam dolore
" cumulant, dum dicunt per ſingulos dies: Hæc eſt
" Eccleſiæ Romanæ doctrina, hæc omnium Catholi-
" corum, quo nihil injurioſius in Eccleſiam dici po-
" teſt.

" Verùm ut magis eluceſcat quàm non ferenda ſit
" hæc contumelia, conſiderare oportet illam non in-
" ferri à ſolis hæreticis (qui cùm Eccleſiam audire no-
" lint, nullam fidem merentur) ſed etiam à cœtu non
" parum numeroſo ipſiuſmet Eccleſiæ, quod cogitatu
" horrendum eſt. Dum enim Calviniſtæ tam abomi-
" nandas ſententias Eccleſiæ imponunt à quibus Eccle-
" ſiam vindicare omnium Catholicorum foret, è con-
" trario inſurgit integra Societas, ſuſtinetque has reverâ
" eſſe Eccleſiæ opiniones. Atque ita dum Miniſtri te-
" ſtimonia conquirunt quibus perſuadeant has eſſe tra-
" ditiones Romanas, idipſum Jeſuitæ declarant & ſcri-
" pto docent, quaſi vellent (licèt reverà nolint) ſubſidio
" eſſe Calviniſtis, ut jam omiſſo labore ſufficiat ipſis
" Jeſuiticos libros aperire, in quibus abunde ſufficien-
" tes probationes reperiant. . . Atque ita Dæmon &
" horum & illorum erga propriam utilitatem ſtudio u-
" titur ad utrorumque conatus jungendos contra Ec-
" cleſiam, & alios aliorum teſtimonio roborandos dum
" utrique pariter perſuadere volunt Eccleſiam ita ſen-
" tire. Nam ſicut Calviniſtæ utuntur ſcriptis Jeſuita-
" rum ut id probent in hunc modum: Plane oportet
" has eſſe Eccleſiæ opiniones, cùm tota Jeſuitarum
" Societas illas ſuſtineat; itidem Jeſuitæ viciſſim ſcri-
" pta hæreticorum adhibent ad idem probandum hoc
" modo: Oportet omninò has eſſe Eccleſiæ opiniones,
" cùm hæretici ejus adverſarii illas impugnent. Id in-
" tegris eâ de re libellis jactitant. Itaque horrendo
" prodigio fit, ut duo cœtus inter ſe inimici, ſeſe mu-

„ tuo corroborent adjuventque ad affingendam Eccle-
„ siæ depravationem Casuistarum. Quæ falsitas horri-
„ biles secum vehit consequentias. Si enim Deus pa-
„ teretur hanc abominationem in loco sancto, ex hoc
„ fieret simul ut & hæretici nunquàm redirent ad Ec-
„ clesiam, & catholici omnes in eâ perverterentur, &
„ sic nec illis reversioni, nec his locus esset Sanctitati,
„ sed generale omnibus exitium.

„ Maximi ergo refert hanc ab Ecclesiâ contumeliam
„ depellere, quâ tam atrociter totque modis impetitur,
„ cùm simul hostes sentiat non tantùm illos qui palam
„ eminùs lacessunt, sed insuper natos proprios qui in
„ ejus sinu matris optimæ viscera dilaniant.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-SECUNDUM.

In ejusdem pestilentis doctrinæ patrocinium Decretis abuti summorum Pontificum.

HOc Jesuitæ faciunt 1. dum Decretis Innocentii X. & Alexandri VII. contra quinque propositiones non solùm abutuntur ut suprà, sed & absque fronte effutiunt solos hæreticos illi suorum doctrinæ contradicere, utpote ab Ecclesia per Decreta illa approbatæ, uti videre est in Facto Curatorum Parisiensium pag. 558.

2. Dum etiam Constitutionibus Pii V. Gregorii XV. & Urbani VIII. adversus propositiones vulgò Bajanas; sicut & Decreto Alexandri VIII. in tantum abutuntur ad stabiliendas novitates laxitatesque suas adversus primum maximumque Mandatum, necnon adversus fundatissimam in sacris litteris & traditione S. Augustini doctrinam, de referendis omnibus actionibus nostris deliberatis in Deum propter se finaliter dilectum, ut ista quoque de causa hæreticis sint scandalo, ipsosque blasphemare faciant Ecclesiam Romanam, quasi Pontificum suorum Constitutionibus à divinis Oraculis veterumque Patrum traditione, ad novitias desciverit luxuriantium Casuistarum opiniones.

Hinc decernat Sanctitas tua, Beatissime Pater, an to-

le-

lerabiles ſint Jeſuitæ illi, qui in lib. inſcripto : *Propoſitiones per Belgium diſſeminatæ &c.* ad ſupremum Innocentii XII. Tribunal damnandam detulerunt propoſitionem, quæ aſſerit, dari præceptum ſub peccato obligans ad referendos omnes actus noſtros deliberatos in Deum, quique aſſerunt propoſitionem iſtam damnatam eſſe in vigeſima ſecunda, vigeſima quinta &c. inter Bajanas? An etiam tolerabilis ſit Sabranus Jeſuita Anglo-Leodienſis in libro cui titulum fecit, *Artes Bajanæ*, cum ingenti nedum fidelium, ſed & hæreticorum ſcandalo, cumque S. Sedis injuria, eamdem propoſitionem pag. 15. 27. 28 damnatam aſſerens, nedum à Pio V. Gregorio XV. & Urbano VIII. ſed & ab Alexandro VIII. propoſit. 7. 9. 10. 11. & 15? An denique tolerabiles ſint illi Jeſuitæ, qui cum Auctore damnati problematis Eccleſiaſtici ſuſtinere non erubeſcunt, doctrinam de gratia per ſe efficaci (quam tota penè Eccleſia pro certo credit doctrinam eſſe Auguſtini) *temerariam eſſe, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam*, atque ut talem ab Innocentio X. & Alexandro VII. proſcriptam?

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-TERTIUM.

Sanctorum Doctorum ſententias adulterare, ut hoc fuco imperitis perſuadeant, ipſos Caſuiſticæ laxitatis patronos eſſe.

SAnctorum Doctorum ab eo tempore ſententias adulterare cœperunt Jeſuitæ, quo ſui Molinæ Novitates propugnandas ſuſceperunt, uti videre eſt in Hiſtor. Congr. de Auxiliis l. 2 c. 18. col. 281. ubi P Cobos oſtenditur S Auguſtinum truncaſſe, truncatumque pro ſe allegaſſe, cùm ipſi patenter adverſaretur. Libro quoque 3. c 26. col. 483. P. Baſtida convincitur ejuſdem Auguſtini teſtimonium turpiter adulteraſſe objectionem quam ſibi facit S. Doctor, pro ipſius definitione proferendo.

Et eodem libro c. 5. ejuſdem S. Doctoris textum Va-

lentia in solemni disputatione, Clemente VIII. & Sacro Cardinalium Senatu præsente, per Thomam de Lemos tam manifestè convictus fuit studiosè corrupisse, ut ab eodem Pontifice minaci vultu exclamationeque correptus, summoque ideo pudore suffusus, mentisque vertigine captus, in terram corruerit, ac tribus post mensibus obierit.

In Addendis etiam ad laudatam Historiam col. 264. & seqq. nunc in Appendice pag. 232. exhibetur responsio eximii viri Bartolomæi de Los Rios Provinciæ Castellanæ Ord Eremit. S. Aug. primarii Definitoris, & Concionatoris Regii, ad P. Magistrum Thomam de Figuerola, in qua sic loquitur. „ Anno proximè lapso „ (1649) prodiit in lucem alterum opus posthumum „ Joannis Martinez de Ripalda Jesuitæ, in quo profe„ runtur loca tam turpiter mutilata, truncata & adul„ terata, ut in eo omnem hæreticorum superet auda„ ciam. Sæpenumerò binas sententias procul à se dissi„ tas, ut ad rem suam accommodet, in unam colligit. „ Modò particulam negantem, ubi nulla est, adjicit, „ quod sensum maximè contrariè diversum efficit. Mo„ dò pro sanctorum sententiis, suas profert. Nonnum„ quam ea quæ objiciuntur, hæreticorumque argutа„ tiones (quod cæcus.... advertere potuisset) pro San„ ctorum Patrum placitis accipit. Librum suum imple„ vit innumeris locis eum in modum depravatis & a„ dulteratis, &c.

Nec hoc etiam in Moralibus & practicis infrequens est Jesuitis, ut videre est in tertio Scripto Curatorum Parisiensium, in quo apertè demonstrant; ea omnia quæ ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus, Basilio, Ambrosio, Augustino & Aquinate à Jesuitis Gallis in laxitatum suarum patrocinium allegata fuere, falsò & contra perspicuam Sanctorum illorum doctrinam allegata fuisse.

AR-

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-QUARTUM.

Eorundem Sanctorum doctrinam elevare ac deprimere, dum ipsos in suam pertrahere nequeunt sententiam.

HOc suprà visum est in Molina. Qui, præter ibi dicta, tr. de opere sex dierum *disp.* 1. dicit Augustinum *sacrarum litterarum auctoritatem sua expositione enervare & ludibrio infidelium exponere.*

Joannes Robertus Jesuita in lib. intitulato: *An Nathanael fuerit Bartholomæus Apostolus*, sic loquitur: *Si post Augustinum nihil Christianæ eruditionis accesserit, scholasticam Theologiam penitus rejiciendam fore; Augustini auctoritatem interponentibus respondendum esse, Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere, etiam eruditione. Non rectè dici, illud saltem necessariò ab omnibus esse tenendum, quod Augustinus asseruit, nec retractavit.*

Vasquez 1. *p. q.* 83. Augustini expositionem ad locum Apostoli de morte Christi pro omnibus procul abjicit. Et disp. 97. c. 3. n. 20. fatetur gratiam sufficientem juxta Augustinum, discipulosque ipsius, aliquibus denegari, sed addit: *Ab Augustino aliisque idem sentientibus peti posse, undenam sua scientiæ certitudinem hauserint.* Et 1. 2. disp. 123. c. 3. n. 14. dicit *ex Augustini sententia de peccato originis, cogi nos incidere in sententiam Pelagii.* Et disp 193. c. 4. n. 39. *Augustini vestigiis non esse insistendum, sed aliter philosophandum.*

Lessius & Hamelius articulis 14. & 15. à Facultate Lovanienſi & Duacenſi Censurâ notatis (junctis iis quæ Lessius habet de prædest. & reprob. sect. 4. n. 43.) *Augustini locutiones improprias esse, cum grano salis intelligendas, nec passim frequentandas.* t art. 23. *Utrùm Augustinus contra quod sentimus sentiat, non admodum referre.* Istas aliasque ejusmodi propositiones, usque ad duas & viginti, Hispanica Inquisitio anno 1650. declaravit respectivè falsas, improbabiles, absurdas,

malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, temerarias, erroneas, ſapientes hæreſim, & ſummè injurioſas ſanctitati, pietati & doctrinæ unius ex Eccleſiæ Catholicæ columnis, ſcilicet S. Auguſtini.

His tamen minimè obſtantibus Mariana *l. 3. de mort. & immort. c.* 6. Auguſtinum traducit ut Novatorem. Maldonatus *in c. 6. Joan. v.* 44. Auguſtini de gratiæ doctrinam, ab Eccleſia tantopere commendatam, rejicit contrariam amplexus. Petavius *l.* 10. *dogm. Theolog. c.* 1. Auguſtini de prædeſtinatione Auctoritatem dicit magnificiendam non eſſe, Tract. de ſincera Auguſt. & Trid. interpret. *c.* 4. ejuſdem de ea doctrinam brevi in ſcholis abjiciendam. Differt. 1. de Trid. Concil. & S. Auguſtini Auctorit. *c.* 4. Auguſtini doctrinam judicio Tridentini temperandam ut Catholica ſit. Jacobus Sirmondus in Præfat ſuper ſent. Auguſt. cautè legendum ait Auguſtinum. Et c. 8. de hæreſi prædeſt. ipſius de prædeſtinatione & gratia doctrinam ei ſententiæ propinquam eſſe, quæ fatum admittit. Franciſcus Annatus, *Auguſt. vindic. l.* 8. *c.* 4. contemptim de Auguſtino loquitur in eos inſurgens, à quibus Molina arguitur in eo quòd dixerit Auguſtinum, quaſi ſub caligine conſtitutum, ad concordiam liberi arbitrii cum gratia à recentioribus adinventam, non attendiſſe, ſtudioſeque colligens quæcumque ſcriptores nonnulli, Auguſtino parùm affecti, de Auguſtino temerè effutierunt, veterum autem de ipſo præconia elevans. Denique Cavill. Janſenian. *pag.* 28. omnes pudoris tranſiliens metas, dicere non veretur *Innocentium X. dum quinque damnavit propoſitiones, ſollicitum non fuiſſe, ſanctumne Auguſtinum damnaret, an non damnaret.*

Poſt ipſos Theophilus Raynaudus in Cenſura inofficioſæ Cenſuræ §. 22. duram minuſque divinæ benignitati conformem cenſet Auguſtini, Fulgentii, aliorumque Auguſtini Diſcipulorum ſententiam de tanta Pharaonis obduratione, ut ſufficienti ad reſipiſcendum auxilio fuerit deſtitutus.

Joannes Martinonus in ſuo Antijanſenio *diſp.* 12. *n.* 47. *& diſput.* 40. *ſect.* 6. *n.* 76. & in præfat. auda-

dacter pronuntiat periculoſum eſſe in materia gratiæ tantum Auguſtino tribuere Nec erubeſcit diſp. 17. n. 20. & diſp. 40. n. 65. Auguſtinum de exceſſibus variiſque in doctrina Fidei, in S. Scripturæ expoſitione, & in Ethicę hriſtiana aberrationibus incuſare.

Stephanus Dechamps *l.* 3. *de hæreſi Janſen. c.* 3. *diſp.* 1. pari audaciâ dicit, pleroſque olim Catholicos ſpectatæ pietatis ac doctrinæ ingenuè declaraſſe, Auguſtinum Pelagianæ hæreſeos odio abreptum, contrariam in partem adeo inclinaſſe, ut ſæpiſſimè Calvino magis favere videatur quàm Tridentino, Calviniſtis hâc etiam in parte arma miniſtrans.

Joannes Adam in libro hunc titulum præferente, *Calviniſmus per ſe ipſum, perque S. Auguſtini arma profligatus:* reliquos Socios ſuos contumelioſâ in S. Auguſtinum impudentiâ prætergreſſus 3. *p. c.* 6. dicit, *Auguſtini doctrinam impeditiſſimam eſſe & ſecumipſa pugnantem. Ipſius libros tenebris nubibuſque ita obductos eſſe, ut abſque profunda meditatione diſcerni nequeat quid doceat ut dubium, quid ut certum. Quid adverſarios impugnans, quid ſua defendens. . . . . Noluiſſe Auguſtinum clarè ſenſus ſuos exprimere, vel in iis exponendis haud ita felicem fuiſſe, ut de ejus mente nullus ſuperſit dubitandi locus. Auguſtinum immeritò vocari Oraculum gratiæ, Tridentinique interpretem Concilii:* Cap. 7. *in periculoſas ſe extremitates in pugna contra Pelagianos projeciſſe.* Cap. 8. *certos eſſe ipſius de gratia & prædeſtinatione exceſſus. Emolliendam duritiem verborum ipſius, ne in contrarium abeatur errorem.* Eapropter *verba ipſius rationabili lenimento* (Moliniſtico utique) *emollio* (inquit) *vitatoque Pelagianorum errore, in S. Auguſtini exceſſus non incido, ſed medium inter Pelagium & Calvinum teneo . . . . . Si enim ſublimitati verborum ipſius inſiſterem, Calviniſta eſſem.* Et rurſus: *Iſtæ Calvini opiniones quibuſdam in locis librorum Auguſtini inveniuntur expreſſæ, ſi verborum corticem ſequaris.* Et iterum: *In partis utriuſque favorem locutus eſt S. Auguſtinus.*

Similia, si non intolerabiliora debacchatus est quidam in Sermone quem pro meritis castigavit Auctor libri cui titulus : *Defensio S. Augustini contra sermonem P. Adam*, ubi narrat quòd ab amico celebri Concionatore monitus de præjudicio sibi suæque Societati per excessivas istius sermonis expressiones illato, nihil aliud ipsi reposuerit, nisi *Gabrielem à Porta Jesuitam, dicere solitum, optabile esse, quòd de gratia nihil umquam Augustinus scripsisset*. Vide artific. 38.

Ecce, Beatissime Pater, quantum gratiæ inimicis favent Jesuitæ, non sine grandi Ecclesiæ injuria, quæ Augustini armis contra eos pugnavit, & iisdem de ipsis triumphavit.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-QUINTUM.

Eosdem sanctos Doctores modernis Casuistis pares facere in corruptione Moralis doctrinæ.

QUis crederet sanctos Doctores atque etiam Sanctos Patres tam contumelioſè à Jesuitis tractari, nisi oculis suis videret, vel videre posset, P. Danielem seu auctorem novissimæ Responsionis ad litteras Provinciales pag. 68. hæc deblaterantem. „ Potuisset Paschalis, „ si voluisset, loco boni illius Jesuitæ, qui in Provin„ cialibus loquitur nomine Societatis, inducere ipsum„ met D. Thomam non minus ridicula dicturum. Opor„ tuisset tantùm proponere & in ordinem redigere cer„ tos articulos Doctrinæ Thomisticæ, quemadmodum „ fecit circa Jesuiticam, omissis probationibus, restri„ ctionibus, explicationibus, cautionibus necessariis ad „ hoc ut in praxim reduci possit.

„ Quod majus est, si impius quispiam vellet compi„ lare omnes falsas propositiones quæ exciderunt SS. „ Patribus, detorquendo insuper illas in malum sen„ sum, in quem subinde trahi possunt, mutilando eo„ rum loca, vel aliquot verba addendo, illud audeo pro „ certo ponere, eum confecturum collectionem Provin„ cialibus grandiorem, quæ non minus vocari poterit,

„ E-

„ *Ethica & Religio Patrum*, quàm aliàs libellus quidam „ inſcriptus fuit : *Theologia Moralis Jeſuitarum*, è „ quo Provinciales excerptæ prodierunt, ſed amplifi- „ catæ.

Decerne, Pater ſanctiſſime, an iſta non ſit enormis in S. Thomam, & in omnes Eccleſiæ Patres blaſphemia: Si enim verbum quodcumque Sanctis injurioſum, in eorumque tendens contemptum, blaſphemia in Sanctos vocatur, quænam oratio ſanctis omnibus Doctoribus magis injurioſa effutiri poteſt, quàm ea quâ Caſuiſtis, quamlibet corruptis, æquiparantur? Quid enim? An non injuria magna eſt, illas Eccleſiæ columnas, illos Chriſtianæ Religionis Magiſtros, illa Theologiæ luminaria magna, Theologorum inſcientiſſimis, puriores fontes Moralis Evangelicæ, Auctoribus corruptioris Ethices, Sanctitatis & ſcientiæ theſauros, iis hominibus pares facere, in quibus nec ſcientiæ nec ſanctitatis ſpecies in eorum refulget operibus? An non injurioſa comparatio illa ſanctos Doctores omnes contemptui exponit libertinorum, quemadmodum corrupti Caſuiſtæ expoſiti ſunt contemptui proborum omnium?

Verùm enimverò penſiculatiùs (cum Provincialium Apologiſta epiſt. XVII.) expendenda eſt Jeſuitica illa SS. Patrum criminatio. Suſtinet itaque Jeſuita Daniel ex SS. Patribus excerpi poſſe longè plures opiniones falſas, ridiculas, perverſas, quàm ex Caſuiſtis Provincialium Auctor excerpſerit, utpote ex quarum collectione concinnandum putat librum Provincialibus longè grandiorem. An non hoc eſt patenter aſſerere, quòd collector iſte infinitis hominibus, etiam piis & timoratis, pari fundamento perſuadere poſſet Patrum omnium Ethicen corruptam eſſe, quemadmodum Paſchalis, Daniele fatente, infinitis hominibus, etiam timoratis & probis perſuaſit, Jeſuiticam Ethicen eſſe corruptam? Illud verò aſſerine poteſt abſque gravi in SS. Patres blaſphemia? Imò blaſphemia illa indè gravior eſſe videtur, quòd id P. Daniel nedum aſſerat de Ethice, ſed & de Religione ſanctorum Patrum omnium. Quæ aſ-

ſeri-

sertio piis fidelibus omnibus horrorem incutit. Si enim vera foret, libertini meliorem ad frugem haud magis revocari possent per Sanctorum traditionem, quàm per corruptorum doctrinam Casuistarum: nec hæretici ad fidem per Sanctorum Doctorum Religionem. Quippe qui reponerent, Sanctorum Doctorum Religionem errori corruptionique æquè obnoxiam esse, quàm juniorum Casuistarum Ethicen.

Plura non addo, contentus cum provincialium Apologista Danielem Jesuitam, nomine piorum omnium, sanctorum Patrum canitiem venerantium, ad pœnam libri, sive ad propositæ conditionis executionem provocare, certus quòd promissam tot errorum laxitatumque in vetustis Patribus inventurus non sit congeriem, quæ in Jesuiticis invenitur Casuistis.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-SEXTUM.

Divinas Scripturas, Pontifices, Concilia, Patres cavillatoriis eludere glossis, ne suis suorumve aberrationibus contradicere videantur.

DEmonstratur ex Lessio l. 13. de perfect. divin. n. 442. ubi cùm asseruisset, *fortè paucos inter Christianos esse, qui propter defectum operum misericordiæ corporalium damnabantur, cùm nemo ad illa teneatur, nisi in extrema & gravi necessitate, quæ rariùs occurrit, ut hunc vel illum in particulari graviter obliget.* Sibi objicit c. 25 Matthæi, ubi Christus formam describens universalis judicii, pro ratione sententiæ damnationis impiorum, neglecta designat misericordiæ corporalis opera, *Esurivi enim* &c. Quorum si tam rara foret obligatio sub gravi crimine, transgressio istius obligationis non assignaretur pro communi seu vulgare damnationis impiorum ratione Qualis profectò esse videtur ratio sententiæ judicii universalis.

Ad hoc Lessius respondet per puram putam cavillationem, ideò utique rationem illam à Christo Judice designandam, *ut homines præsertim plebeios, qui ad majo-*

ra & ſpiritualia parùm ſunt comparati, in hac vita ad majora excitaret. Hæc autem ratio ceſſat in extremo judicio. Tunc enim homines non erunt ampliùs ad opera miſericordiæ excitandi. Quod profectò non eſt objectam ex divina Scriptura difficultatem ſolvere, ſed inſolutam eludere.

Et quid aliud eſt Vaſqueziana expoſitio præcepti Evangelici, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, quâ illud *quod ſupereſt* ſic exponit, ut numquam vel vix umquam divitibus contingat. Sic enim Vaſquez de eleemoſ. *c.* 4. *n.* 14. ſuperfluum exponit, ut ſuperfluum non dicatur, quod ad augendum pecunia ſtatum ſuum vel ſuorum reſervatur. Undè vel ipſe Vaſquez concludit, *Vix in ſecularibus, etiam in Regibus, inveniri ſuperfluum ſtatui.* Vix proinde locum habere obligationem iſtius præcepti.

Quid etiam niſi cavillatio eſt eluſioque, quod Tamburinus l 5 in Decal. c. 2. §. 3. reſpondet ad objectos ſibi Pontifices, Apoſtolumque, contra id quod docet, filios filiaſque peccatum non incurrere mortale, dum nubunt, etiam indignis, abſque requiſita parentum voluntate. *Si ſtatuit* (inquit) *Evariſtus Papa, ut pro nupta nequaquam habeatur puella, quam pater ipſe non deſponſat. Si Leo Pontifex, ſi Ambroſius aiunt, non eſſe virginalis pudoris maritum eligere, ſed judicium parentum expectandum. Si in ſacris Litteris parentibus hoc munus tribuit Sapiens. Si Paulus* 1. *Cor.* 7. *expreſſè docet à parentibus tradendas eſſe filias nuptiis. Si multa ſacrarum Litterarum exẽmpla (quæ affert Bellarminus) id manifeſtè demonſtrant. Reſponde, hæc & ſimilia probare, eſſe valdè honeſtum, ejuſmodi conſilium à patre conquirere, diram peccati mortalis neceſſitatem non probare.*

Quid de Conciliis, declarantibus obligationem diſcendi memoriter *Pater, Ave, Symbolum?* Reſpondet Sanchez l. 2. in Dec. c. 3. n. 19. *Etſi verba Conciliorum rigidè videantur loqui, & ſub mortali obligare. At conſuetudo jam expoſuit, obligationem hanc tanti momenti*

ti non eſſe. ut culpam venialem excedat illius tranſgreſſio. An non hoc eſt ludere & cavillari?

Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24 pœnas graviſſimas raptoribus decernit, excommunicationem, infamiam perpetuam &c. Quid ad hoc Tamburinus? Ubi Concilium non diſtinguit, auctoritate Magiſtrali ipſe diſtinguit *l.* 7. *in Decal. c.* 6 §. 2. *Si quis rapiat mulierem cauſa libidinis, & non ad contrahendum cum ea matrimonium, non incurrit prædictas Concilii pœnas.*

Juxta Conſtitutionem Gregorii XIV. Eccleſiæ privilegio non gaudent aſſaſini. Quomodo id eludit Eſcobar tr. 6. exam. 4. n. 27.? *Aſſaſini* (inquit) *nomine eum intelligo, qui pecunia aut pretio ad hominem incautum occidendum ex inſidiis conducitur, quare qui ſine pretio aliquem interficit* (ex inſidiis utique) *ut amico rem gratam faciat, non dicitur aſſaſinus.* Alias Conciliorum Pontificiarumque Conſtitutionum eluſiones habes ſuprà propoſit. 120. 121. 122.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-SEPTIMUM.

In earumdem aberrationum patrocinium turbam proferre ſimiliter errantium Caſuiſtarum.

SUas ſuorumque aberrationes in tuto poſitas arbitrantur Honoratus Fabri, Amadæus Guimenius, Caſuiſtarum Apologiſta, aliique Jeſuitæ, dum in earum patrocinium longa ſeries ſtat ſimiliter errantium, laxioraque ſectantium Caſuiſtarum. At perperam. Quia errantium multitudo, nullum errori dat patrocinium, nec minùs errat uti manifeſtum fecerunt Alexander VII. & Innocentius XI. dum propoſitiones multas damnarunt, damnabileſque proinde cenſuerunt, quas Caſuiſtarum turba magna tuebatur.

Juniores ergo Caſuiſtas ſimiliter errantium Caſuiſtarum multitudo non excuſat, imò tantò errant periculoſiùs, quantò cum pluribus: Nam ut Hilarius ait *l.* 6. *de Trinit. ſub initium*, *Qui errat, ex numero habet hoc impudentiæ, ut quod errat, prudentiam velit exiſtima-*

mari (audiant Probabiliſtæ) *& quòd cum multis errat, intelligentiam eſſe aſſerat veritatis, dum minùs erroris eſſe exiſtimatur in multis. Sed ideò* (inquit Auguſtinus *l. 3. contra Parmen. c. 2.*) *tamquam ſinceriſſimum ſpeculum propoſita ſunt hominibus oracula cæleſtium paginarum*, traditioque ſanctorum Doctorum, non teſtimonia molliorum Caſuiſtarum, *ut ibi quiſque videat quid ſequi, quid tenere debeat.*

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-OCTAVUM.

Caſuiſtas Patribus anteferre.

EXemplum eſt vel in ipſo Toleto (tametſi aliis minùs diſſoluto) qui *l* 8. *Inſtruct. c.* 36. *n* 3. *c* 4. recentiores Caſuiſtas ſequi maluit, quàm veteres Patres, circa eleemoſynæ communibus in neceſſitatibus præceptum. Cajetanus, inquit, videtur dicere eſſe obligationem ſub mortali eleemoſynam ex ſuperfluis faciendi in communibus neceſſitatibus. *Et S. Thomas 2. 2. q. 32. a 5. videtur idem dicere. . . . . Tamen communis opinio* (Caſuiſtarum) *tenet contrarium. . . . Iſtam teneo, propter communem. . . . Tamen Doctores ſancti. . . . damnant ſuperflui retentionem ſub mortali. Multùm ergo timendum eſt.* Ecce Toletus agnoſcit ſanctos Doctores ſtare contra communem Caſuiſtarum opinionem, & nihilominus Caſuiſtas ſequi mavult, communemque opinionem ipſorum præfert contrariæ ſententiæ ſanctorum Doctorum.

Exemplum aliud eſt in Azorio, qui l. 10. *Inſtit. Moral. c. 31. q. 13.* quærit, *An quando nocturna pollutio talis eſt, qualem S. Thomas deſcribit, impediat Miſſæ Sacrificium eo die, etiam poſt debitum cordis dolorem & confeſſionem?* Pro affirmativa refert S. Thomam, S. Bonaventuram, B. Albertum magnum &c. Ipſis nihilominus præfert Caſuiſtas junio.es, quorum oppoſitam ſequitur ſententiam.

Quemadmodum & Filiutius diſputans de diſpoſitionibus ad S. Communionem requiſitis, *to. 1. tr. 4. c. 6.* ubi

ubi cum junioribus Casuistis adversus SS. Patres docet, ad primum Eucharistiæ effectum necessariam non esse devotionem actualem, nec effectum illum per voluntariam impediri distractionem, nec per peccatum veniale actuale ipsam concomitans sumptionem. *Quòd si sancti Patres videantur*, inquit, *plus exigere, intelligendi sunt vel in ordine ad magis fructuosam sumptionem, vel quoad consilium.* Adulterinâ expositione istâ (quam Sanctorum textus refutat, factum suum pallians, quo Casuistarum opinioni) sanctorum Patrum sententiam postponit, Reginaldi Cellotiique regulam secutus, quòd in iis quæ mores concernunt, veritas à *Novitiis scriptoribus* potiùs *haurienda sit quàm à veteribus.*

Quæ profectò regula prorsus est rejicienda, & à Clero Gallicano anno 1700. jurè proscripta est. Quia veteres SS. Doctores specialibus Deus prærogativis decoravit, ut posteris tam in materia morum, quàm fidei, admirationi essent, & magisterio, hoc præsertim audacis ignorantiæ seculo, quo *immensum* penè *levissimorum scriptorum examen, quasi odiosa vesparum ac tabanorum acies* (ut Petrus Aurelius ait in Vindiciis pag. 241.) *sincero doctrinæ melli, & oculis Doctorum infesta sese profudit. Antea pudor aliquis, vel aliqua in publicum prodeundi verecundia erat, nec facilè dabantur in lucem Theologicæ lucubrationes, nisi quæ audiri saltem, sive legi mererentur. Nunc Jesuiticæ ambitionis aura, & falsæ gloriæ æmulatio, innumera tenuium ingeniorum millia, velut infimam* (respectivè ad Sanctos Doctores) *plebeculam pestilenti contagio pervadens, pudorem obruit, mentium sensus obstupefacit, ut sua propudia* (seu novitia commenta) *publicare, suas mundo offerre labes gestiant, quasi privatim peccare nefas esset. Quo fit, ut. . . . in tantis lascivientium scriptorum acervis, ita paucos, pro illa multitudine reperias, quos perpensa rerum cognitio, librata judicii maturitas, dictorum suorum alienorumque delectus commendet. Ita verò multos, in quibus nihil singulare, præter promiscuam loquacitatem, temerariam de rebus ignotissimis & minimè meditatis disserendi fiduciam, incredibiles à veris purisque fontibus evagationes, importunè*

nè ſolùm repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros, imparia undique materiis propoſitis ingenia, ut minùs mirari oporteat paucos illos extitiſſe, qui ſeculo laboranti ſubvenirent, quàm hoſce tam multos, viliſſima imperitis mercimonia, palàm proponere auſos eſſe, quibus rude vulgus & ſemidoctorum turbam, quæ longè maxima eſt, ac ſemper fuit, inducerent.

Ecce quales ut plurimùm ſunt, quos ſanctis Eccleſiæ luminaribus Jeſuitæ anteponunt, quæ tamen dicta non velim in contemptum recentium omnium ſcriptorum, (eorum ſaltem, qui pietate & eruditione inſignes, non ex corruptis Caſuiſtis, neque ex nova ſectantibus, ſed ex puris Moralis Chriſtianæ fontibus, Scripturâ & Traditione, Moralia ſua derivant dogmata) verùm ad caſtigandam eorum ſtultitiam, qui nihil niſi Tamburinos, Eſcobarios, Baunios, Gobatios alioſque ejuſmodi Caſuiſtas ſciunt, ex purulentiſque eorum placitis conſcientias dirigùnt, Chriſtianique Orbis Magiſtri eſſe volunt. Quorum quamlibet multorum apud germanos Theologos, nullo in pretio eſſe poteſt auctoritas.

ARTIFICIUM QUADRAGESIMUM-NONUM.

Principia in antiquitate fundatiſſima, inter Theologoſque præcipui nominis receptiſſima, inſimulare ut nova, impracticabilia, extravagantia, erronea.

EJuſmodi principia ſunt, quæ in Arnaldi libro *De frequenti communione*, tot ſapientiſſimorum Epiſcoporum præconiis commendato, in Huyghenii *Methodo remittendi retinendique peccata*, in *Theologia Sanctorum, de uſu Sacramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ* aliiſque ſimilibus libris in antiquitate fundatiſſimis continentur, præſertim quoad diſpoſitiones ad Sacramenta illa ritè ſuſcipienda à ſanctis Doctoribus requiſitas.

Ea tamen Jeſuitæ Galli, Belgæ, Angli, &c. (quibus nihil ita antiquatum, nihil ita obſoletum, nihil ita peregrinum, quàm Doctrina Sanctorum venerandaque cauities veterum Patrum) contra certiſſimam veritatem in-

inimulant *ut nova* (Novatores potiùs ipsi) contra certissimam experientiam (ab ipsis etiam sodalibus suis Emerico de Bonis & Paulo Segneri testificatam) traducunt ut *impracticabilia*, contra sobriam denique sapientiam diffamant ut *extravagantia*, *erronea* &c. Quia nimirùm talia videntur doctrinam praximque aliam nescientibus, nisi extravagantium errantiumque Casuistarum suorum, Baunii, Tamburini, Fabri, Escobarii, Piroti, &c. Qui utique à via veritatis ideò erraverunt atque extra eam divagati sunt, quia Moralem doctrinam suam ex germanis Ethices Christianæ fontibus non deprompserunt, sed *foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas*, quæ doctrinæ salutaris *continere non valent aquas*, cisternas scilicet extravagantium phantasiarum suarum, quæ in varia ipsos præcipitia deduxisse videntur ex tot ipsorum fœtidis propositionibus suprà enarratis. Sed super hoc judicium Tuum, Beatissime Pater, expectabimus.

ARTIFICIUM QUINQUAGESIMUM.

Adversariis suis errores imponere, quos disertè rejiciunt.

PRæter dicta numero III. id Provincialium Apologista epist. V. demonstrat de variis propositionibus (*quòd* utique *semper sequendum sit tutius, quòd conscientia quietari nequeat, nisi per evidentiam seu demonstrationem geometricam parem, quòd ignorantia invincibilis à peccato non excuset*, &c.) quas Wendrockio, disertè eas refellenti, imponit P. Daniel in novissima responsione sua ad Provinciales. Idipsum non semel à variis demonstratum est de plerisque propositionibus, quas larvatus Auctor Franciscus Simonis, Auctoresque damnatorum libellorum, *Jansenismus omnem destruens Religionem*, *Jansenismus exoticè rigidus* &c. Huyghenio, Obstratio &c. per calumniam imposuerunt.

Suprà etiam Artificio XXI. pag. 502 recensuimus nonnullas propositiones Arnaldo per Jesuitas Romæ (dum ibi

ibi examinaretur liber *de frequenti Communione*) per impoſturam attributas fuiſſe, quas ſola iſtius libri lectione refelli Sociis ſuis Cardinalis de Lugo teſtificatus eſt.

Denique (omiſſis reliquis) noviſſimè in Theologia Sanctorum vindicata p. 1 hoc ipſum perſpicuè oſtenditur in refutatione articuli VI. cujus fabricator Sabranus fuiſſe dicitur, famoſus ille *Bajanarum Artium*, ſeu Jeſuiticarum fabularum, pueriliumque impoſturarum Artifex.

ARTIFICIUM QUINQUAGESIMUM-PRIMUM.

Eoſdem adverſarios ſuos calumniatores vocare, dum non illi, ſed ipſimet calumniatores ſunt.

INnumeris demonſtrari poteſt exemplis, quorum plurima extant apud Provincialium Apologiſtam epiſt. 2. 3. 4. 5 6. 7. 8 9. 10. 12. Verùm ne prolixior ſit Denuntiatio noſtra, pro iis remitto ſpecialiter ad epiſtolam VIII. in qua de peccato agitur Philoſophico, quod à Sociis admiſſum negat Auctor nuperæ reſponſionis ad Provinciales, negat & admiſſa à ſuis principia illius, contrarium aſſerentes calumniatores appellans. Verùm enimverò ipſummet calumniatorem eſſe, productis formalibus Sociorum textibus (quos etiam §. 8. nos produximus, tota Centuria II. à pag. 30. ad 48) luce meridiana clariùs evincit. Vide ibi (Lector) nec ſatis mirari poteris Jeſuiticam audaciam in negandis veritatibus ad oculum adeò patentibus, ut à ſolis obſtinatis agnitæ veritatis negatoribus inficias iri queant.

ARTIFICIUM QUINQUAGESIMUM-SECUNDUM.

Victoriam canere dum certiſſimè victi ſunt.

ET iſtud ad oculum demonſtrat Provincialium Apologiſta epiſt. VIII. citatâ, in qua poſteaquam ineluctabilibus argumentis demonſtravit peccatum Philoſophicum à Sociis multis admiſſum fuiſſe velut poſſibi-

le

le, & subindè contingens, nec contrarium absque effronte audacia dici posse (quod & à nobis demonstratum est loco proximè allegato) in Antagonistam suum hisce insurgit verbis: „ Quâ ergo fronte audes adhuc venditare „ quinque aut sex illas sociorum tuorum epistolas de pec„ cato Philosophico tanquam scriptiones in suo genere „ perfectas, & quæ Jesuitarum innocentiam ineluctabiliter demonstrarint? Quin igitur respondebas his „ quæ statim protuli, vel quin ostendebas vestrum A„ pologistam iis respondisse? Quod si neutrum facere „ potuisti, cur victus ipse victoriam canis? Dum pro„ ducta fuit Thesis vestra Divionensis, negare non po„ tuistis, quin eam capiendo ad verbum contineret hæ„ resim, atque ut imminens huic thesi fulmen à cer„ vicibus vestris averteretis id unum fuit effugium ve„ strum dicere professorem fuisse locutum de peccato „ Philosophico tanquam de hypothesi moraliter impos„ sibili, & nullum Jesuitam aliter fuisse locutum. Ad „ hoc repagulum expugnandum supererat in medium ad„ ducere Theologos è vestris, qui fuissent locuti de „ peccato Philosophico, velut de re planè possibili, im„ mò qui ejus existentiam admisissent. Denuntiatio„ num Auctor id clarissimè probavit. Quapropter nul„ lum dedistis responsum. Obmutuistis ut pisces. Et „ post hæc pœana canetis Societatique trophæa strue„ tis? Profectò planè miranda videretur hæc agendi „ ratio, nisi notum esset Jesuitarum ingenium. Vide, Lector, hac de re plura ibidem &c.

Vide & Historiam Congregationum de Auxil. in causa Molinæ *l.* 4. *c.* 20. nunc *cap.* 24. ubi sic legitur: „ Ut primùm vulgari cœpit Pauli V. rescriptum, quo „ judicii promulgatio in aliud tempus mittebatur. . . . „ in Hispania. . . . usque adeò Jesuitæ falsis reportatæ „ victoriæ rumoribus plebem universam occupaverunt, „ ut penè Prædicatores digito monstrarentur. Nec ve„ rò eis hujuscemodi mendaciis plebem alere satis erat: „ hanc etiam Salmanticæ, Vallisoleti, Valentiæ, Vil„ lagarciæ, Toleti, publicis gaudii significationibus re„ crearunt. Feriæ universis studentibus triduum indictæ;

„ dictæ, volatilium ignium feſtivi apparatus, publicæ „ fabularum actiones, tauri per plateas & vicos agita- „ ti, triumphales arcus magna mole poſiti, quorum „ in fronte aureis litteris inciſum erat, MOLINA „ VICTOR: atque inter eos profanæ gentilitatis lu- „ dos, ſolemnia Sacra in gratiarum actionem offere- „ bantur. ...

„ Verùm non diu penes vanos triumphatores men- „ dacii ſui ſtetit uſura. Romam quantociùs perlata res „ eſt. Epiſtolas tranſmiſſorias, quibus amicos de re- „ portata victoria commonuerant, aut ad indictos lu- „ dos invitaverant, Notariorum fide recognitas, nec „ ſine riſu legit Paulus V. . . . . Hiſpanis Epiſcopis, „ Inquiſitoribus, ceteriſque viris Religioſis, qui vanos „ Societatis triumphos. . . . denunciaverant, ab Ora- „ tore Regio, Franciſco Pegna & Thoma de Lemos „ reſcriptum eſt per communem epiſtolarum formu- „ lam, ſibi in anteceſſum exhibitam; legit ſemel & „ iterum Paulus V. atque in hunc modum emendavit, „ quem ab eis in ſcribendo ſervari voluit.

Hæc porrò erat epiſtolarum formula. . . . . *Legi quæ ſcripſit Dominatio veſtra circa Auxiliorum controverſiam. Obſtupeſco vehementiùs quòd contra Sanctitatis ſuæ mentem hujuſcemodi fabulas dictitare, atque in vulgus ſpargere audeant. Certiſſimum quippe eſt, nihil à S. D. N. definitum eſſe. Imò poſt reſervatam ſibi determinationem, eam etiamnum animo meditatur & tractat. Quapropter qui oppoſitum affirmant aut divulgant, ſummæ impudentiæ rei ſunt & injuriæ quæ Sanctitati ſuæ & Apoſtolicæ Sedi irrogatur. Hoc unum eſt quod mihi hac in parte omni aſſeveratione, omnique quanta haberi poteſt morali certitudine, dicere liceat. Reſcribas ſi quid in oppoſitum tentari contigerit, ut dignoſcantur inobedientes. Romæ* 8. *Januarii* 1608.

„ Statim atque reſcriptum iſtud (quod jubente ac „ veluti dictante Pontifice miſſum clariſſimi viri ſigni- „ ficabant) in Hiſpaniis exceptum eſt, tota evanuit „ inanium triumphatorum gloria, qui tot mendacio- „ rum pigmentis ſtolidam plebem implanaverant.

Nec tamen ideò cessavit ipsorum ridenda vanitas: nam uti laudatæ Auctor Historiæ prosequitur, in buccinandis scientiæ mediæ triumphis, Socii in aliis Christiani Orbis partibus perrexerunt quo in Hispania cœperant pede, maximè in Gallia, Belgio & Leodii. Cúmque Remis 5. Decembris 1696 hanc publicè sustinere ausi fuissent propositionem: *Doctrina Ludovici Molinæ. . . . . tam validè impetita. . . . & coram SS. Pontificibus tam diligenter agitata, tamquam aurum in fornace probata, purior inventa est. . . . & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.*

Mendacem istum triumphum Illustrissimus Archipræsul Remensis Carolus Mauritius le Tellier solemni censurâ dejecit 15. Julii 1667. Jesuiticam propositionem illam, *uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam & in errorem inducentem* proscribendo per publicum Decretum ad Academiam Remensem directum, quod summâ Eruditorum omnium veneratione meritissimè susceptum fuit, ob ea quæ diximus §. 5.

CONCLUSIO.

Ista sunt scandala, Beatissime Pater, quæ an non verè scandala sint, per Jesuitas emergentia in regno Dei, id est in commissa tibi Ecclesia Christi decernet Sanctitas tua, cujus judicio nos & quæcumque diximus prorsus submittimus.

Tam corruptam interim in Jesuitis doctrinam pii deplorant Fideles, utpote ex qua ipsi etiam scandalizantur infideles. Deplorant & tantam in ea sustinenda pertinaciam, deplorant denique superbiam, quam præ se ferre videntur tot illæ artes strophæque Jesuiticæ, quas ideò denuntiamus Sanctitati tuæ vestræ, ut decernat ac judicet, an non sit reformanda Societas, & an non in ea impletum sit tertii Generalis ipsius S. Francisci de Borgia vaticinium extans in editione Iprensi litterarum emanatarum à Generalibus Societatis pag. 57. *Veniet tempus quo se Societas multis quidem occupatam litteris, sed sine ullo virtutis studio intuebitur, in qua tunc vige-*

vigebit ambitio & ſeſe efferet ſolutis habenis ſuperbia, nec à quo contineatur & ſupprimatur habebit.... Atque utinam jam non hoc totum experientia ipſa ſæpiùs teſtata docuiſſet *.

An non meritò etiam Generalis Aquaviva in epiſt. de 31. Julii 1602. omnibus Societatis alumnis ſpeciale injunxerit examen, an non cauſam darent tribulationibus quibus Societas agitabatur, indecoriſque rumoribus qui de ea ſpargebantur, quòd liberioris eſſent doctrinæ addictique Novitatibus?

Item an non verè Generalis Mutius Viteleſchus in epiſt. ad Superiores Societatis data 4. Januarii 1617. dixerit quòd *nonnullorum ex Societate ſententiæ (in rebus præſertim ad mores ſpectantibus) plùs nimiò liberæ, non modò periculum eſſet ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia adferant detrimenta.*

Quale profectò de Jeſuitis judicium fuerit ſanctæ recordationis viri Alani de Solminihac Epiſcopi Cadurcenſis, miraculis clari, ſatis ipſe ſignificavit, dum Abbati Ferrerio Albienſis Epiſcopi Vicario generali, penè moriens, inter ſuprema mandata dixit: *Sibi Jeſuitarum doctrinam ac diſciplinam diligentiſſimè perſpectam, nec quidquam à ſe prætermiſſum, quo ipſos in viam reduceret, ſed irrito labore. Quamobrem illos à ſe judicari magnos Eccleſiæ hoſtes, dignoſque quos omnes Eccleſiæ filii averſentur & fugiant; quod ſuum de illis judicium ut ejus operâ multis, ac præſertim Epiſcopis innoteſcerent, à ſe vehementer optari.*

Quale denique de iiſdem judicium fuerit ſanctæ etiam memoriæ Joannis Palafoxii, Epiſcopi Angelopolitani (de cujus ſolemni Apotheoſi Romæ agitur) ſatis etiam

* In hac Epiſtolæ Borgianæ particula plura adulterata eſſe in poſterioribus Editionibus, jam pridem obſervatum eſt in volumine tertio Moralis Practicæ Jeſuitarum p. 89. Enimverò poſt illam editionem Iprenſem a. 1611. recuſa eſt Dilingæ anno ſubſequenti 1612. eadem collectio Litterarum Præpoſitorum Societatis, cum iiſdem mutationibus quæ cernuntur in Editione Antverpienſi a. 1635. & in altera quam Germani Bibliopolæ emiſerunt in lucem anno 1702.

ipse declaravit in epistola ad Innocentium X. de die 8. Januarii 1649. in qua (sanctè protestatus, nihil à se de Societate scribi ex siniſtro in illam affectu, sed ob solum Christianæ Religionis incrementum, majusque Societatis bonum) Sanctitatem suam certiorem facit, quòd nisi religiosam illam Societatem (alioqui sanctissimam) intra justæ laudabilisque reformationis limites Sedis Apostolicæ constantia prudentiaque cohibeat, Ecclesiæ non solùm non erit proficua, quin semper magis magisque exitiosa in iis quæ animarum directionem concernunt. Epistola illa incipit per hæc verba: *Beatissime Pater, Sacris tuæ Sanctitatis pedibus provolutus*, extatque (cum aliis scriptis ejusmodi laudatissimi Episcopi) in Archivis Matritensibus Carmelitarum Discalceatorum, quibus eam ipse consignavit. Verba indè excerpta n. 99. hæc sunt. *Ista, Beatissime Pater, protestatione christiana præmissa, ea ingenuitate & sinceritate qua decet & licet filio qui Patrem, viro Christiano qui Christi Vicarium universalem alloquitur, profiteor Religionem istam, aliàs sanctissimam, si intra cancellos justæ & honestæ reformationis à Tua integritate & sapientia non arceatur, jam non tam utilem quàm animarum regimini, quod nobis Episcopis competit, nunc certè jam exstare, & magis tractu temporis noxiam esse futuram.*

Hæc habui, Beatissime Pater, Sanctitati tuæ denuntianda, inerrabilique judicio ipsius filiali submissione committenda: *Tu* enim *Successor Petri, providebis quomodo liberes Sponsam* à tantis scandalis, *à labiis iniquis & à lingua dolosa. . . . Cùm esses parvulus in oculis tuis, Deus te constituit super Gentes & Regna. Ad quid? nisi ut evellas & destruas, & ædifices & plantes. . . . . Itaque ad consummationem virtutum, & ne quid minùs feciſſe inveniamini à magnis Episcopis, Antecessoribus vestris, capite nobis, Pater amantissime, vulpes quæ demoliuntur vineam Domini. . . . . non jam parvulæ nec pauculæ, sed certè grandiusculæ & multæ sunt, nec nisi in manu forti, vel à vobis exterminabuntur.* At *vestrum agnoscatis, Pater Clementissime, principatum*

pro-

probetis *zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem. . . . Si veſtrâ auctoritate conteritis* morum *corruptores.* Verbis uſus ſum Bernardi epiſt. 189. Concludo itaque cum eodem epiſt. 92. *Magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.* Quia, ut ait epiſt. 188. *Ad vos ſpecialiter ſpectat tollere ſcandala de regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas,* Et ideo, *ſi judicatis me juſtè moveri, movemini & Vos; ac ne fruſtra moveamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate quâ polletis, pro poteſtate quam accepiſtis, quomodo qui aſcendit ad cœlos deſcendat uſque ad inferos.*

ARIÆ MONTANI
EPISTOLA
AD
PHILIPPUM II.
HISPANIARUM REGEM.
SACRA CATHOLICA REGALIS MAJESTAS,

TAnquam fidelis & obligatus ſervus ſecundùm ſimplicitatem Chriſtianam, & pro fide in omnibus illis debita, quæ ad Dei Veſtræque Majeſtatis ſervitium, & ad rectam Rerump. ipſi ſubjectarum adminiſtrationem pertinent, ut eo nomine, quantum in me eſt, faciam, teſtor ac moneo, unam illarum rerum quas Majeſtas Veſtra Gubernatori ac Miniſtris, qui in Belgio ſunt aut poſthac erunt, ſeveriſſimè debet injungere, eſſe iſtam, ut caveant Jeſuitis commiſceri, ne quicquam negotiorum cum illis communicent, neque ad id, quod nunc habent auctoritatis vel opum in his Provinciis, ullam acceſſionem faciant: in ſpecie autem, ut Gubernator Belgii nemine illorum pro Prædicatore, vel Confeſſario uti audeat. Deo enim & conſcientiâ

teste, perspectum habeo tam hoc quàm quicquam aliud referre ad rem Majestatis Vestræ, & ad liberam exsecutionem boni Regiminis harum Provinciarum. Et Majestas V. pro certo habeat, perpaucos in Hispania inveniri, extra ipsorum Societatem, qui pluribus & certioribus, quàm ego, argumentis perspectum habeant, quæ sint illorum prætensiones seu studia, qui fines, quantoque ingenio & conatus ad fines sibi propositos connitantur, similiterque de multis eorum rebus particularibus, quibus observandis non ab uno, sed jam indè à quindecim annis animum adverti. Albanum Ducem in iis, quæ ipso Gubernatore affectarunt aliquanto tepidiorem fuisse accepi, neque dubito quin eum ad id impulerint causæ ad rem Majestatis V. pertinentes: quo nomine prius privatim, post etiam publicè, de illo dolentissimè questi sunt. Nunc verò ob allatum de novo Gubernatore nuncium triumphant, & gloriosè jactitant se apud illum plus quàm vellent ac postularent, commoditatis & auctoritatis habituros. Totus enim NOSTER est, aiunt illi, solemni inter illos loquendi formula. Neque verò dubium habeo, quin enixè facturi sint quidquid poterunt, ut voto potiantur. Visum mihi est pro eo ac debeo ejus rei Majestatem V. peculiari Epistolâ certiorem facere, quam Gastelo perferendam credidi, etsi ille argumentum ejus ignorat: nec enim me præterit quos passim exploratores habeant, ut, quid de suis & alienis negotiis agatur, resciscant quantique nocumenti, & quàm tectas exerceant inimicitias contra minoris auctoritatis homines, quos quovis modo rerum suarum quicquam non satis ex suâ libidine attingere intelligunt. Negotia particularia literis perscripta Majestati Vestræ tædium afferrent. Ego aliud nec desidero, nec postulo, quàm Majestati V. inservire, nec quicquam ei molestiæ adspergere, cujus Regiam Personam & Coronam Deus longum prosperet ad sancti sui Nominis gloriam. Antverpiæ a. d. 18. Febr. Anno 1571.

S. C. R. M.

Besa les pies de V. M. su Capellan y Criado

ARIAS MONTANO.

AD
ARTES JESUITICAS
APPENDIX.

IN QUA

Demonſtratur Alphonſi Huylenbroucquii Societatis Jeſu vindicationes adverſus præſentem librum frivolas eſſe ac prorſus infundatas.

§. I.

Refelluntur allegationes ipſius in libri ſui proœmio.

SUas adverſus Aletophilum Vindicationes ab hiſce verbis inchoat Huylenbroucq, *Non eſt ſervus major domino ſuo*; Sociorum utique ſuorum morem imitatus, quorum dum errores, ſeu opiniones exorbitantes ex charitate reprehenduntur, ut corrigantur, vanitatem ex confuſione ſua captantes, reprehenſoribus ſuis objicere ſolent, quod per ipſos Societas perſecutionem patiatur, ſicut per Phariſæos Filius Dei reprehenſus fuit, tamquam violator legis. Societati proinde glorioſum eſſe, in opprobriis cum Jeſu partem habere.

Sed quam in eo ſeipſos fallant, ſapientiſſimi Curiones Pariſienſes in Scripto ſuo ſexto, luculente demonſtrarunt. Quid hoc enim aliud, niſi obſtinatam in defendendis erroribus ſuis pertinaciam (parallelam facere cum ſancta divinaque Jeſu Chriſti conſtantia in ſuſtinendo perſecutionem pro veritatis defenſione) manifeſtare? Quod

certissime impium est. Quæ enim proportio inter defensores Evangelicarum veritatum, & defensores exorbitantium opinionum, veritatibus illis adversantium? Dei Filius, & Sancti Martyres ad mortem usque, & supplicia laboraverunt pro veritatis defensione. Socii è contra multi non videntur laborare, nisi pro veritatis & Moralis christianæ destructione. An non hoc exemplo suo demonstrarunt tot damnatarum propositionum defensores? Taliumne reprehensio persecutio est? Imo gratia potius ac dilectio.

Seipsos ergo frustra reputant beatos, pro nomine Jesu contumeliam patientes: cùm beati non sint, nisi qui persecutionem patiuntur propter justitiam & veritatem christianam, cujus defensores ipsi verius persequuntur impostoris, calumniis, dolosis artibus, & sua magna apud Potestates Ecclesiasticas & regias potentia. Desinat proinde Huylenbroucq veritate & Lectorum patentia abuti, quemadmodum abutitur, dum post relata Evangelica verba illa, *non est servus major Domino suo*, subjungit: *Summos Pontifices. . . . . dominos suos, minima Societas, quâ par est, demissâ pietate venerari studet. . . . Qui hos persecuti fuerint, & nos persequentur. Ex quo vivimus, nemo Summis Pontificibus injurius fuit, qui in hanc Societatem insurgere prætermiserit.* Quasi soli illi Socios redarguant, qui Summis Pontificibus injurii sunt. Imo sine SS. Pontificum injuria Huylenbroucquius hoc asserere non potest. Tametsi enim Summos Pontifices, qua par est demissa pietate Societas veneretur, dum ad ipsius salivam aliqua sanciunt. Profecto non ita, dum Socios vel Sociorum placita damnant, prout ex sequentibus manifestum fiet.

Nec Societatem ergo, seu sanctum ipsius Institutum, insectatur Author Jesuiticarum Artium, nec illos de Societate, qui à primævo sanctissimi Fundatoris sui Ignatii spiritu non recesserunt, sed eos dumtaxat, qui ab eo spiritu deviantes, atque ad profanas novitates, à spiritu illo alienas declinantes, tradita à sanctis Prophetis, à Christo in Evangelio, ab Apostolis, à Summis Pontificibus, à Patribus, à tota Antiquitate, de gratia

& moribus christiani hominis dogmata defendentes, velut Novatores (Novatores ipsi) velut etiam Bajanos, Jansenianos, Quesnelianos, uno verbo velut hæreticos, non sine summorum Pontificum injuria traducere non verentur. Non est hoc profecto summos Pontifices ea qua par est demissa pietate venerari, sed ipsis injurium esse, quasi in Bajo, Jansenio, Quesnello traditam à tota sacra Antiquitate doctrinam noviſſimè damnaverint. Et quasi non è contra ab Alexandro VII. & Innocentio XI. graviſſimè improbata sit *luxuriantium ingeniorum licentia, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus, irrepsit modus opinandi, alienus omnino ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, quam si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela.* Et quasi non ab Innocentio X I. in Brevi ad Episcopos Belgii districtè vetitum esset, *ne quis in Jansenismi suspicionem induceretur, nisi prius suspectum esse legitimè constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse ac tenuisse.*

Si laudatos Pontifices quâ par est debita pietate atque obedientia Huylenbroucq venerarctur, Socios suos, per quorum luxuriantia ingenia, in rebus ad conscientiam pertinentibus tanta irrepsit opinandi licentia, aliena prorsùs ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, tam pertinaciter non tueretur, nec adversus Innocentianum illud Decretum, quemadmodum & adversus certissimam veritatem & justitiam diceret, Aletophilum unum esse ex illis hominibus, qui longa consuetudine neminem ignorare patiuntur, quàm nihil Apostolico Summorum Pontificum judicio tribuunt, & qui contra Concilii Tridentini, Regumque suorum Edicta, *Artes Jesuiticas* sine Authoris nomine, & Ordinarii approbatione typis mandari fecit, novis etiam typis, post libri illius proscriptionem. Quod denique religioni ita contrarius sit, ut hæreticam Jansenii libri pravitatem, palam & disertis verbis defendat ac tueatur, prorsus irreverens in Pontificias Constitutiones Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XII. & Clementis XI.

In his nec verbum unum est, Huylenbroucqui, à veritate non alienum, sed tot impostura & convicia maligna, quot verba. Enimvero profer, Calumniator audaciſſime, vel unam ex quinque propoſitionibus, ab Innocentio X, ſeu alio Pontifice damnatis, quam Aletophilus ſuſtineat, aut ſuſtinuerit unquam; quam cum certiſſimum ſit à te proferri non poſſe, fatere te, non ſolum atrociſſimæ Calumniæ reum, ſed & Apoſtolici Brevis Innocentii XII. prævaricatorem; ſicut & tot Socios tuos, Janſenianam hæreſim objectare ſolitos Theologis apprimè Catholicis, ſibi adverſantibus, tametſi eos nunquam ſuſpectos eſſe legitimè conſtiterit, aliquam ex quinque famoſis propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe. Nec magis verum eſt quod Aletophilus contra Tridentini Concilii Regiaque Edicta Artes Jeſuiticas typis ſive prioribus, ſive poſterioribus mandari fecerit. Neque enim ipſe, ſed alius quiſpiam, in cujus manus libri illius copia pervenerat, eas typis, tam prioribus, quam poſterioribus (Aletophilo non rogante, prout ſanctè jurare poteſt) mandari fecit.

Nec tamen de inobedientia erga Eccleſiam, vel Regem, facile convinci poteſt, quiſquis hiſce in circumſtantiis hoc fecit. Quia tametſi juſtæ ſint Eccleſiæ ac Principum leges, pro librorum editione varia requirentes; quemadmodum juſtæ ſunt leges jejuniorum, & miſſæ diebus feſtivis audiendæ: ex Doctorum tamen omnium ſententia ab iis ſervandis juſtæ excuſant circumſtantiæ, v. g. in quibus periculum eſt injuſtæ perſecutionis, vel in quibus viri præpotentes injuſtam dant operam, ne, cum formalitatibus ab Eccleſia, vel à Rege requiſitis, ulli prodeant libri, adverſus pernicioſa ipſorum dogmata conſcripti per quibus ſolenne eſt, velut Bajanos & Janſenianos injuſtè perſequi librorum illorum, tametſi ſaluberrimorum Authores, vel ipſorum etiam Sanctorum exemplo docemur, perſecutionem quidem temere non quæſitam, v. g. martyrium, fortiter ferre, ſed non temere accerſere.

Et quid eſt, quod in hoc Aletophilo potius moleſtus eſt Huylenbroucq, quàm tot Sociis ſuis, qui licet (ob po-

potentiam ſuam) nihil timeant, tot quotidie libros typis mandant ſine formalitatibus ab Eccleſia præſcriptis? Ex quibus viginti duos vel viginti tres apud ſe eſſe Illuſtriſſima Domina Lionnæa in celebri epiſtola ſua teſtatur. Et quid eſt quod Pater Andreas Blancus ſaluberrimum ſuum adverſus probabilitates librum ſub proprio nomine publicum facere auſus non fuit, ſed ſub adſcititio nomine Candidi Philaletis; ſicut & Pater Eliſalde ſub nomine Celladei, niſi propter metum ne à ſuis alioqui perſecutionem paterentur?

Huylenbrocquio proinde Aletophilus ruminandos offert hoſce verſus.

Huylenbroucq comprime zelum,
Non ſit tam ignitum cor tuum.
Cur me martyrem vis eſſe
Dum te exopto utilem eſſe?
An non ſatis eſt quod hic Author
Laude dignus ſit Confeſſor?

Gallicè ſic:

Votre zele eſt trop emporté,
Moderez votre charité.
C'eſt trop de donner le martyre
A ce cœur, que le ciel inſpire:
N'eſt-ce pas aſſez pour cet Auteur
Qu'il ſoit un digne Confeſſeur?

Pergit nihilominus in calumniando Huylenbroucq, cum addit, quod tres partes complectitur tota Artium Jeſuiticarum machina. Prima doctrinam ſic carpit, moreſque Jeſuitarum, ut nihil Jeſuitis ſit peſtilentius. Secunda voluminis Janſeniani doctrinam ſic laudat atque defendit, ut nihil ſanctius ſit quàm Janſeniani libri ſenſus, atque doctrina. Tertia Apoſtolicam Authoritatem ſic contemnit, ut in Janſeniani libri damnatione nihil ſummis Pontificibus ſit magis cæcum, aut magis deceptum.

Sed Huylenbrocquio tam impudenter mentienti ne credat Lector: tria namque iſta nullibi habet Aletophi-

lus, sed ipsi mendaciter imponit Huylenbrocquius: A similibus impostoris ac mendaciis abstinendo magis sincerus esset, si causam bonam sustineret. Absque impositione falsa causam suam defendit, qui nonnisi veritatem & justitiam defendit.

De liberiore quidem morum doctrina plurimos è Societate Scriptores Aletophilus redarguit, sed salvâ veritate & justitia. Cùm liberiorem doctrinam certissimè contineant plusquam mille illæ propositiones §. 6. supra productæ. Ex tot accusatis nonnisi circa quinquaginta unam Huylenbroucquius cavillatur; sed adeo insulsè, ut sapiens Lector locorum, ex quibus depromptæ sunt, mirari satis non poterit ineptas argutiolas ipsius.

Exemplo sint duæ priores. Prima sic se habet: *quæ circa fidem emergunt difficultates, ea sunt à veteribus eruendæ: quæ verò circa mores, homine christiano dignos, à novitiis Scriptoribus. Reginaldus, atque ex ipso Cellotius l. 8. c. 16.* Ad impostoram clamat Huylenboucq, dicens verba illa nec apud Reginaldum, nec apud Cellotium reperiri. Legat ergo sapiens lector citatum caput 16. ibi sic loquitur: *Reginaldus sententiam, quam suam sequi gloriatur, & quidem recentiorum: quoniam (inquit) quæ circa fidem emergunt difficultates, ea sunt à veteribus hauriendæ; quæ vero circa mores homine christiano dignos, à novitiis Scriptoribus.* An non hisce verbis uterque demonstrat, in materia morum, majori apud ipsos in pretio esse Authoritatem Recentiorum, quàm veterum Patrum? At istud est de quo jure conqueritur sanctæ memoriæ Episcopus Palafoxius, in epist. ad Innocentium X. dicens, quod nulla alia Religio *doctrinam Sanctorum tanta libertate impugnavit, & illis micantissimis & dignissimis Theologiæ Præceptoribus minùs detulit reverentiæ.* Apud ipsos, *jam reticent Augustinus, Ambrosius. Obmutescunt Gregorius, Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus, & cæteri Ecclesiæ, non quomodocumque lumina, sed luminaria fulgentissima, præ quibus tantummodo neoterici Jesuitæ, à suis discipulis laudati, exaudiuntur.* Et verò apud Reginaldum, Sanctium, Escobar, Filiutium, &c. Veneranda Augustini, Chry-

so-

ſoſtomi, Gregorii nomina rarius comparent, etiamſi tam multa, tamque præclara de moribus ſcripſerint.

Baunius quidem aliquanto frequentius eos nominat, ſed (ut videtur) ad oſtentationem potius quàm ad imitationem ſive ad ſequendam ipſorum doctrinam, ut videre licet in fine tractatus de prævia ad Euchariſtiam compoſitione, ubi cum præclara quædam Patrum commemoraſſet teſtimonia, de animi ſanctimonia ad ſumendum ſacrum iſtud epulum neceſſaria, quidquid ex Patribus extraxerat, mox diſturbat, dicens; „ de ſo„ lita majorum noſtrorum diligentia, curaque in pa„ rando ad ſuſceptionem Euchariſtiæ animo dicta ſunt: „ in quo etſi ſit laudanda eorum religio; non videtur „ tamen imitanda neceſſariò, ad fugam peccati, & „ perceptionem gratiæ, qui eſt ſacramenti hujus effe„ ctus proprius: quia ad acquirendum augmentum „ gratiæ, in ejus ſuſceptione, devotio alia aut diſpoſi„ tio non requiritur, quàm ut recipiatur voluntarie „ tamquam cibus animæ; ſi ſuſcipiens adultus ſit, ſui„ que compos. Sylveſter, Suarez &c. " Iſtorum ergo recentiorum Authoritatem ſequi maluit, quàm allegatam à ſe, ſibi proinde notam Sanctorum Patrum doctrinam.

Altera propoſitio eſt iſta Baunii, *quod Doctores docent libris impreſſis, velle cenſetur Eccleſia, ſi non reclamet.* Nec hanc in Baunio ſe invenire cauſatur Huylenbroucq; ſed alii magis ſinceri inveniunt pag. 312. Et inde firmatam ab ipſo novitiam aliam propoſitionem. Sed illa Baunii propoſitione quid magis pernicioſum, quid magis ſcandaloſum? An non inde fundatos ſe exiſtimant hæretici, exorbitantes Caſuiſtarum opiniones tamdiu Eccleſiæ intendi, quamdiu eas expreſſè non damnat? Et quis non Caſuiſta exinde firmat quaſcumque Eccleſia tolerat novitias morum corruptelas, à Caſuiſta aliquo (quem doctum ipſe reputat) traditas?

§. II.

Suorum corruptelas solidè non justificat Huylenbroucq, dicendo, quod suis ea nobis exprobrentur, quæ Molinæus aliique hæretici exprobrant Ecclesiæ ea non damnanti.

PAtet ex proximè dictis, quia per illam Baunii propositionem hæreticis fundamentum ipsi tribuunt, eas Ecclesiæ exprobrandi. Quod dum faciunt non solum Socios non justificant, sed & Socii Ecclesiæ injurii sunt, ipsamque sic dehonorant, ut sanctissima Mater adversus ipsos verba illa usurpare queat, quibus olim sanctus Patriarcha Jacob, ob filiorum suorum adversus Sichimos sævitiam offensus, est usus: *turbastis me, & odiosum feciſtis Chananæis & Pherezæis, habitatoribus terræ hujus.*

Quia tamen propter charitativam illam reprehensionem nostram Jesuitæ à corruptelis illis non desistunt, sed ab illa reprehensione se propterea tutos arbitrantur, quod ipsis in promptu semper sit hæc defensio, ipsis ea à nobis exprobrari, quæ ab hæreticis Ecclesiæ exprobrantur, ab hæreticis proinde exscriptam esse exprobrationem illam. Eccui sapienti probandum Socii putant, ex hæreticorum fontibus ea à nobis depromi, quæ ipsis exprobramus, cum in promptu sint ipsorum Sociorum libri, Baunii utique, Amici, Sanchesii, Cellotii, Escobarii, Tamburini, Sirmondi, Guimenii &c, ex quibus pronum est colligere quod ea deprompserimus? Quod si ex ipsis etiam hæretici similia deprompserint, atque Ecclesiæ exprobraverint, quid naturalius sequitur, nisi quod hæreticos illos dicti Socii traditis à se corruptelis ab Ecclesia alienaverint. Quodque proinde ab ipsis corruptelæ illæ minus damnandæ non sint, quàm ab hæreticis, & ab iis Ecclesiæ filiis qui à corruptelis illis alieni sunt. Quomodo S. Augustinus in l. de mor. Eccles c. 34. Manichæos quidem redarguit, privatorum corruptelas in totam Ecclesiam refundentes,

tes,

tes, eas tamen ipſe non minus damnat, quàm Manichæi: *Nolite conſectari turbas imperitorum qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt. . . . Novi multos eſſe qui renuntiaverunt verbis huic ſæculo, & ſe omnibus hujus ſæculi moribus opprimi velint, oppreſſique latentur. . . . Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere*, vel maledicendi hæreticis occaſionem dare *deſinatis.* Talis (inquit ſapientiſſimus Dom. Nicolius) omnium Catholicorum debet eſſe adverſus hæreticos oratio, cùm privatas Sociorum labes toti Eccleſiæ intendunt, quas illa ſemper, tum in Conciliis ſuis, ad ſe delatas repreſſit; tum Patrum ſcriptis, & voce damnavit; tum maximè bonorum vita, ſanaque doctrina quotidie, & quodam communi pietatis ſenſu, Chriſtianorum animis impreſſo, damnat & improbat.

Quæ enim alia cauſa fuit, cur tot illæ liberiorum Caſuiſtarum opiniones, à Jeſuitis defenſæ, plus ipſis invidiæ odiique conflarint, quàm ulla inimicorum convicia; niſi quòd alienos à corruptelis illis vel ipſorum populorum animos oſtenderunt? Nec ignorant ipſi, quantum vulnus exiſtimationi ipſorum per Montaltii litteras, eas irridentes impoſitum ſit; præcipue verò dum ſolitudinem ſuam omniumque à ſe, hac in cauſa defectionem lugubri queſtu Jeſuitæ Galli lamentati ſunt, hac recentioris Apologiſtæ voce: *Non dubito, quin Jeſuitis multò tolerabiliora fuerint exilia, & martyria, ſolitudine illa, & deſertione, quam Gallica Societas experta eſt. Exules ipſos honor olim, & populorum gratia ſequebatur: nunc vero quemcumque vultum ſibi fingant, malè accipiuntur. Si tacent, ridentur; ſi reſpondent, objurgantur: quaſi patientiæ Authores aliis, irrideri ſe impatienter ferant.* Felices eſſent ſi animadverterent, totam hanc invidiam, de quâ tam acerbè conqueruntur ex ipſarum opinionum pravitate profectam eſſe, quæ horrori omnibus & execrationi fuit.

§. III.

Nec eas magis juſtificat, dicendo, Sociis ea tribui, quæ ab aliis ipſi hauſerint.

QUia & querelam iſtam Nicolius validè dudum hac reſponſione contrivit: aliquid ad augendam virtutis laudem facit, non habere conſortes; nihil ad vitium excuſandum, delicti ſocios habere. Sufficit quod ea Jeſuitæ docuerint ut ipſis meritò tribui poſſint. Nec ad hoc neceſſe eſt libros ineptos undique conquirere, & ſcrutari, ut illud cognoſcatur, an ſoli Jeſuitæ in iſtis reprehenſibiles ſint. Non is modo opinionis alicujus Author dicitur, qui illam primus extulit; nonnunquam etiam, qui majori ſtudio & authoritate propugnavit. Donatiſtarum princeps dictus fuit Donatus, nec tamen ille primus princeps illius ſchiſmatis fuit.

Simillimè etiam Jeſuitæ varias quidem hinc inde corruptelas ex quibuſdam aliis arripuerunt; non ideo tamen earum Authores immerito dicuntur: quia illas undique diſſeminant & ſunt per Orbem ſparſæ Societatis operâ, omnium animis inſtillant. Alii Scriptores ferè ſibi peccant, aut certè non multis. Jeſuitæ toti Eccleſiæ peccant, quam ubique ſuis novitatibus inficiunt. Latebant hæc dogmata in Bibliothecarum angulis, paucis nota, paucis nocebant. At ipſa Socii ſuper tecta prædicarunt, in Aulas Regum, in familias privatorum, in Curias Magiſtratuum, quos dirigunt, invexerunt. Et inde nata, tanta nobilium & ignobilium chriſtianorum, in moribus incorrecta corruptio.

§. IV.

§. IV.

Nec ſuos ſolide juſtificat, dicendo, prætermiſſa variis in locis celebrium Authorum nomina, etiam S. Thomæ: ſubinde etiam rationes, quorum & quarum additione opinionibus ſuis authoritatem conciliant Caſuiſtæ.

QUia nihil eorum prætermiſit Aletophilus, quorum additione opiniones illæ receptibiles forent, & à ſapientibus approbabiles; ſed duntaxat prætermiſit citationes Authorum æque reprehenſibilium, & rationes nihil roboris addentes opinionibus reprehenſibilibus. Nonnumquam etiam prætermiſit mentionem aliorum Authorum, ob notam indiligentiam magnam, & exiguam fidem plurium Sociorum, in aliis Authoribus pro ſe citandis, ob quam non ideo ſtatim credendum, ipſos patronos eſſe Jeſuiticarum opinionum, quia ſic Jeſuitæ ipſi aſſerunt; cum citationum ipſarum infidelitas, excuſſis ipſorum locis frequenter apparuerit. Nec neceſſe fuit, imò nimis longum, & tædio plenum, eorum loca excutere, quorum tanta non eſt authoritas, ut ei cedendum ſit. In excutiendis proinde laxiorum Caſuiſtarum Caramuelis, Dianæ, Sancii, & ſimiliums libris inutile fuit tempus conſumere. Senſerint quippe iſti quidquid voluerint, nihil inde ponderis accedit cauſæ, quam Socii defendunt.

Si prætermiſſus fuiſſet S. Thomas, juſta quidem eſſet querela. Sed à quo Caſuiſtarum reprehenſivè inſinceritas iſta admiſſa eſt? à Montaltio (inquit Annatus bonæ fidei pag. 13 & 20) Leſſium citante l. 2. de juſt. c. 14. dub. 8. ubi ſic: *Si ſolum jus naturæ ſpectetur, acceptum ob turpem cauſam, ſeu propter opus quod eſt peccatum, opere impleto non neceſſariò eſt reſtituendum, ſive opus illud ſit contra juſtitiam, ſive non. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. q 31. a. 7. in corp. Et q. 62. a. 5. ad 2. ubi docet, poſſe retineri id quod propter opus malum eſt acceptum, nec diſtinguit, ſitne opus illud contra juſtitiam, an non.* Aſt à veritate alienum eſt quod S. Thomas id non

distinguat: ait enim 2. 2. q. 3. a. 7. quod *injustè acquisita, quæ quis per simoniam, aut subversionem justitiæ accepit, in eleemosynas elargiri tenetur.* Dum verò addit, quod *turpe lucrum & justè retinere, & rectè in eleemosynam impendi potest*, exemplificat in lucro ob meretricium accepto. Insincerus proinde non fuit Montaltius, sed Annatus.

Nec in eo tantum, sed & dum ab ipso prætermissum conqueritur S. Thomam, à Sancio citatum, cujus hunc exscribit locum: *Dubitabis, an authoritas unius Doctoris probi & docti, reddat opinionem probabilem? Respondetur, reddere. . . . . Favet S. Thomas quodlib. 3. a. 10. Ubi ait, posse quemque sequi opinionem, quam à Magistro audivit, in iis quæ ad mores pertinent.*

Sed & hoc à Montaltio prætermissum immeritò queritur Annatus, cùm S. Thomas expressè dicat, quod *diversæ opiniones Doctorum sacræ Scripturæ, siquidem non pertinent ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.* Unde Sancii opinionem, velut erroneam, communis damnat Traditio Sanctorum, damnant & Academiæ Parisiensis & Lovaniensis, & Innocentius XI. in Decreto anni 1679.

§. V.

Ad suos excusandos frustra etiam Huylenbroucq conqueritur, omissas subinde circumstantias, & exceptiones, quibus adjectis, recentium Casuistarum sententia, molliores & innocentiores videri potuissent.

QUia circumstantias ad rem non pertinentes omittere, adeo vitium non est, quin potius virtus sit. Nec necesse est, circumstantias omnes commemorare, aliquo modo ad rem pertinentes, sed eas dumtaxat, quibus mutatur quæstionis status. Exempli gratia, pugnant Jesuitæ nonnulli, pro honoris defensione licitam

tam esse cædem, varias tamen exceptiones apponunt, nempe si sit vir honoratus, si injuriam aliter sarcire non possit. Sed contra, generatim neganduni, propter honoris defensionem licitam esse hominis occisionem. Cum enim hoc generatim sacra Scriptura prohibeat, & licitum generatim negent saniores Doctores, necesse non est exquirere, quas Jesuitæ exceptiones apponant.

In omissis quoque circumstantiis prudens rerum æstimator attendere debet, num ideo accusata sit sententia, quia, ob detractam circumstantiam hanc vel illam, nocens facta est; an vero adhuc nocens sit cum adjecta circumstantia illa. Primum quidem vitiosum; sed alterum sæpe culpâ, semper fraude vacat. Atqui secundi generis circumstantiæ sunt, de quarum omissione Huylenbroucq, & alii Socii frequenter conqueruntur. Exempli gratia, dum Huylenbroucq vigesimam secundam (ex mille viginti octo) referens propositionem, *universaliter, tam in materia fidei, quam in materia morum, licitum est sequi quamcumque opinionem, directè minùs probabilem, minusque tutam, etsi opposita sit & credatur probabilior ac tutior*, Terillus in fundam. Th. mor. q. 29. assert. 1. se restringit quidem ad minus probabilem, *cujus practica probabilitas certa sit operanti.* Verùm q. 5. assert. 10. certò *practicè probabile* censet, *quidquid vir probus & peritus, non leviter, nec ex passione judicat probabiliter licitum.* Fallacem Huylenbroucq vocat hanc accusationem, quia *verborum immutatio omnem sensum immutat.* Verùm si prudens lector verba ista Terilli q. 5. assert. 10. *quidquid à viro probo & perito, post diligentem rei considerationem, non ex passione, sed irreprehensibiliter judicante existimatur probabile, est certò probabiliter tale*, conferat cum adductis ab Aletophilo, videbit sensum non immutatum, sed Huylenbroucquium fallaciter vitilitigantem; maximè si adductis Terilli verbis ex q. 29. assert. 1. adjungat verba ejusdem ex Regula morum q. XI. *in materia fidei licitum est sequi quamcumque ex contrariis opinionibus certò probabilibus. Ex*

hoc autem recte infertur, quod idem liceat in materia morum.

§. VI.

Rursus in vanum Huylenbroucquius contendit, pleraſque ex damnatis ab Alexandro VII. & Innocentio XI. propoſitionibus, à nobis contra veritatem tribui Jeſuitis, quorum ne unus quidem, poſt cognitam damnationem, ex illis aliquam tradiderit.

QUis enim Sociorum (ait Huylenbroucq) poſt emanata decreta Romana, libros vel propoſitiones damnantium haſce protulit voces, Inquiſitionis decretum eſt, non Pontificis ? Nullius ponderis ſunt ultra Alpes decreta illa. Ita comparata eſt Theologorum omnium Societatis, & tam plena ad decreta Romana ſubmiſſio, ut ſæpius adverſarios ſuos provocaverint, ut ex omnibus Societatis Scriptoribus proferrent vel duos, qui damnatam à ſummo Pontifice propoſitionem, poſt cognitam damnationem, defenderint; nec fuit qui proferret. Nec mirum, quia hoc ipſo quod Eccleſia, vel legitimæ Eccleſiæ poteſtates loquuntur, Socii obſequuntur, non obſtante qualicumque Doctorum ſuorum merito in contrarium. Aletophilus è contra in nullo defert Apoſtolico ſummorum Pontificum judicio.

In hiſce omnibus à veritate prorſus aberras, Huylenbrocqui, &, quoad poſtremum iſtud, pudeat, pudeat te, ſine certa probatione, imo contra certiſſimam veritatem, Aletophilo taliter imponere. Cui enim Apoſtolico ſummorum Pontificum judicio non detulit Aletophilus, qui quinque damnatas propoſitiones, cum jurata ſimplicitate ſemper damnavit, etiam in ſenſu ab Authore intento, prout illum Sedes Apoſtolica intellexit; quomodo à ſe & Theologis Belgis, quorum Romæ cauſam agebat, formularium jurari, celebris Doctor Hennebellus anno 1694. coram Eminentiſſimis DD. Cardinalibus expoſuit, nec à quoquam reprehenſus fuit.

§. VII.

§. VII.

Contra veritatem Huylenbroueq jactitat omnimodam Jesuitarum ad Romana decreta submissionem.

PRimo namque posteaquam Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii districtè prohibuit, ne quisquam vagâ illâ accusatione, & invidioso Jansenismi nomine traduceretur nisi prius legitime suspectum esse constaret, aliquam ex quinque damnatis propositionibus docuisse aut tenuisse, Apostolico isti decreto Jesuitæ hactenus non obedierunt, nec Huylenbroucquius ipse.

Secundò Innocentius X. anno 1645. cum sacra Congregatione de propaganda fide cultus Sinenses damnavit, nec eos tamen Jesuitæ & pro legitime damnatis habuerunt, nec obedierunt; cumque prætenderent decretum illud anni 1645. inutile redditum per aliud à Patre Martinio per falsas informationes obtentum anno 1656. hoc à veritate alienum sacra Congregatio Romanæ Inquisitionis declaravit 13. Novembris 1669. dum in ea *lecto Memoriali, dato pro parte Fr. Joannis Polanci, Ord. Prædicatorum, Missionarii Apostolici apud Sinas, & aliorum Missionariorum ejusdem Ordinis, ibidem in prædicatione Evangelica collaborantium, in quo supplicabat sacræ Congregationi, ut dignaretur declarare, an subsistat, & in suo robore permaneat præceptum, & mandatum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & sanctæ Sedi Apostolicæ specialiter reservatæ, de observantia responsorum & resolutionum factarum die 12. Septembris 1645. in sacra Congregatione de propaganda fide, & eadem supplicante, à sanctæ memoriæ Innocentio X. approbatarum* (quibus prohibebatur ne cultus Sinenses Confucio & progenitoribus reddi soliti, deinceps apud Sinas redderentur; ne etiam iis, qui christianæ Religionis mysteriis imbuuntur, crucis mysterium occultaretur; Sociisque præcipiebatur, ut Crucifixi imaginem de more in sublimi Ecclesiæ loco collocaretur) &

circa

circa dubium an, juxta in iiſdem dubiis expoſita, ab omnibus & ſingulis Miſſionariis cujuſque Ordinis, Religionis & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in Regno Sinarum, aut Chinæ, pro tempore exiſtentibus, vel extituris, in praxi diligenter obſervanda ſint, donec Sanctitas ſua, vel ſancta Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit: non obſtante alio decreto, à ſacra Congregatione ſancti Officii emanato ſub die 23. Martii 1656. ſuper aliquibus quæſitis propoſitis à Patribus Societatis Jeſu, apud Sinas Miſſionariis, diverſi modi & cum aliis circumſtantiis conceptis. Eminentiſſimi Patres declararunt, Decretum ſacræ Congregationis de propaganda fide, latum ſub die 12. Septembris 1645. ſecundum tunc expoſita in dubiis, eſſe in ſuo robore, neque per Decretum ſacræ Congregationis, latum ſub die 23. Martii 1656. fuiſſe. . . . . circumſcriptum, ſed omnino ſecundum quæſita, circumſtantias, & omnia in dictis dubiis expreſſa eſſe ſervandum, ut jacet. Quemadmodum ſervandum declaravit decretum S. Congregationis ſancti Officii, latum ut ſupra die 23. Martii 1656. juxta quæſita, circumſtantias, & omnia in eis expreſſa. Feria 4. die 20. ſupradicti menſis Novembris 1669. facta relatione per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Hieronymum Caſanatam, Aſſeſſorem ſancti Officii, ſummo D. N. D. Clementi, divina providentia Papæ nono, Sanctitas ſua approbavit.

Utique verè ac fideliter Martinius circumſtantias S. Congregationi non expoſuerat anno 1656 prout Illuſtriſſimus D. Navarrete to 2. pag. 300. oſtendit, aiens id ſibi ingenue declaratum à Patre Govea, ſuperiore Domus Cantonenſis Jeſuitarum.

Nihilominus iſti Decreto anni 1669. Jeſuitæ non magis ſeſe humiliter ſubmiſerunt, quàm Decreto anni 1645. ſed in damnatis per utrumque Ritibus Sinenſibus ſuſtinendis, & in praxi permittendis perrexerunt. Quam ob cauſam de ipſis conqueritur Sanctiſſimæ memoriæ Epiſcopus Palafoxius in epiſt. ad Innocentium X. ſcripta anno 1649. dicens, *quid intereſt quod Jeſuitæ ethnicas nationes radiis fidei illuſtrare videantur ſi ethnicos quam plurimos non recta ſacræ legis indictione catechi-*

chizant, neque recte ab aliis Religionibus catechizari ſinunt? Imo à provinciis gentilibus relegant & expellunt operarios Sanctiſſimos & Doctiſſimos, manu etiam gentilica & ethnica arcent, recludunt, incarcerant, flagellant. Quis Ordo Eccleſiaſticus cum alio Ordine Eccleſiaſtico hoc egit? . . . . . Tota Eccleſia Chinica congemiſcit, Pater ſanctiſſime, & ſe non tam edoctam, quàm deceptam ab ipſis Jeſuitis, in fidei puriſſimæ documentis & rudimentis inclamat. . . . Crucem Domini recluſam, gentilicos ritus permiſſos, & vere chriſtianos non tam introductos, quàm fœdatos dolet, Chriſtianizantes idololatras, idololatrizantes Chriſtianos, in una eademque menſa, templo, aris, ſacrificiis, Deum & Belialum, & ſub larva Chriſtiana, idola venerata, vel potius ſub gentilica larva fidem ſanctiſſimam defœdatam dolentiſſime conſpicit. Nobis Epiſcopis, qui ab illis minus diſtamus provinciis, & ab earum Evangelicis Miniſtris litteras accepimus, & qui etiam apologeticarum eorum controverſiarum certiores facti ſumus. . . . . competit clamare, & hæc tibi, Paſtorum Maxime, propalare &c. Nec eſt qui iſta in dubium ſolide revocare poſſit, cum ſit vel in Gallia ipſâ notiſſimum, quod nefarios illos Ritus Jeſuitæ tueri & permittere perrexerint, uſque ad ultimo definitivum, adverſus Ritus illos S. D. N. Clementis XI. Decretum anni 1704. Quodque ne iſti quidem noviſſimo & finaliter definitivo Decreto plena obedientia ſeſe ſubmiſerint, niſi voce tenus, ex eo manifeſtè demonſtratur, quod tametſi in ſuo ad Dominos Miſſionum extranearum Seminarii Pariſienſis ſuam ipſis inobedientiam exprobrantes, Reſponſo, pag. 2. jactitarent, *quod ad primum rumorem ex tantis iſtius Decreti ſuper Ritibus Sinenſibus, Jeſuitæ viſi eſſent voce & ſcripto proteſtati, quod ei ſeſe ſubmitterent, qualecumque eſſet*: eodem nihilominus tempore, quo ſuam illam ſubmiſſionem omnimodam coram publico perſuadere volebant, varia S. Sedi Memorialia præſentabant, pro ſuſpendenda definitivi illius Decreti executione. Et illi ipſi qui hodie ferre non poſſunt, quod à Sanctiſſimo petantur explicationes impetratæ à ſe Conſtitutionis

Uni-

Unigenitus, in regno Portugalliæ dominantes, Regni iſtius Univerſitates induxerunt ad ſuſtinendum quod ejuſdem Smi D. N. Conſtitutio adverſus idololatrias Sinenſes definitiva indigeat explicatione, Regemque ipſum Portugalliæ ſupplicare fecerunt pro ea à ſua Sanctitate poſtulandâ, Bullæque Pontificiæ ipſius executione uſque ad eam datam ſuſpendenda. Nec hoc tantum, ſed & ad Sinarum Imperatorem recurrerunt, pro pellendis ex Imperio ſuo Miſſionariis Bullam exequentibus, ſuæque Sanctitatis Legato à Latere executionem urgenti apud eumdem Imperatorem perſecutiones graviſſimas propterea ſuſcitarunt, mortemque crudelem cauſaverunt, prout in toto notum eſt orbe.

Non ergo dignum & juſtum eſt, ut Jeſuitis omnimodam ſuam erga Apoſtolica Decreta ſubmiſſionem ſolo verbo, & ſcripto buccinantibus, adhibeatur fides; cum verbis & ſcriptis facta ſint contraria; uti poſt Illuſtriſſimum Palafoxium Chriſtianiſſimo Regi teſtificatus eſt Eminentiſſimus D. Cardinalis Noaillius, Archiepiſcopus Pariſienſis, dum à ſua Majeſtate juſſus reſpondere ad articulos quoſdam, ſeque juſtificare de denegata Jeſuitis approbatione pro confeſſionibus audiendis in Diœceſi ſua, reſpondit ſuas ſe facultates Jeſuitis propterea non continuare, *quod gregem ſuum adverſus Paſtorem ſuſcitarent.*, . . . *quodque audacter tuerentur Sinenſes ſuperſtitiones, & idololatrias, nec ſummorum Pontificum Conſtitutionibus ſeſe ſubmitterent, niſi quatenus faverent rebus Societatis.*

Nobiliſſima quoque Domina Lionnæa in celebri epiſtola ſic Jeſuitas alloquitur: *diſcrimem inter amicos filii mei* (Miſſionarii, & Vicarii Apoſtolici) *& vos, Patres mei, in eo ſitum eſt, quod ipſi obediant ſanctæ Sedi non emiſſo peculiari de obedientia voto. Vos autem non obeditis, emiſſo illo voto.* Et fragmentum addit epiſtolæ Domini de Argoli, aientis ſe gemere dum propriis oculis videt, medio in regimine Societatis apud Chinas, adhuc illum regnare ſpiritum, quo imbuti, neſcio quam imaginariam Societatis utilitatem, communi præferunt Catholicæ Religionis bono, iſtamque ob cauſam, à

tanto

tanto tempore, aliarum ſibi conciliant Religionum querelas, ipſiuſque ſanctæ Eccleſiæ indignationem, necnon deridiculas inimicorum ſuorum de ipſis jocationes, dum uſque ad contumaciam defendunt, quidquid ſit à Societatis membris, vel Sorbonam ipſam ad cœlum uſque extollentes, dum contra Societatis adverſarios pronuntiat; uſque ad abyſſos verò deprimentes dum Socios damnat.

Tertiò poſteaquam idem S. D. N. Clemens XI. Ritus Sinicos ſæpe dictos non ſolum anno 1704. definitive damnavit ut ſuperſtitioſos, ſed & anno 1710 Mandatum Eminentiſſimi D. Cardinalis Turnonii, Legati ſui à Latere, & in illis partibus Viſitatoris Apoſtolici, adverſus eoſdem, confirmavit, omnibus cujuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis, ſub gravibus pœnis tunc inhibuit, ſuper iis tunc quidquam prælo dare, obedierunt Dominicani, Dominique Miſſionum extranearum. Sed non obedierunt Jeſuitæ: quinimo varios ad ipſis inſultandum libellos ſparſerunt Ritusque illos, toties damnatos, tueri perrexerunt in nova Societatis Hiſtoria, Romæ ſub oculis Pontificis, & Generalis ſui Tamburini per Patrem Jouvenci prælo fraudulenter datum, poſt ſolam proteſtationem omnimodæ ſuæ ad Apoſtolicum illud Decretum ſubmiſſionis ab eodem Generali & Procuratoribus totius Societatis ſummo Pontifici factam. De fraude verò illa videre poteſt ſcriptum id toti Eccleſiæ notum faciens, ſub hoc titulo: *Examen des fauſſetez ſur les Cultes Chinois, avancées par le P. Joſeph Jouvenci, dans l'Hiſtoire de la Compagnie de Jeſus, cinquieme partie to. 2. liv. XIX.* in quo deſcribuntur fraudes quibus ille Pater Rmum P. Magiſtrum S. Palatii, Romanoſque approbatores decepit, ut Hiſtoria Romanis typis prodire poſſet. Videri etiam poteſt liber inſcriptus *Recueil des Pieces, touchant l'Hiſtoire de la Compagnie de Jeſus compoſée par le P. Jouvenci, in Monito & pag.* 177.

Quartum exemplum deficientis apud Jeſuitas ſubmiſſionis ad Pontificias deciſiones videri poteſt apud Liberium Candidum in Tuba magna editione tertia, Clangore 20. pag. 292. Quemadmodum quintum & ſextum ibidem, ſep-

septimum, octavum, novum, decimum, undecimum pag. 293. duodecimum pag. 294.

Decimo tertio, tametsi S. Romanæ Inquisitionis Decreta non recipiantur in Gallia, Jesuitæ tamen in vim Constitutionum suarum, *religiose ea in suis Libris executioni demandare* tenentur, *quæ in Catalogo & Decreto Romanæ & Universalis Inquisitionis præcipiuntur*, ut videre est in libro, cui titulus: *Litt Apost. quibus institutio, confirmatio, & varia privilegia Societatis Jesu continentur.* Rom. anno 1606. p. 134. Ast articulum hunc religiose quidem Socii observant dum Inquisitionis decreta ipsorum interesse favorabilia sunt, etiam in Gallia, licet libertatibus Gallicanis contraria sint; secus dum adversantur. Patuit hoc dum Michaelis Rabardæi, Jesuitæ, opus Roma damnavit velut hæreticas continens propositiones. Sed de eo Socii non contenti, dixerunt suscitatas contra opus illud *extraneas Potestates*, quasi Papæ Jesuiticum opus damnantis authoritas censenda sit extranea. Videri hoc potest in l. cui titulus *Resp. à l'Apologie pour l'Université* p. 68. Dum etiam Baunii Opera, censura dignissima, S. Inquisitio Romana damnavit, in scripto edito, ad avertendam Sorbonæ censuram, Baunius vulgavit, se Romæ damnatum non fuisse, nisi quia Gallico more scripserat de controversiis inter gallicanam Ecclesiam & Romanos agitatis, *non Romano proinde, sed gallico more, id est sincere atque candide.* Quod (inquit) in Gallia ipsi vitio verti non potest, quia *Romana censura quid est cum gallicâ commune?* Quæ clausula ne ipsi negotium Romæ faceesseret, Apologiæ suæ exemplaria plurima imprimi fecit prætermissa illâ clausula. Verum eam Socii (audaciores facti) Parisiis anno 1643. divulgarunt cum adjecta illa clausula. Videri potest epistola Theologica ad Polemarcum pag. 77. Et Theologia Moralis anno illo 1643. edita in quâ Doctor Hallerius Jesuitis exprobrat Theses (Romæ damnatas) in quibus de Romana damnatione contemptibiliter loquebantur. Sed & Laurentius Forerus Jesuita in sua Thesi de Abbate dicere non dubitavit, *plures esse*

esse decisiones, vel declarationes Cardinalium, quæ placent urbi, non orbi.

Et P. Annatus eodem spiritu animatus, absque respectu non semel locutus est de Censuris Romanis operum Baunii, Rebardæi, Cellotii, Posæ, eo quod non essent nisi censuræ Romanorum Inquisitorum; addens quod Inquisitio Matritensis se non credidit obligatam ad deferendum Censuræ Romanæ. Plus ultra processerunt Jesuitæ Hispani, Posæ enim Apologias divulgarunt, in quibus Romani Inquisitores velut *falsarii* & *ignorantes* traducebantur. Ecce ergo decimum tertium, decimum quartum, decimum quintum & decimum sextum deficientis submissionis Jesuitarum ad decisiones sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis.

Decimum Septimum est in Patre Moya, sat cognito sub nomine Amadæi Guimenii, qui in tract. de opin. prob. quærit quid censendum de opinione probabili per Romanam Inquisitionem damnatâ? Et respondet quod secundum opinionem Theologorum tales prohibitiones, seu damnationes vim non habent nisi opinionum probabilium, vel, si sic placeat, probabiliorum, quodque opinio per istius Tribunalis damnationem esse non desinet probabilis, & licita in praxi. Unde Caramuelis laudat generosum animum, omni conatu contendentis, non dari in terris authoritatem quæ damnare possit probabiles opiniones.

Decimum octavum est in P. Fabri, cujus notas sub nomine Stubrokii, respondentis ad notas Wendrockii, anno 1659. Romana Inquisitio condemnavit, ipse nihilominus seu alius Jesuita notas illas inseruit Apologiæ Moralis Doctrinæ Societatis anno 1670. divulgatæ, per Societatis Provincialem, novemque Societatis primarios Theologos approbatæ. Quam Apologiam licet etiam Roma damnaverit, eâ damnatione non obstante Apologia illa apud Jesuitas in suo mansit pretio, tam scilicet illa quæ Lugduni prodiit anno 1669. quam quæ prodiit Coloniæ anno 1670. ubi insertæ leguntur prohibitæ illæ notæ Stubrokii, quas P. Fabri, ob prohibitiones Regis Christianissimi, per se inferere ausus non fuit in editione

editione Lugdunensi. Sed quis credat ab alio quàm ab ipso, per se, vel per alium Jesuitam insertas in Colonienſi?

Decimum nonum est in libro P. Tellier, *defenſo novorum Chriſtianorum* inscripto, quem ob horrendas falsitates sub Innocentio XII. (post examen tertiò repetitum) S. Inquisitio damnavit, sed decreti damnantis promulgationes, per potentiam suam magnam Societas suspendi fecit toto Innocentii XII. tempore. Post illud tamen jussu S. D. N. Clementis XI. promulgatum, norunt Episcopi Galliarum, quanto apud Jesuitas Gallos adhuc sit in pretio.

Vigesimo, notum est à Sixto V. damnatam praxim usurariam eorum, qui in Societatibus assecurare volentes fundum summæ pecuniariæ à se commodatæ, inde nihilominus trahere volunt interesse. Per consequens ab eo damnatum esse contractum trium, ut vocant, seu *mohatra*. Contractum istum nihilominus justificat Lessius l. 2. de just. c. 21. dub. 16. Et Casuistarum Apologista, Pirotius, pag. 109. Sixtique V. bullam P. Lorthioir in Seminario Tornacensi non obligare dixit in Flandria, nec observari in Italia, prout videre est in Denuntiatione propositionum moralium in Seminario illo defensarum art. 20

Vigesimo primò Amadæi Guimenii librum anno 1664. S. Congregatio Indicis condemnavit, & anno 1675. Congregatio Sti. Officii, & anno 1680. cum ad ignem Innocentius XI. condemnavit. Notum est tamen, Sanctum illum Pontificem non semel conquestum fuisse de defectu submissionis Jesuitarum ad S. Sedis decreta, quodque damnatum librum illum distrahere non cessarent post condemnationem. Et ista causa fuit damnationis ipsius ad ignem.

Vigesimo secundò post damnatas Romæ Dissertationes P. Estrix, fundamenta fidei concutientes: cum damnatio ista publica in disputatione apud Jesuitas Lovanii objiceretur, surrexit Pater Estrix, & palàm dixit, per Romanas se litteras didicisse, quod damnatio ista facta esset *per præpotentium Janseniſtarum factionem*.

Vige-

Vigeſimo tertiò, cum Alexander VII. in brevi ad Doctores Lovanienſes ipſorum doctrinam ac pietatem collaudaſſet, ipſoſque adhortatus fuiſſet ut conſtantes perſiſterent in defendenda S. Auguſtini & Thomæ *tutiſſima & inconcuſſa dogmata*, Jeſuitæ de Flandria, teſtibus omni exceptione majoribus, Lupo, & Cardinale Noriſio alte conclamarunt, Breve iſtud *per machinam diabolicam* impetratum fuiſſe. Auſus quoque fuit P. Fabri contra veritatem palam aſſerere, Jeſuitam ex ore Pontificis didiciſſe quod iſtud, non lectum, à ſua Sanctitate fuiſſe ſubſignatum.

Vigeſimo quartò, Theologus anonymus in epiſtola eruditiſſima ad quemdam epiſcopum pag. 59. teſtificatur ſe ab Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Tolonenſi accepiſſe, quod cum Jeſuitæ Tolonenſes anno 1687. propoſitiones aliquas ſuſtinerent ab Innocentio XI. condemnatas, ipſiſque Pontificis iſtius objiceretur Decretum, aliud à Præſide reſponſum non acceperit niſi Pontificem *ex Cathedra* decretum iſtud non feciſſe.

Vigeſimò quintò P. Puente Hurtado anno 1701. Librum edidit inſcriptum *Theologia reformata ab Innocentio XI.* In quo licet exiſtimari vel Theologiam Moralem à ſe reformari juxta condemnationem laudatiſſimi iſtius Pontificis, reipſa Pontificiam cenſuram ſic eludit & illudit, damnatas propoſitiones ſuſtinendo, ut opus ipſius veriſſima ſit decreti Pontificii deriſio; nec in alia ſinceritas appareat, niſi quod ingenue fateatur, plures ex damnatis illis propoſitionibus à Jeſuitis defenſas fuiſſe. Exempli gratia diſſert. 5. n. 12 fatetur propoſitionem ſextam inter damnatas ab Innocentio X. traditam fuiſſe ab Eſcobario dicere præceptum charitatis in Deum *non ſingulis quinquenniis rigoroſè obligare, ſed ſapientum arbitrio.* Illam tamen propoſitionem ipſe non damnat, ſed ſuſtinet ſubtilitatibus obvolutam, quæ ſalvare non intelliguntur diſcrimen, inter Eſcobarianam & à Pontifice damnatam.

Vigeſimò ſexto tametſi idem Innocentius X. pariter damnaverit pernicioſum uſum mentalium reſtrictionum propoſit. 26. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſine in-*

ter-

terrogatus , ſive propria ſponte ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine , juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit; vel quod aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus. Et propoſit. 27. *cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt quoties id neceſſarium eſt, aut ſaltem utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.* Perniciosum tamen uſum illum idem Hurtadus diſſert. 13. c. 1. n. 2. contendit juſtificatum à Sanchez, & ipſe juſtificat, dum omnes caſus iſti non concurrunt ſimul, ſed ſeparatim, dummodo *animus utentis his aquivocationibus non ſit ad fallendum proximum, ſed ad occultandam veritatem, quam non expedit revelare.* An non hoc etiam eſt Pontificiam cenſuram, juramentorumque religiones illudere?

Vigeſimò ſeptimo, idem Hurtadus per totam diſſert. 15. c. 2. rurſum contendit reſtrictionum mentalium uſum eſſe licitum, tametſi ab eodem Pontifice propoſitionibus 26. 27. & 28. damnatum, in earum favorem citans Suares, Sanchez, Facundez, Henriquez, Breſſerum, Thomam Regnaud, Toletum, Dicaſtillum, Caſtropalaum, Moyam, Reginaldum, Gregorium de Valentia, Leſſium, Filiucium, Sayrum, Serrarium, Aurifodinam, Tamburinum, Trullenum, per conſequens omnes fere Jeſuitas, quorum ſententiam dicit ab Innocentio XI. cenſendam non eſſe damnatam. 1. quia ſummi Pontifices cenſendi non ſunt damnaſſe niſi opiniones novas, non antiquas, qualis eſt iſta. 2. quia validum habere putat in Scriptura fundamentum. 3o. quia Papa non damnavit niſi uſum mentalium reſtrictionum ob finem non bonum. An non etiam cenſendus eſt Pontificum decretum eludere, & illudere.

Vigeſimò octavò idem Scriptor diſſert. 16. cap. 3. rurſus uſum reſtrictionis mentalis licitum aſſerit reo, à judice interrogato an homicidium non commiſerit, aiens jurare poſſe quod non commiſerit, tametſi revera commi-

miſerit, hoc intelligendo de homicidio ſecundum Caſuiſtas illicito, dum illud quod commiſit ſecundum Caſuiſtas nonnullos licitum erat, prout revera docet eſſe licitum pro defenſione mundani honoris, ut vel te vel tuos à calumniatore liberes &c. Pro qua opinione plures etiam Jeſuitas profert. Sic utique Jeſuitæ illi omni cum humilitate & reverentia ſeſe ſubmittunt decreto Innocentii XI.

Vigeſimò nonò, quàm parum ei reverenter ſe ſubmittant Orbis univerſus animadvertit, dum poſt tot damnatas ab ipſo Jeſuitarum opiniones per ipſos conclamatus fuit Janſeniſta, ipſumque Pater de la Chaiſe cum Rege Chriſtianiſſimo commiſit, & effecit ut per gravem Magiſtratum, ex ordinatione curiæ, palam divulgaretur fautor Quietiſmi & Janſeniſmi, ut pote qui ad primarias Eccleſiæ dignitates de hæreſibus iſtis ſuſpectos elevaret. Nec hoc tantum, ſed & ab Illuſtriſſimo D. le Tellier, Archiepiſcopo Remenſi, accepiſſe ſe teſtatur ſupra laudatus author epiſt. Theologi cujuſdam ad Epiſc. quod Jeſuitæ Pariſiis affigi feciſſent ſcedulas populum invitantes ad orandum pro Innocentio XI. Papa, facto Janſeniſta. Nec rejici poteſt teſtimonium ipſius, tamquam teſtimonium hominis nullius fidei, vel modicæ ſinceritatis. Cùm parum credibile ſit quod iſta ſcripſiſſet ad Epiſcopum apud quem nullius fuiſſet fidei, vel de modica ſinceritate ſuſpectus

Trigeſimò, cùm ſub finem ſæculi decimi ſexti Suarez docuiſſet, quòd per literas fieri poſſet confeſſio, propoſitionem iſtam Clemens VIII. 20. Junii 1602. poſt diligens examen, velut falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, docerique prohibuit ſub pœna excommunicationis. Deciſioni iſti ſe Suarezius non ſubmiſit, ſed eam pro arbitrio ſuo interpretando, docere perſtitit confeſſionem per epiſtolam fieri poſſe, dummodo abſolutio per epiſtolam non daretur. Sed adverſus cavillationem iſtam Paulus V. indignatus, per aliud decretum die 14. Julii 1605. Clementis decretum confirmavit cum mandato, ut ex operibus Suarezii cavillatio illa,

seu explicatio obliteraretur, extans to. 4. in 3. p. disp. 21. sect. 4. Sed mandatum, istud à Sociis neglectum fuit, & ideo Papa jussit ut sectio tota tolleretur. Sed nec tunc obedierunt: suam erga S. Sedem obedientiam adeo buccinantes, nec sectionem sustulerunt, sed integram reliquerunt in editione Lugdunensi anni 1608. annis tribus post decretum. Desinat ergo Huylenbroucq tanto supercilio Sociorum suorum erga decreta pontificia submissionem & obedientiam omnimodam jactitare; cùm hoc à veritate tam patenter alienum esse tot exempla demonstrent.

Et insuper trigesimum primum istud, quo Plowdenus Anglo-Leodiensis Jesuita, cum tot aliis Sociis die 26. Maii 1698. in Thesi sua dicere ausus fuerit *certum plane esse, omnino licitum esse, in quacumque materia, sequi opinionem probabilem, sive illa sit aequaliter, sive magis, sive minus probabilis quàm opposita, sive faveat libertati adversus legem, sive legi adversus libertatem. Itaque est sententia illa benigna inter celebres omnium graduum, ordinum, & nationum Doctores post annum 1500. usque ad ortum Jansenismi receptissima*; cùm tamen damnata sit ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. in hac propositione: *Generatim dum probabilitate, sive extrinseca, sive intrinseca, quantumvis tenui modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quisquis enim sequitur opinionem minimam inter vere probabiles, faventes libertati adversus legem, sequitur minus probabilem & minus tutam. Certissime enim minima inter vere probabiles & minus tutas, est intra lineam minus probabilium & minus tutarum.

Trigesimum secundum eodem die idem Sanctissimus D. damnavit & istam, ordine quartam: *Ab infidelitate excusatur infidelis, non credens, ductus opinione minus* PROBABILI. Ex allatâ nihilominus propositione Plowdeni manifestè sequitur damnata ista propositio Sanchesii, *Dum infidelis sibi persuasum habet, suam sectam esse probabilem, quamvis vera & catholica fides videatur ipsi probabilior, extra articulum mortis non tenetur veram & catholicam*

tholicam amplecti. Imo ne in articulo quidem mortis, prout docent Palao, & Eſcobar.

Trigeſimum tertium, poſteaquam idem rurſum Sanctiſſimus propoſit. 26. & 27. damnavit uſum reſtrictionum mentalium, uſum iſtum licitum eſſe docuerunt Jeſuitæ Angli Blondellus anno 1686. concluſ. 21. & Sanderus eodem anno concluſ. 27. ſicut & P. Daniel in damnatis dialogis ſuis.

Trigeſimum quartum, quinque annis poſt damnatum ab Alexandro VIII. peccatum Philoſophicum, Maſſiliæ illud defendit P. Beon, prout demonſtrat Author libri anno 1692. editi ſub hoc titulo: *Philoſophiſmus Jeſuitarum Maſſilienſium.* Verum ab Illuſtriſſ. D. Epiſcopo Maſſilienſi, licèt Jeſuitarum amico, juſſus fuit illud publice retractare.

§. VIII.

Major non eſt Jeſuitarum erga legitimas alias Eccleſiæ Poteſtates reverentia & ſubmiſſio.

MAjor, inquam, non eſt erga Epiſcopos uti nec erga ſacras Facultates Theologicas, dum Jeſuiticas damnant novitates & laxitates. Nec mirum, quiſquis enim hoc facit, protinus à Sociis inimicus habetur Societatis. Exemplo ſit Hallerius Doctor Sorbonicus, adverſus cujus librum, *Theologia Moralis Jeſuitarum*, inſcriptum, ſtatim atque in publicum anno 1643. prodiit, prodierunt & quatuor Sociorum apologiæ; una Patris le Moine ſub hoc titulo, *Manifeſtum apologeticum pro Doctrina Religioſorum Societatis.* Secunda, P. Cauſſini, ſub titulo, *Apologia Soc. Jeſu.* Tertia, P. Pinterelli, inſcripta, *Impoſtura & ignorantia libelli, cui titulus, Theologia Moralis Jeſuitarum, per Abbatem Boiſiacum.* Quarta, anonymi ex eadem Societate. In quibus omnibus *Theologiæ iſtius Author* traducitur *ut impoſtor, calumniator, audax in mentiendo, ſycophanta, damone pejor, patris mendaciorum interpres.* Ab hiſce conviciis omnibus Hallerius plene ſe juſtificavit in e-

pistola Theologi ad Polemarcum, perspicue demonstrans, non se sed ipsosmet accusatores suos malæ esse fidei, parumque sinceros in exhibenda suorum doctrina.

Incaluit disputatio occasione Litterarum provincialium summâ cum satisfactione à publico receptarum, eaque tanta, ut Jesuitæ ob eas passim despicerentur, velut Moralis christianæ corruptores. Ob suscitatum inde clamorem magnum adversus Moralem ipsorum sapientissimi Curiones Parisienses, Rothomagenses, & alii præcipuarum urbium Regni Galliarum, districto examine inquisiverunt, an vera essent illa, quæ de ipsis Litteræ illæ vulgabant; & non solum deprehenderunt veritatem, sed & ipsi plures alias ipsorum propositiones deprehenderunt admodum periculosas; ideoque eas damnandas denunciarunt generali cœtui Cleri Gallicani. Quid tunc Jesuitæ? ex vulgatis tam salutaribus scriptis non solum non profecerunt, sed & adversus dignissimos Pastores illos per libellos admodum injuriosos insurrexerunt, utpote per quos ab ipsis traducebantur, tanquam *falsi pastores, lupi rapaces, ignorantes, & tanquam hæretici & schismatici*. Uno verbo, nunquam aliquis adversus Moralem laxiorem calamum sumpsit, etiam nulla facta Jesuitarum mentione, nisi eo ipso à Jesuitis declaratus hostis Societatis, ut ante dixi. Exemplo sint D. Abbas Du Four Pastor Sti Maclovii Rothomagensis & D. Quinus Prior Sorbonæ; cùm enim D. Abbas in Discursu synodali contra Moralem laxiorem magno cum zelo prædicasset, P. Brisacerius Collegii Rothomagensis tunc Rector adversus ipsum declamavit velut *seditiosum calumniatorem, hæreseos fautorem*, tametsi nulla de Jesuitis mentio ab ipso facta fuisset. Cumque Quinus, Clero Gallicano præsente, anno 1705. Cleri generalis censuram (anno 1700. latam adversus eandem Moralem) Jesuitis non nominatis simili cum zelo collaudasset, ipsius exilium ad Regni extremitatem, à Rege Regis Confessarius impetravit. Et sic facto suo comprobant Jesuitæ, Moralem laxiorem pro sua se agnoscere. Et propterea nullam cabalam, nullam intricam, nullam artem Jesuiticam prætermiserint ad impediendam anno 1682. Moralis

ralis iſtius condemnationem: ſed veritas tandem prævaluit potentiæ & artibus Jeſuiticis ipſorum. Siquidem anno 1700. centum viginti ſeptem propoſitiones, ex libris ipſorum fere omnes excerptæ, graviſſima cenſura fuerunt proſcriptæ (Jeſuitis non nominatis, ad parcendum confuſioni ipſorum) ſignanter probabiliſmus quem generalis Cleri conventus anno illo declaravit, *initium malorum eſſe, atque omnium antedictarum corruptelarum caput. Hoc enim*, inquit, *& doctrinæ conſecutio, & ſeries temporum oſtendit. Hoc ab anteceſſoribus noſtris, viris fortibus & religioſis* (in cenſura Apologiæ Caſuiſtarum) *cenſoriè notatum, hoc ſæpe reprehenſum, hodieque reprehendi nullo incuſante, imo bonis probantibus, diffiteri nemo poteſt. Nos quoque iis de cauſis, has novas ſententias, in ſalutis negotio periculoſas, re diligenter inſpecta, ſumma ope caveri ac profiteri oportere cenſuimus ac cenſemus. . . . alte animis inſidere optantes, & orantes. . . . . ut quibus hactenus laxiores illas ſententias, nulla certa ratione, ſed alii alios ſecuti docuerunt, docere ipſi jam deſinant, quippe quas & Epiſcopi, ipſique Romani Pontifices reprehendant, hæretici verò Eccleſiæ imputent, atque invidiæ vertant; filii quoque ſeculi ut vanas rideant. Quare inanem illam, Deoque & hominibus exoſam ſophiſticem aliquando averſati, authore S. Hieronymo ad recta ſe convertant* in Mich. c. 3. ad illa verba hæc dicit Dominus: „ ut qui prius populum „ blandimentis decipiebant, poſtea verum annuntiando „ deterreant, & ad rectam revocent viam, & qui cau„ ſa erroris fuerant, incipiant medeti vulneribus, quæ „ intulerunt, & eſſe occaſio ſanitatis.

Sed nec generalem iſtum Cleri Gallicani cœtum reveriti ſunt Jeſuitæ Galli, nec illi ſe ſubmiſerunt nec exhortationem ipſius tam ſalutarem audierunt, nec à probabiliſmo ſuo damnatiſque à Clero propoſitionibus receſſerunt. Sed Jeſuitæ manſerunt ſemper Jeſuitæ, eandem ſemper in Gallia pro Caſuiſtis ſuis exiſtimationem conſervantes, ſicut & in Belgio, poſtquam Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Mechlinienſis 17. & Epiſcopus Gandenſis 26. Theologiæ Moralis ipſorum propoſitiones

cum Universitate Lovanienſi, & Univerſitas Pariſienſis cum primariis Epiſcopis multis Eccleſiæ Gallicanæ, nec non Vicariis generalibus Eminentiſſimi D. Retzii Cardinalis, & Archiepiſcopi Pariſienſis multiplici cenſura, tamquam ut minus ſcandaloſas & pernicioſas damnarunt. Si quidem Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Senonenſis, (ſi fides Honorato Fabri) & Illuſtriſſimus Epiſcopus Convenarum (quorum zelus in generali illo cœtu Cleri Gallicani præcipuus fuerat) pravæ erant doctrinæ; & Illuſtriſſimus D. Godellus Epiſcopus Vencienſis, Prælatus erat modicæ ſcientiæ, & eruditionis Theologicæ. Adverſus Illuſtriſſimum vero atque Eminentiſſimum D. Cardinalem Noaillium, qui cœtus anni 1700. præſes fuerat, furias egerunt, & uſque in præſens agunt.

Anno 1674. & 1677. Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Atrebatenſis ſolenni cenſura proſcripſit pernicioſas opiniones Patris Jacops, Jeſuitæ, circa Sacramentum pœnitentiæ, veraſque pœnitentiæ regulas ſuper iſtius Sacramenti adminiſtratione, in Paſtoralibus Inſtructionibus ſuis præſcripſit, non nominatis Jeſuitis. Sed quas non calumnias ſparſerunt adverſus fundatiſſimam doctrinam ipſius, quas non mortificationes ipſi ſuſcitarunt? offenſam Curiæ, à Statibus excluſionem &c, Ad eludendas Gallicanorum Epiſcoporum cenſuras P. Lcirthioirus, Profeſſor Caſuum in Seminario Tornacenſi docebat, *Belgium non teneri cenſuris & ſtatutis Cleri Gallicani.* Pater Daniel verò in Apologia Theologiæ Moralis Jeſuitarum ad Illuſtriſſimum D Atrebatenſem dure ac rotunde pronuntiavit probabiliſmum à Clero Gallicano damnatum, à Societate nunquam abjiciendum, quandiu eum S. Sedes non damnaverit. Quia, ut Pater Fabri Apolog. To. 1. p. 530. *ipſius ſolius judicio ſtamus.* Sed quam parum fideliter, dum Sociorum opiniones damnat §. præcedenti demonſtratum eſt: prout & hic demonſtratum, non eſſe verum Jeſuitas ut oportet revereri omnes legetimas Eccleſiæ poteſtates.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Solide non probat Huylenbroucq, Theologiam Moralem laxiorem perperam dici Theologiam Moralem Jesuitarum.

NOn desunt etiam Societatis amici, qui corruptam plurium Societatis Scriptorum Theologiam Moralem deplorantes salutique animarum pernicioſam censentes nihilominus cum Huylenbroucquio putant immerito vocari Theologiam Moralem Jesuitarum : cum Societatis corpori Jesuitarum particularium opinamenta quæcumque tribuenda non sint; sicut Ordini Prædicatorum tribuenda non sunt opinamenta plus justò laxa particularium quorumdam Thomistarum. Maxime cum Societas neminem adstringat ad laxiora illa sectanda, nequidem ad defendendum probabiliſmum, sed liberum cuique relinquat ea sequi quæ sibi magis probantur, legesque suas accommodet ad sedis Apostolicæ definitiones, illico damnans quidquid ipsa damnat, nec patiens unquam aliquid ab ea damnatum à quoquam suorum iterum doceri; tametsi circa ea quæ summi Pontifices Theologorum ventilationi permittunt, Theologis suis Societas liberam relinquat optionem. Dummodo tamen abhorreant ab omni novitate & laxitate, à qua se abhorrere Societas declaravit in Congregatione XIV. idque suis Professoribus & Scriptoribus cordi esse sibi compertum declaravit.

Audio pulchra verba, audio voces; sed si Professoribus & Scriptoribus Societatis cordi sit abhorrere ab omni novitate & laxitate ; quid est quod è Societate præcipui in novitates & laxitates, signanter in probabiliſmum (novitatum & laxitatum omnium principium & fontem abierunt , solique defensores probabilitatum & laxitatum in Societate honorarentur, Vasquez, Suarez, Sanchez, Filiutius, Lessius, Escobar, Tamburinus &c. Quanto enim apud Socios in honore sint isti, nullus ignorat. Vasquez , apud ipsos *in moralibus unus est pro mille*

mille. Fatetur nihilominus Thyrsus Gonzales, Generalis Societatis, ipsum præ cæteris contribuisse ad diffundendum per orbem probabilismum.

Suarez, post Vasquem adeo collaudatus, ut fere ad cœlum usque à Sociis extollatur, & in Hispania quasi unus ex sanctis Patribus honoretur, cum Vasquez probabilismum, & philosophismum docuit, formidolosæque attritionis sufficientiam in Sacramento pœnitentiæ.

Quas non laxitates docuit Thomas Sanchez, *Moralium Scriptorum princeps, splendidissimumque Theologiæ Moralis lumen* æstimatus in Catalogo Scriptorum Societatis? Quidquid fere scripsit, Moralem Christianam parum sapit.

Lessium *non magis ingenii monumentis, quàm virtutum fama æternum* (apud Socios) *atque ex toto orbe consultum pro oraculo*, scimus laxitates exorbitantes tradidisse de homicidio *& furto* &c.

Utinam, utinam, Theologiam novitatibus & laxitatibus adeo corruptam non docuisset Escobar, adeo æstimatus in Societate, & laudatus in ipsius catalogo, ut Theologia Moralis ipsius typis edita fuerit vicibus triginta novem!

Quemadmodum & Baunius, licèt adeo corruptus, æstimatus fuit *singularis circa illas quæstiones omnes eruditionis.* Similiter Tamburinus, *magna Doctorum commendatione* celebratus viginti vicibus luci datus. Et Layman, Filiutius, Mascareñas apud Socios plurimum commendati, tametsi eorum Theologia Moralis plena sit laxitatibus magnis. Isti sunt tamen, quorum lectionem Junioribus Theologis suis Socii præscribunt, Lessius (inquam) Sanchez, Escobar, Tamburinus & similes, aliorum vere, ut Comitoli, Andreæ Blanci, Elizaldi & similium, Theologiam moralem vere christianam tradentium lecturam non permittunt, nec in Societatis Catalogo multum laudantur.

Quòd cum ita sit, respondeat, si potis est, Huylenbroucq, ad istud argumentum: Ea est Theologia Moralis Jesuitarum, seu Societatis, cujus sententia sustinentur, laudantur, commendantur, & communissima

ſima ſunt apud turbam Theologorum iſtius Ordinis, & præ cæteris eo in Ordine majoris ſunt æſtimationis & authoritatis, itaut eorum lecturam Superiores Theologis Junioribus præſcribant ad ipſos formandos. At Authores iſti, & fere omnes, & ſoli præ cæteris æſtimati, & Junioribus præſcripti defenſores ſunt probabilitatis, ac Theologiæ Moralis laxioris, adeo ut vix ulli ſint in Societate, niſi quatuor vel quinque, fere incogniti, & vix ullius in Societate conſiderationis, quorum Theologia Moralis aliena eſt à probabiliſmo & laxitatibus; ergo &c.

Quam magno numero ſint in Societate Scriptores iſti ac defenſores oſtendit Univerſitas Pariſienſis in Theologia Morali Jeſuitarum anno 1643. per Hallerium Doctorem Sorbonicum typis mandata. Ex ipſis plurimos apud Clerum Gallicanum anno 1659. accuſarunt ſapientiſſimi Curiones Pariſienſes & Rothomagenſes, quorum lectura horrorem incutit. Similiter anno 1667. Jeſuitarum Theologiam moralem compoſuit Perraltus & ipſe Sorbonicus Doctor, ingenti numero Jeſuitas proferens à quibus tradita ſunt dogmata principiis evangelicis aperte contraria. Et longe plures §. 6. producti ſunt.

Et quinam ſunt qui hæreticis arma ſubminiſtrant ad exprobrandas Eccleſiæ horrendas propoſitiones illas, niſi præ cæteris Jeſuitæ, qui præ cæteris eas per univerſam ſpargunt Eccleſiam? Et ideo dum Proteſtantibus controverſiſtæ noſtri novitatem exprobrarunt doctrinæ, pro cujus defenſione vim inferebant claris divinæ Scripturæ textibus, à toraque recedebant Traditione. Reſponderunt ipſi, quàm plurimos è Caſuiſtis noſtris Moralem quoque novam toti Eccleſiæ veteri incognitam, clariſque Evangelii textibus adverſam tradere.

Quando etiam nonnulli è noſtris objecerunt ipſis, quod per pernicioſa ſua de juſtificatione, juſtitiæque inamiſſibilitate dogmata Chriſti Moralem ſubverterunt, utpote ſecundùm dogmata illa pro ſanctis, & Dei amicis agnoſcentes grandiorum criminum reos. Ipſorum Miniſtri objectionem in catholicos retorſerunt à

quorum Casuistis horrenda excusabantur crimina facilisque ad sacramenta accessus permittebatur iis qui criminum istorum habitum contraxerant, & sic graviorum criminum confœderatio fiebat cum eo quod apud nos erat sacratissimum.

Denique dum etiam Protestantibus objecimus, quod Ecclesiam formassent à qua ne eos quidem excludebant; per quorum errores Religionis invadebantur fundamenta. Responderunt quod Ecclesia Romana in sinu suo eos quoque sustinebat, quorum doctrina Christianismi dehonorabat sanctitatem.

Ecce qualia hæreticis arma Jesuitæ subministrant ad se defendendum contra Controversistas nostros. Ipsi soli (aiunt in quinto scripto suo Curati Parisienses) Ecclesiam (quæ ob suam sanctitatem populorum omnium sibi conciliare debet venerationem & dilectionem) reddunt hæreticis contemptibilem, & minus amabilem, dum Ministrorum malignitas Jesuitarum dogmata cum Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus confundit ut possint indesinenter populis dicere, à se abjectam esse cum Romanis communionem, ob licentiam apud ipsos ubique regnantem, certè nimis magnam. Cum apud ipsos usque adeo abjiciatur obligatio diligendi Deum & proximum, ut censeant salvari posse homines, qui nullum unquam dilectionis Dei actum elicuerunt. Quod etiam ad cavendam injuriam liceat hominem occidere, & similia horrenda quàm multa.

Atque ex ipsis Minister Jurius sic adversus nos argumentatus est: Jesuitarum Societas, Corpus est adeo potens, & tam libenter auditum in Ecclesia Romana, ut opiniones ipsius censeri possint apud Catholicos receptissimæ. Atqui certum est, à Jesuitis doceri quod nulla sit obligatio Deum amandi, nequidem ad reconciliandum se cum Deo; quod sequi liceat opiniones minus tutas & minus probabiles; quod, sine peccato ignorari possit existentia Dei, peccataque gravissima inculpatè committi, si actu non adsit advertentia ad malitiam &c.

Quam facile erat Jesuitis objectionibus istis, exprobra-

brationibuſque finem imponere, ab opinionibus iſtis abſtinendo ! An non hoc ab ipſis poſtulabat honor Eccleſiæ, nec non zelus & deſiderium opponendi ſe hæreſium progreſſui, & hæreticis adverſus Eccleſiam ora claudendi. Verùm ad hæc (licèt ad verum intereſſe Societatis pertinentia) Jeſuitæ parum ſenſibiles, cum hæreticis conveniunt. iſta doceri à Scriptoribus ſuis, & nihilominus non ſolum juſtificare annituntur, ſed & dicere audent, à ſolis hæreticis prava illa dogmata impugnari poſſe. Atque ita dum Miniſtri demonſtrant Caſuiſtarum Societatis opinamenta indigna eſſe nomine chriſtiano, Jeſuitæ Miniſtris ſe ſociant, in dicendo, quod opinamenta illa Eccleſiæ non diſpliceant, nec ab ipſa damnentur. Sed utroſque praxis Eccleſiæ confundit, noſque cum Eccleſia hæreticis ora claudimus, dicendo, Moralem anti-chriſtianam nobis Catholicis perperam tribui, cùm præcipuarum urbium Paſtores dogmata illa proſcripſerint, quæ nobis Calviniſtæ attribuunt; præcipuæ quoque Univerſitates & Epiſcopi ea gravi cenſura notarint, damnaveritque etiam S. Sedes, cum generali applauſu Catholicorum omnium. Soli proinde Jeſuitæ operiendi ſint duplici confuſione quod ea ſuſtinuerint, & Eccleſiam complicem reddere tentaverint, quaſi permittentem ea ſuſtineri.

Tametſi ergo Jeſuitæ non ſint primi inventores probabiliſmi, primi ſunt perfectores & præcipui propagatores laxiſſimæ iſtius novitatis & laxitatis; utpote qui conſectaria omnia illius, eaque peſſima prævíderunt (non ſic alii) nec ab eo, uti nec à conſectariis illis propterea receſſerunt, ſed cum audacia magna ſuſtinuerunt, Moralemque Chriſtianam præ cæteris corruperunt, non ſine magno ſalutis animarum præjudicio. Et nihilominus in ſtudiis omnibus, Seminariis & Univerſitatibus dominari amant, Magnatumque, divitum, & principum omnium conſcientias dirigere; ſed ſimiles Medicis illis, qui infirmorum multitudinem magnam, ad ſe confluere affectant, quorum ne unum quidem curare valeant.

Cùm igitur hoc eo ipſo non ſit de vero Societatis

honore, quo non est de honore Ecclesiæ, cui eo quoque ipso maxima adfert detrimenta, quo detrimenta adfert saluti animarum, Huylenbroucquium ultra non audite, R^di Patres, vanissimis vindicationibus, seu vitilitigationibus & gerris suis vos avertere satagentem, oculos vestros & aures vestras ut videntes non videatis, & audientes non audiatis mala certissime magna, quæ in Societatem irrepsisse, mundus totus videt; sed audite potius eos, qui Societatem, verius quam ipse, secundum Deum diligunt, dum mala illa vobis ob oculos ponunt, ut iis remedium verè ac sincere afferatis, verique proinde Loyolitæ, ac Socii Jesu, ad majorem Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, & animarum salutem sitis.

Audite, inquam, viros sapientia & vitæ sanctimoniâ illustres, omnique exceptione majores, mala illa testificantes, remediique eorum necessitatem demonstrantes.

Ac primo loco audite Illustrissimum D. de Solminihac, Episcopum Cadurcensem, miraculis post obitum claresc̃entem, qui orationi per quinque horas quotidie vacans; atque à carnibus, piscibus & ovis abstinens, solis leguminibus & herbis inconditis contentus; & in peragenda suæ diœceseos visitatione assiduus; pater pauperum, Canonicorum Regularium de Chancelade Restaurator, virtutum omnium compendium fuit. Ipse verò quatuor ante obitum suum mensibus, Abbatem Ferrerium, Albiensis Episcopi Vicarium generalem, rogavit ut ex parte sua cæteris Galliarum Episcopis notum faceret, *sibi Jesuitarum doctrinam & disciplinam diligentissime perspectam, nec quicquam à se prætermissum, ut ipsos in viam revocaret; sed irrito labore. Quamobrem illos à se magnum Ecclesiæ flagellum, ruinamque existimari, indignosque quorum operâ Episcopi, ad Deum solide gradientes, pro suarum Diœceseum salute & utilitate satagentes utantur, & ad ipsos ingrediantur, cùm inde authoritatem captent.* Monitum tanti viri executus est laudatus Abbas; cujus fidem omni exceptione majorem soli negare possunt calumniatores.

Se-

Secundò audite magnæ etiam Sanctimoniæ laude illuſtrem Franciſcum Caulet, Epiſcopum Apamienſem, qui ſaluberrimum iſtud Solminiachi monitum, ab eodem Abbate acceptum, non ſolum probavit, ſed & cæteris Galliarum Epiſcopis per ſcriptas ad eos litteras divulgavit. Probavit & idem monitum Illuſtriſſimus D. Pavillon, Epiſcopus Alectenſis, tantæ etiam Sanctitatis opinione clarus, ut ob eam, ſicut & Cauletus, Innocentio XI. acceptiſſimus fuerit, & à novemdecim illuſtrioribus Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis una cum Nicolao de Buzenval Belluacenſi & Henrico Arnauld Andegavenſi Epiſcopis, Sociorum laxitates plurimum improbantibus, in epiſt. ad Clementem IX. hiſce verbis magnopere commendatus: *Impetrabit vel ab inimicis excellens horum quatuor Epiſcoporum virtus hoc teſtimonium, non alios eſſe, qui ordinem noſtrum magis exornent, & Eccleſiam magis ædificent, qui populorum ſaluti, & commiſſi ſibi gregis curæ vigilantius incumbant, & qui omnes denique Epiſcoporum partes cumulatius expleant.* Et in epiſt. ad Regem ſuum chriſtianiſſimum: *certi ſumus, quod ſi placeat Majeſtati veſtræ jubere, ut examinetur cauſa quatuor iſtorum Epiſcoporum, tantam inde habebit ſatisfactionem, ut pro cæleſti benedictione accipiet habere ſe in Regno ſuo tam dignos Sanctorum illorum* ſucceſſores, quorum pietatis exempla diebus noſtris reſuſcitant, *per charitatem non minus ardentem, quàm puram, nec quæ ſua ſunt quærentem, quemadmodum & per indefeſſam vigilantiam in laboribus miniſterii ſui.* Unde & Eminentiſſimus Cardinalitia dignitate & ſanctitate le Camus Epiſcopus Gratianopolitanus, in approbatione libri Illuſtriſſimi D. Gondrini, Senonenſis Archiepiſcopi, de pœnit. publ. Pavillonum (licèt Sociis multis tam inviſum, totque calumniis impetitum) appellare non dubitat *Sanctum Antiſtitem, Gallicanorumque Epiſcoporum & exemplar & Patrem.* Pius quoque Contenſonus, Pavilloni & Cauleti diœceſes ſe vidiſſe teſtatur *velut Eccleſiæ primitivæ ſpiritum redolentes. Quatuor tamen ſanctos* Epiſcopos illos Sociorum calumnias non evaſiſſe notorium

rum est, eo quod ipsorum non admiserint laxitates, sed iis adversati fuerint) prout videre licet in epistolis ipsorum ad Innocentium XI. Tota denique Gallia novit quanto in pretio Pavillonus fuerit apud Serenissimum Principem de Conti, Armandum Borbonium, apud celeberrimum D. Rancæum, Abbatem Trappensem (à quo æstimatur alter sui sæculi Sanctus Carolus Borromæus, suo tempore non habens in sanctitate parem, nec in humilitate & cælesti lumine superiorem) nec non apud triginta Episcopos (Ecclesiæ Gallicanæ lumina) à quibus in approbatione Ritualis ipsius de ipso dictum fuit, quod à S. Cœlestino I. de S. Augustino, quod utique *superior* esset *omni mala suspicione*, quodque Rituale ipsius non contineret, nisi *purissimas Evangelii regulas*, & sanctissima dogmata canonum Ecclesiæ, tametsi Jesuiticorum Casuistarum novitatibus & laxitatibus prorsus adversa.

Tertiò audite Rmum Patrem Hieronymum Baptistam de la Nuza, Ord. Prædic. Arragoniæ Provincialem, ac deinde Episcopum Albaricensem (cujus heroicas virtutes in magnaque sanctitatis opinione transitum in alteram vitam sacer Ordo ille testatur in actis Capituli sui generalis anni 1625.) in libello supplici ad Catholicum Regem suum Philippum II. anno 1597. sic loquentem: *In fingendis novitatibus intendunt Jesuitæ: adeo tamen ægrè ferunt sibi ab aliquo contradici, ut principum Ecclesiasticorum ac sæcularium aulas clamoribus impleant, & pia (quod mirandum magis) sibi adversantium studia, quasi suscitata scandala criminentur. Novam profectò, sed illis interim familiarem industriam:* seu Jesuiticam artem *statim atque Religiosus aliquis Ordinis nostri nonnulla docet, contra quæ ipsi vel dixere, vel docuere, tametsi, nudè propugnata veritate, illos nullo modo indigitarit; statim devotorum suorum ac devotarum domos circumcursant, id sui occasione factum conqueruntur; nosque ipsis implacabile bellum inferre; pacem perturbare; Apostolica mandata pessumdare oblaterant. Multa hac de causa siniſtre expostulant, quibus & populum commovent, & suis partibus addicunt, sic ut è*

re

re Catholica Superiores existiment, novis nos pro bono pacis præceptis onerare. Hæc ergo si feratur agendi ratio, nedum cæterorum, uti moliuntur, Scholas occludent, libros præpedient, sed & crescentibus in dies novitatibus, & interdictâ censurandi veniâ, quidquid demum sanæ doctrinæ est, eliminabunt. Ac si semel contra debitam summo Pontifici, Regibus, Episcopis, Inquisitoribus obedientiam, notent aliqua, eo etiam suscitandi scandali prætextu, ad præcludenda sibi adversantium ora, mandata rogabunt, & obtinebunt. Quibus propterea sacrum illud Eliæ ad Regem Achab responsum accommodari meritò potest, dum dicenti Regi: „ Tune es, ille, „ qui conturbas Israël"? *Respondit Propheta:* „ Non ego „ turbavi Israël, sed tu & domus Patris tui, qui dere- „ liquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim.

Compertum omnibus est, tamdiu in Hispania pacem esse servatam inter Religiosos Ordines, quamdiu divinorum auxiliorum illorumque efficaciæ doctrina, juxta Sanctorum Augustini & Thomæ principia tradita fuit; multaque Hispanos, hujus doctrinæ vindices, à Deo beneficia fuisse consecutos. Verùm ex quo tempore Ludovicus Molina, ejusque Gregales fanaticos propriæ vertiginis partus Patrum sententiæ prætulerunt, Scholæ depravatæ sunt, mutuisque dissidiis, ut alias Gibellinorum tempore Hispania jactata est.

Et certè quis æquo animo ferat, quæ à Patribus illis continuo proferuntur, illos scilicet scandala excitare, qui eorum novitatibus contradicunt? Siquidem ab Institutione Ordinum SS. Dominici & Francisci, contrariæ inter utriusque Instituti viros opiniones extitere; nec tamen eorum aliquis partem alteram excitati scandali accusavit, sed cum opinionum repugnantia summa stetit animorum conjunctio. Idem de cæteris Ordinibus, ac ipsis etiam sanctissimis antiquæ Ecclesiæ Patribus, Augustino & Hieronymo, dicendum venit. At quis Patres Societatis eâ uti arte nunc miretur, si injecta suis adversariis suscitati scandali accusatione, res suas feliciter promoveant, & pro votis obtineant.

Cæterum quæ nunc inde futura mala prospicio, pro-

spexit

ſpexit etiam Illuſtriſſimus Epiſcopus Canarienſis, Melchior Cano, cujus verba refero ex epiſtola data ad optimum Patrem Regla, Ordinis S. Auguſtini, Carolo V. Imperatori à Confeſſionibus, ubi ſic ſcribit: „ Utinam & mihi, „ quod olim Caſſandræ, non accidat: cui non eſt data „ fides, donec Troja incendio periiſſet. Si quo pede „ cæperunt Patres Societatis, pergere permittantur, „ faxit Deus, ne tempus tandem adveniat, quo Reges „ obſiſtere eos velint, nec poſſint ". *Nihil miror hæc ab eo dicta: quippe unus ex præcipuis viris, qui inter ipſos hac in patria floruere (dum Viſitationem Societatis, authoritate Majeſtatis veſtræ, ab Illmo Epiſcopo Manriques obeundam, atque ab illo vehementer optatam, averterunt) cuidam è noſtris dolore tactus, ac gemebundus ait:* „ Effecerunt Patres noſtri, ne Illuſtriſſimus „ Epiſcopus apud nos Viſitationem obiret. Contra ip- „ ſam etiam Eccleſiam Dei Societas prævalere tenta- „ bit, & adnitetur. An non iſta neceſſariò reformanda?

Quarto loco audite permagnæ etiam ſanctimoniæ Epiſcopum Angelopolitanum Palafoxium, non ſolum in epiſtola latina ad Innocentium X. (de qua infra) ſed & in priori epiſtola ad R. P. Rada Jeſuitarum Provincialem in provincia Mexicana, quam nemo dubitat ab ipſo verè ſcriptam fuiſſe) audite (inquam) ipſum de vobis juſtiſſimè conquerentem: *Quas non ſatyras adverſum me vulgaſtis? Quas falſas relationes, quibus me velut flagitioſum, vitioſum, ambitioſum, crudelem depingebatis, propterea quod tutor eſſem dotis ſponſæ meæ, id eſt decimarum Eccleſiæ meæ, defenſorque pedi paſtoralis ac mitræ, ſeu jurisdictionis.* Et addit, juſtam non eſſe iſtius provincialis querimoniam, quod ſtudioſis Societatis ordines denegaſſet, cùm eos denegaſſet ob infamem maſcaratam, ab ipſis die S. Ignatii ex ipſo Societatis Collegio egredientibus publicè factam in contemptum dignitatis Epiſcopalis, Pedo paſtorali ad equi caudam, mitra ad ſubicem ephippiarium appenſa, cumque ludieris hiſce verbis in fine orationis dominicæ recitatis *Libera nos à Palafox*, loco

libera

libera nos à malo, adjunctis etiam versibus Episcopum velut hæreticum diffamantibus.

Oy con gallardo denuedo
Se opone la compaina
A la formal heregia.

Sicque *cum ego defenderem Concilium Tridentinum* (inquit Sanctus Episcopus) *Constitutiones Apostolicas, decreta Pontificia, salutem animarum, hæc omnia quia Jesuitas ligant & arctant, hæretica esse populis Jesuitæ suadent & suggerunt.*

In epistola quoque 1. ad Innocentium X. conqueritur, quod adversus ipsum *libellos scripserint famosos.* Quemadmodum & in sua *defensa Canonica* Catholico Regi dicatâ.

In epistola vero 2. ad eumdem Innocentium X. de die 8. Januarii 1649. quot non ex capitibus iisque momenti maximi, necessitatem demonstrat reformandæ Societatis, Stylo tam humili & sancto tamque perspicuè & ingenuè Sanctitati suæ exponente omnia quæ ipsum inter & Jesuitas in remotis illis partibus contigerunt, ut vel ex circumstantiis istis appareat à Sto. Episcopo illo scriptam esse, non ab alio, maxime non existente de partibus illis. Sic ergo incipit Episcopus ille, natalibus, doctrina & vitæ sanctimonia clarissimus, illustrissimusque.

Sacris tua Sanctitatis pedibus provolutus, Pater beatissime, infinitas Deo, & Apostolicæ Sedi gratias ago, quod tanta benignitate & humanitate Doctorem Silverium de Pineda, Procuratorem meum foveris, & per eum brevissimo tempore remissum litteras Apostolicas super dubia oraculo sapientiæ tuæ proposita, nostros intellectus illuminantes, errores corrigentes, discordias sedantes non sine lachrymis præ hilaritate, gratiarumque actione acceperint. . . . . Sed eheu! Pater beatissime, non in hac mortali conditione & miseria hilaritas, sine mœstitia. . . . Siquidem Religiosi Jesuitæ majores turbas contra me, & dignitatem meam excita-

citarunt, acriores seditiones commoverunt, & injuriis atrocioribus dehonestarunt, & Clerum meum, & gregem crudelissimè vexantes (liceat mihi hoc enarrare, cùm ita eos fecisse libuerit) in majores angustias redegerunt. Cæco enim quodam quasi furore perciti.... Religiosi isti, quos in Domino semper amavi ut amicos, & nunc ardentiùs ut inimicos diligo, videntes meos subditos Conservatorum suorum (jure ab ipsis non assumptorum, utpote non aliam ob causam (inquit) quam quod in animarum salutem, & propugnationem Ecclesiasticæ jurisdictionis, & decretorum sacri Concilii Tridentini incumberem) invalidis excommunicationibus non assentari, sed suo amabili Pastori, vocem ejus in suis Edictis agnoscentes, inhærere, se existimantes contemptos, in maximam iracundiam exarserunt, & nisi eorum libidini & arbitrio meam dignitatem, & baculum pastoralem submitterem, de incarcerando Episcopo cogitarunt..... nullamque compositionem aut concordiam admittere volentes.... cædes, carceres, exilia, proscriptiones, nisi me submitterem, comminantur.... Videns itaque adversariorum mentes in id maximè tendere, ut meam caperent personam, aut in ipsa expugnatione perimerent, qua capta & perempta, & de mitra captivâ triumphum, & de grege spolia, & de causa victoriam reportarent; percusso enim Pastore quàm facillimè disperguntur & oves; posteaque falsis probationibus, & calumniis, & criminationibus adversariorum, veritas Pastoris indefensa, & fama acquisita, cum ipso corpore occisa consepulta jacerent....

Fugâ ergo Rempublicam salvam facere statuens, & meis pœnis adversariorum culpas, & iras aut eludere, aut delinire constituens..... in montibus quæsivi refugium, & inter serpentes, scorpionesque, & animalia pestifera (quorum regio feracissima est) securitatem & societatem, quam in hac Religiosorum implacabili societate invenire non potui. Hoc modo, hisque periculis & angustiis salva Respublica fuit, &, si non pax spiritualis, saltem temporalis, & publica, reddita est regno. Nam spiritualis tranquillitas..... ubi cum Jesuitis res agi-

agitur, ſolum à Jeſu Chriſto, & à tua Sanctitate ejus Vicario, Pater beatiſſime, reddi, ſtabilirique poteſt: adeo enim terribilis eſt, ſi non reformetur, eorum in Eccleſia univerſali potentia, adeò ampliſſimæ facultates, honores, divitiæ, ut omnibus dignitatibus, legibus, Conciliis & Apoſtolicis Conſtitutionibus potentiores exiſtant.

Poſt hæc ab articulo 21. ad 156. Sanctiſſimo Domino enarratis quamplurimis aliis Jeſuitarum exceſſibus intolerabilibus, ſic concludit: *Ergo Beatiſſime Pater, hæc & alia, quæ tuæ Sanctitati conſtabunt, & mea humilitas, muneris & oneris Paſtoralis obligatione compulſa, tuo ſanctiſſimo zelo retulit moderanda, vel omnino reformanda, omiſſis etiam plurimis de his ſanctis Religioſis Jeſuitis, quæ ad Tuas aures minimè fortaſſe pervenerunt (nam ipſi enixè admodum curant. . . . . ut ea tuæ Beatitudini occultentur, & remedium expoſcunt, cenſurâ indigent, reformationem expetunt: tuoque prudentiſſimo judicio relinquendum erit, quibus mediis remediiſque hæc omnia, ſi non ſanari, ſaltem moderari valeant; quod facillimum tuæ ſuprema Poteſtati erit, præcipuè omnibus ferè Eccleſiæ Ordinibus in idipſum conſpirantibus.*

Et poſt ſuggeſta nonnulla remedia, *Omnia hæc* (inquit) *Pontifex beatiſſime, tuæ infallibili cenſuræ ſubmitto, & ſi quid non congruum, vel indecens, vel quod aliquo modo reverentiæ, quæ tibi ab ovicula iſta debetur, & quod offendiculum præſtare poſſit, ſcripſerim, parcas clementer, quæſo, & non meæ propriæ exiſtimationi, aut elationi, ſed zelo quo ardet animus meus, paſtoralis baculi authoritatis, ſacrarum Conſtitutionum obſervantiæ, fideique puræ, & rectæ propagationis, & univerſalis Eccleſiæ felicitatis atque incolumitatis à tua benignitate imputandum eſſe confido.*

Scio Annatum, Tellerium, Huylenbroucquium mordicus contendere, epiſtolam iſtam non eſſe Palafoxii: ſed cur ita? Vere non alia de cauſa niſi quia ex una parte ad oculum demonſtrat Sociorum exceſſus longè graviſſimos, Societati ignominioſos. Ex alia parte ſatis humiles non ſunt ut patienter ferant

iſtam

iſtam Societatis ignominiam; ad quam præcidendam Societas reformanda ſit. Aſt vel inde oſtendunt ſeſe receſſiſſe à primævo Societatis, ſeu S. Ignatii Fundatoris ſui ſpiritu, ſeſeque Jeſu Chriſti livræam ſeu veſtem propriam abjeciſſe; juxta quam veros Jeſuitas, ſeu familiæ Jeſu Chriſti veros domeſticos agnoſci vult S. Ignatius, dum in examine generali eorum, qui Jeſuitæ fieri volunt, cap. 4. monet *diligenter animadvertere oportere, magnificandi ſummique momenti id eſſe ducendum, in conſpectu Creatoris noſtri, quantopere juvet ad vitæ ſpiritualis profectum, non ex parte tantum, ſed omnino abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur, & admittere ac totis viribus concupiſcere, quidquid Chriſtus amavit, & amplexus eſt. Ut enim mundani homines diligunt & quærunt honores, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut mundus eos edocet, ſic qui ſeriò Chriſtum amant, ardenter exoptant iis contraria, indui nimirum eadem veſte, & inſignibus Domini ſui pro ipſius amore, adeo ut ſi ſine offenſione ulla Dei & abſque próximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia & injurias* (quanto magis veram ignominiam) *pati, ac ſtulti haberi, nulla tamen ad id data occaſione, ut quod exoptant aſſimilari & imitari aliquo modo Chriſtum ejuſque veſtibus & inſignibus indui; quandoquidem ille ipſe, propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobiſque exemplum dedit, ut in omnibus eum imitari & ſequi velimus. Examinandus proinde interrogetur, an decreverit, paratuſque ſit injurias, illuſiones & opprobria, ignominiaſque in Chriſti inſignibus incluſa, quæ & inferentur, per quemvis viventium admittere, & patienter ferre, nullique malum pro malo, ſed bonum pro malo reddere?* Quod & in libro, *Societatis Jeſu* regulas complectente, cap. ultimo *ſummarii Conſtitutionum* ab omnibus Jeſuitis obſervandum ſic præcipitur, ut Alfonſus Rodriguez p. 2. de perfectionis & virtutis chriſtianæ exercitio, eos qui hanc regulam non ad amuſſim obſervant, neget eſſe vere Religioſos, neque Jeſuitarum, præter nomen, quidquam habere.

Et

Et revera conſiderate, R^di Patres, ſintne veri Socii Jeſu, veri filii S. Ignatii, qui uſque adeò defecerunt à ſpiritu Jeſu, & patris ſui ſancti Ignatii ut ſibi ignominioſum putent portare livræam ſeu veſtem inſignem Jeſu Chriſti, honorari volentes, non contemni, & omni vi perſuaſum omnibus eſſe volunt, Societatem (uti dicunt in Imag. primi Societ. ſæculi) eſſe *Societatem hominum, imo potius Angelorum, quam ſic pranuntiavit Iſaias:* „ite Angeli veloces.“ Nec non quod ſit domus ſapientiæ, in qua *Jeſuitas omnes divina regit ſapientia.* Ideoque *omnes aquilæ ſunt ingenio. Turbam phœnicum vere dixeris.* Eſtque Ordo iſte *Ordo perfectorum virorum.* In quo *Socii omnes ſint ſenes, & quotquot extremum in Societate Jeſu diem obierunt* dici poſſunt *ſæculum vixiſſe. Si quid relucet in ſingulis, hoc ita eximium, ut propè ſit omnibus familiare. Fortitudinem in aggrediendo miraberis in uno? Viri ſunt omnes, omnes jubati leones. . . . . videas hos heroes, pro Dei & Religionis cauſa, inter fulgura & coruſcationes velut ruentis in ſe cœli pondus inconcuſſo quodam vigore ſpiritus excipientes . . . . . fortes amoris milites. Quis delectus, Deus immortalis! Quæ belli fulmina! Quis flos militiæ! Quæ Eccleſiæ præſidia! Qui tutelares ac vindices! Quorum ſinguli in viros ſummis rebus pares formati, audeo dicere, pro acie cenſentur. . . . . Quocumque miſeris oculos, id tibi occurret, quod emmere poſſet, niſi inter paria legeretur. Cenſeri poſſunt Rationale judicii, ſeu oraculum doctrinæ & veritatis, affixum Sanctiori Pontifici velut in pectore.*

Qui ergo de ſe, deque Societate ſua tam magnifice ſentiunt, nihil mirum, ſi nihil fateri velint, nec audire, ſibi vel Sociorum alicui, ſeu aliquibus ignominioſum, nihil quo diminuatur gloria illa Societatis, nihil quo exiſtimari poſſit eam à primitivo S. Ignatii Fundatoris ſui Spiritu defeciſſe; remedio proinde, ſeu reformatione indigere; nihil quo Societas reputari poſſit, non maxima, ſed *minima*, prout eam S. Ignatius exiſtimavit & nuncupavit: cum vere maxima ſit, ſi Imago illa ipſius vera ſit, vere maximâ, ſi (quem-

ad-

admodum Germaniæ Socii jactitant, præ cæteris Religionibus, *tam robustis vallata sit præsidiis, ut nec ævum quidem eam labefacturum esse videatur. Et quod cæteris rebus omnibus exoletam quamdam, seu senectutem, seu interitum adferre dicitur, Societas polliceatur ætatem vegetam semper, & florentem, suaque juventuti parem & annorum tantum cursum, non damnum.* Sic profecto de se, suaque Societate non loquerentur Socii Germani, si de ea, prout S. Ignatius, humiliter ac vere loquerentur; soli Socii sic loquuntur, qui superbe se supra cæteros Religiosos extollentes, cum superbis Pharisæis dicunt: *non sum sicut cæteri hominum.* Et an non illis similes sunt, qui supra laudatam Palafoxii epistolam verè ipsius esse diffitentur; cum ipsius esse, certis argumentis demonstret tum clarissimus Doctor Arnaldus to. 3. & 4. Moral. pract. tum Liberius Candidus in Tuba sua Magna (tertiæ maximè editionis) futiles in contrarium Huylenbroucquii vindicationes, nonnisi vitilitigationes, gerras & ineptias esse ostendens.

Quinto proinde loco, post Palafoxium, audite sanctum Martyrem Ludovicum Sotelo, Seraphici Ordinis S. Francisci in Japonia Missionarium Apostolicum, qui in epistola è carcere Omurensi ad Romanum Pontificem (qui tunc erat Urbanus VIII.) per ipsum scripta, paulo antequam vivicomburio, pro fide Christi Martyr occumberet, vitia Societatis profecto magna, remedioque admodum indigentia detegit. Sed nec ipsum propterea audire vult obstinata Huylenbroucquii superbia, quam sanctus ille Martyr probat in Japoniæ Sociis esse tantam, ut *non æquo satis animo ferentes, alios, præter suos, Ecclesiasticam in Japonia dominationem*, seu authoritatem *habere*, cum Romæ impedire non potuissent, ne Sotelus ipse à Paulo V. Episcopus Oxensis in Japonia designaretur, solitis artibus suis Jesuiticis impedierunt, ne in Hispania (uti Paulus V. jusserat,) consecraretur. De eadem Jesuitarum superbia, an non conqueritur universus Orbis? An non etiam conqueruntur & Universitates omnes regni Gallia-

liarum, & Poloniæ ? Prout laudatus Liberius Candidus demonſtrat.

Epiſtolam profecto illam, cum toto Seraphico ſuo Ordine, Soteli Martyris eſſe Wadingus agnoſcit in libro de Scriptoribus Ordinis ſui. Agnoſcunt & ipſimet Socii in vicino Sinarum Imperio Miſſionarii, veritatem hanc tanta in vicinia ſcriptam negare non auſi; ſed ab ipſo retractatam fuiſſe fabulantur. Aſt prorſus contra veritatem; quemadmodum Navarretus Ord. Prædicat Archiepiſcopus S. Dominici oſtendit to 2. tr. 7. pag. 366 hiſce verbis: *Novum non eſt, Societatis Religioſos ſimilia comminiſci, ad ſalvandum Societatis honorem. Epiſtolam quoque à S. Martyre Sotelo è carcere conſcriptam hiſce in partibus agnoſcentes, Patri Antonio à S. Maria dixerunt, ab ipſo ante mortem revocatam fuiſſe, & retractatam. Idem mihimet ipſi de alio Religioſo Franciſcano dixerunt, qui neſcio quid contra Socios ſcripſerat de Patre* FERREIRA, QUI APOSTATAVERAT IN JAPONIA, MIHI QUOQUE PATER AMOGA *Jeſuita dixit, quod in fine vitæ converſus, pro fide mortuus fuiſſet. Idipſum Pater Govea mihi dixit de patre Morales, ipſum, me præſente, ſanctum martyrem vocans. Nobis tamen compertum eſt, quod cum de eo teſtimonium à Joanne Acoſta Binnichio poſtulaſſet; pro reſponſo repulſam acceperit, eo quod ſciret, quod mortuus eſſet velut canis. Anno* 1680. *è Macao Jeſuitæ teſtimonium extorſerunt, quod negotiationem non exercerent, & à noſtris Miſſio Sinenſis eſſet deperdita. Quæ cum certiſſime falſa ſint, quâ conſcientiâ ſimilia audent ?* Ecce qualis eſt Jeſuitica fides, fides utique fide non digna: quia omnem in partem Jeſuitæ ſe vertunt, etiam contra veritatem, ut ſacrorum ſuorum vitia occultent; adeout ipſos etiam Societatis Apoſtatas, in Apoſtaſia mortuos velut canes, ſanctos martyres appellare ipſos non pudent. An nonergo digni ſunt, quibus pro ſe ſuiſque, fides nulla debeatur?

Sciat ergo Huylenbroucquius, ſibi debitam non eſſe fidem, dum eam debitam negat Santamoreo, certificanti, ſupra dictæ epiſtolæ Palafoxii copiam ſe Romæ acce-

accepisse à P. Cosimo Ricciardi, magni meriti, insignisque pietatis atque eruditionis viro, Romæ sic æstimato; istamque ob causam apud Eminentissimum Chigi (qui paulo post Romanus Pontifex Alexander VII. fuit) commendatissimo: qui expressè etiam declaravit, eam se accepisse à Doctore Mangano, Illustrissimi D. Palafoxii apud Sanctissimum Dominum Agente. Quod dum Sanctamoreus apud Sorbonam, & Galliæ Episcopos, cognitæ virtutis ac sinceritatis Doctor reputatus testificatur, præsumendus non est sincerè ac veraciter non testificari, sed mendaciter, nisi hoc evidentibus probetur argumentis: quia *qui allegat malam fidem & dolum is probare debet.* Tuldenus in Comment. Cod. Justin. tit. de probat. n. 18. Evidens vero ad hoc argumentum non est, quod Sanctamorei diurnus Romæ damnatus fuerit: neque enim ibi damnatus probatur quia mendax. Neque idipsum evidens est ex eo quod Parisiis ad ignem fuerit condemnatus. Tum eamdem ob causam: tum quia constat non unum librum vel scriptum ab optimo Rege, ad id per Confessarium suum, seu dolosas Jesuitarum informationes & Ministros partiales circumvento, Parisiis damnatum fuisse. Sic enim Duacenses Theologos per Jesuiticam fourberiam (sic loqui liceat) damnatos fuisse notorium est. Jure proinde Sanctamoreus in sua illa certificatione præsumendus est verax; Huylenbroucq è contra accusator ipsius fallax, si non mendax: maximè cum verisimile non sit epistolam illam, anno 1649. ad Innocentium X. stylo tam humili & tam sancto scriptam, ab alio quam à Sancto illo Episcopo fuisse scriptam; nec possibile à Sanctamoreo cognita esse potuisse tot, & tanti momenti particularia, quæ in loco tam procul distante contigerant, nisi ea ex copia epistolæ ipsius ab insigni illo Domino Ricciardi accepta, uti testatur) didicisset. Præsumptio ergo pro Sanctamoreo contra Huylenbroucquium est. *Vis autem & potestas præsumptionis ea est, ut eum, pro quo stat, liberet à probandi necessitate, eamque transferat in adversarium.* Tuldenus ibidem n. 14. Et ista quidem à Liberio

Can-

Candido dicta fuerunt in Præloquio ad Tubam magnam; ſed hic repetenda, ut eorum Huylenbroucq memor ſit, videatque lector, à præjudiciis liber, iis nihil ab ipſo niſi quiſquilias & cavillationes in prætenſis vindicationibus ſuis reponi. Per conſequens à me expectandum non eſſe, ut tempus pretioſum in ſimilibus aliis vitilitigationibus ipſius teram: neque enim dignæ ſunt.

Sextò audite, Rdi Patres, tertium Generalem veſtrum, Sanctum Franciſcum de Borgia in Epiſt. ad Patres & Fratres provinciæ Aquitaniæ in qua futurum prædixit, quod orbis hodie videt impletum; quod ſi utique, *neglectis mediis conſervandi ſpiritum Societatis* à S. Ignatio ſupra deſcriptum, *in admittendis ad Societatem magis attenderetur ad litteras, & exteriora talenta & dona* poſtulantium, *quam an eo ſpiritu ſe præſentarent, quem ſanctus Fundator requirit, tempus veniret, in quo exiſteret in Societate ambitio, & ſeſe efferret ſolutis habenis ſuperbia, nec eam habituram, à quo continceretur. Quippe ſi animum diverterint ad opes* (prout hodie fieri conſpiciunt omnes) *& cognationes quas habent*, intelligent illi ſe quidem propinquis *& opibus affluente, ſed ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum copia egenos & vacuos. . . . , Atque utinam hoc experientia nondum docuiſſet!* Docere ergo tunc cœperat. Quanto magis hodie docet! Porro iſta in ſubſtantia habentur tam in editione Romana, quàm in Iprenſi. Et ſic prorſus evaneſcit vindicatio, ſeu potius vitilitigatio Huylenbroucquii.

Septimò audite quintum etiam Generalem veſtrum Aquaviva, & ſextum Vitelleſchi, quorum ille in Libro inſcripto, *Induſtria pro Superioribus, ad curandos animæ morbos* cap. 15. dicit quòd ſæcularitas, & auliciſmus, ſe inſinuans in familiaritates, *& gratiam exterorum, morbus eſt in Societate, & intra, & extra periculoſus*, neceſſariò proinde reformandus. Et in Inſtructione pro Superioribus cap. 1. *Eſt* (inquit) *& alia malorum radix longe periculoſiſſima. . . .* rerum ſcilicet exteriorum *occupatio nimia in quam Superiores ut plurimum*

mum. . . . . supra modum effundi solent. Et ista ergo reformanda est.

Vitelleschus vero Epist 1. de orat. ad Patres & Fratres Societatis posteaquam dixit in communi æstimatione 1°. *superbos nos esse, huc nos tendere, ut omnia per nos administrentur, ex nobis pendeant universa, de nostra nos sapientia ample magnificeque sentire, cæteros parvi facere, modico in pretio habere.* 2°. *nostras commoditates nos impense sectari.* 3°. *cupidos nos esse, & quærentes quæ nostra sunt.* 4°. *prudentes nos esse magis & politicos, quàm solide spirituales.* Istorum quidem veritatem expresse non fatetur, sed nec diffitetur Vitelleschus, utpote quæ certis experimentis, omnibus passim notis, nimis comprobata sunt. Et ideo pro remedio contra primum, superbiam utique, *Curemus* (inquit) *ut omnes vulgo plane percipiant, nullius nos alterius rei, quàm novissimi loci ambitione teneri; utque tempore sumus, ac nomine postremi minimique* (*nimirum nostis, Societatem ab iis qui eam constituerunt Patribus* MINIMAM *appellatam*) *ita nequáquam quæsita, sed germana veraque demissionis laude, ut omnium maximi ac principes simus existimamur. . . . . Ne commoveamur, si contemptim, si minus honorifice, si minori in pretio habiti nobis videbimur. . . . . Ne in aulas nos inferamus. . . . Episcopis & cæteris qui præsunt omnibus, intimam ex animo submissionem, atque observantiam deferamus. Ne umbram quidem nostra, seu dicta, seu facta præferant, unde oriri suspicio queat, audere nos cum iis pene ex æquo contendere, nihil non velle pervincere, de omnibus honorifice atque officiose loquamur.* Sicne hodie Socii se gerunt, Huylenbroucq?

Pro remedio contra secundum: *si in vitæ commoditatibus procurandis minus soduli. . . . si in corporis cultu atque vestitu pauperes, & esse & videri gestiamus. . . . . altera querela conticesset.*

Pro remedio contra tertium serviet, *si à litibus abhorrescimus, ... testamentis condendis interesse ex regularium nostrarium præscripto recusabimus. . . . . si nos ita gerimus ut omnes perspiciant, hominum animas,*

non

non marſupia nos quærere, neque id agere ut iſta nobis, verùm ut illos Deo lucremur. Nec iſta hodie ſervari conſpicimus, imo prorſus contraria in magnis civitatibus omnes vident.

Denique pro remedio contra quartam querelam, *Ne quæſo* (inquit) *nobis Patres Fratreſque blandiamur, non pauci hoc in genere valido fræno egent* (audi, audi Huylenbroucq, in genuam confeſſionem, an non in te quadrantem?) *nemini parcunt, nimia agunt libertate & licentia, non ſine gravi charitatis juſtitiæque interdum injuria, dum aliena, ſeu dicta, ſeu facta, nunc amplificata augent, modo ultro citroque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt, ad motus animi, atque conſilia Deo reſervata dijudicandâ progrediuntur: haud ſcio, an dicendum ſit, res neque geſtas unquam, neque per ſomnium quidem oblatas, comminiſcuntur & cantant.... HOC VITIUM LATIUS QUAM OPUS ESSET SERPERE PER SOCIETATEM DEPLORAMUS OMNES.* Neceſſario ergo reformandum, *Jeſuitæque compellendi ad hoc ut magis modeſti ſint*, minus inflati, minus elati, magis ſubmiſſi Epiſcopis & Vicariis apoſtolicis quàm hactenus fuerint, tam in Europa, quàm in China, Tonquino, Cochincinâ, Paraquaria, Manila &c: hominum marſupia tam ſollicite non quærant nec hæreditates (prout tam frequenter facere conſpiciuntur) *ſedoſtendant ſe amatores eſſe paupertatis, juxta S. Ignatii ſpiritum, Conſtitutionumque ſuarum præſcriptum.*

Nec hiſce tamen Monitis contentus Generalis Vitelleſchus, in Epiſtola encyclica anni 1607. iſtam aliam neceſſario reformandæ Societatis cauſam proſequitur, *quod nonnullorum*, (utinam non tam multorum!) *ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum eſt ut ipſam evertant, ſed ne Eccleſiæ etiam Dei univerſæ inſignia adferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula & norma in delectu ſententiarum utantur: Tueri quis poteſt, Probabilis eſt, Authoritate non caret: verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque momenti Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis*

moribus conducunt magis, quæ denique & pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare nec perdere. Quoniam verò conſtitutiones, decreta, regulas probe callent de Sto. Thoma ſequendo, de non promovendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam.... cordi non habere præ ſe ferant, præſertim ſi novitatum amantes eſſe deprehendantur (qui nulla ſunt ratione ferendi) reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi ut hæc ipſa ſervent uti magni rem momenti quàm acerbiſſime poſſum urgere.

Negare non poteſtis, Reſi Patres, veriſſime dictum eſſe à Generale veſtro Vitelleſcho, liberiorem Sociorum opinandi licentiam, præſertim in rebus ad mores ſpectantibus, adeo periculoſam eſſe, ut Societatem evertere poſſet, & inſignia Eccleſiæ Dei adferre detrimenta. Hoc enim & plures ſancti, hoc eminentiſſimi Cardinales, Aguirius & Denhoffius; hoc præcipui hodie Doctores, hoc Illuſtriſſimi & ſapientiſſimi Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi ſic judicant.

Octavo proinde loco audite Illuſtriſſimos, ſapientiaque ac virtute clariſſimos Archiepiſcopos & Epiſcopos, tamquam à Deo conſtitutos fidei legiſque divinæ Doctores vobis certiſſime ſapientiores, utpote à quibus ſapientiam, divinæque Legis intellectum vos oportet addiſcere. Ipſi vero in cœtu Generali Cleri Gallicani anni 1657 per ſupra allatam Epiſtolam, ad totius Regni Galliarum Epiſcopos tranſmiſſam pernicioſis Caſuiſtarum (quorum præcipui ſectatores ſunt Jeſuitæ) ſentimentis Sancti Caroli Borromæi ſalubérrimas Inſtructiones iis adverſas, opponentes, in præfatione ad illas (teſte ampliſſimo D. Abbate Cyrono in Epiſt ad D Curatum Sti. Rochi, Curatorum Pariſienſium Syndicum, de die.... Maii 1657.) conteſtantur „ à multo ſeſe tempore ingemiſcere, quod viderent „ Diœceſes ſuas eo in ſtatu eſſe, in quo Provincia „ Sti. Caroli fuit tempore ipſius, ſed in longe deteriore. „ Tametſi enim Confeſſarii noſtri tam ignorantes non „ ſint, (quàm tunc ibi fuerunt,) non modicum eſt „ periculum, ne ſe depravari ſinant certis neotericorum „ opinionibus, Moralem Chriſtianam regulaſque Evan„ gelicas adeo depravantibus, ut eorum ignorantia

„ lon-

„ longe optabilior ſit ſcientia: Morales quippe quæſtio-
„ nes fere omnes neoterici illi problematice ſuſtinent,
„ modoſque ſuggerunt, quibus pravi hominum ha-
„ bitus foventur, non exterminantur, & ſic ab ipſis
„ juſtificantur, ut eorum praxis in conſcientia excuſa-
„ bilis ſit. Cumque ſua nobis præcepta Chriſtus de-
„ derit, exemplaque reliquerit, ut ſecundum ea vive-
„ rent qui credunt in eum, ſive iis vitam ſuam accom-
„ modarent. Neotericorum illorum ſcopus eſſe videtur
„ Chriſti regulas ac præcepta hominum potius com-
„ modatibus, voluptatibus ac paſſionibus accommo-
„ dare. Siquidem adeo ingenioſi ſunt in abblandien-
„ do mundanorum hominum avaritiæ & ambitioni, ut
„ per adinventiones ſuas ipſis permittant de inimicis
„ ſuis vindictam, honoris defenſione palliatam, mu-
„ tuum dare ſub uſura ſimili pallio velata, in Eccleſiaſti-
„ cas ſe ingerere dignitates quacumque via, falſumque
„ mundi honorem ſanguinariis mediis conſervare. Olim
„ aiebat Dei filius: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ip-*
„ *ſorum eſt regnum cœlorum.* Hodie ſecundùm neote-
„ ricorum illorum ſubtilitates, beati potius ſpiritu divi-
„ tes, ut pote quorum longe facilius eſt regnum cœlorum,
„ cùm ad illud acquirendum ſufficiat non peccare; ad
„ non peccandum verò, ſecundum ipſos, ſufficiat in-
„ tentionem ſuam bene dirigere, in ſequendo paſſiones
„ ſuas nunquam ſibi proponendo finem malum & fla-
„ gitioſum, v. g. ulciſcendi ſe dum ſui honoris inva-
„ ſorem occidunt, ſed ſolum honorem, illam defendere.
„ Præter iſtius doctrinæ corruptionem in omnium
„ animos facile irrepentem niſi curſus ipſius ſiſtatur,
„ ſenſibili etiam dolore affecti fuimus, cernentes in-
„ felicem majoris partis Confeſſariorum facilitatem
„ in impartienda pœnitentibus ſuis abſolutione, ſub
„ ſpecioſo prætextu ipſos per manſuetudinem iſtam à
„ peccatis paulatim retrahendi, deſperationemque &
„ religionis contemptum in ipſis impediendi. . . . . .
„ Propterea quamplurimi Lutetiæ Pariſiorum alia-
„ rumque principalium hujuſce regni Galliarum Curati
„ per ſuum ad nos recurſum, factaſque de exceſſibus

 „ illis

„ illis querelis, imploratumque remedium, zelum ad
„ id noſtrum doloremque adauxerunt. Si citius id feciſ-
„ ſent, novitiarumque opinionum elenchum citius no-
„ bis exhibuiſſent, eas omnes exactiſſima diſcuſſiſſemus
„ ſollicitudine, ſolemnique judicio peſtis iſtius conſcien-
„ tiarum curſum cohibuiſſemus. Verùm ob defectum
„ temporis neceſſarii ad examen iſtud debita cum dili-
„ gentia & exactitudine faciendum, prout tanti mo-
„ menti negotium poſtulabat, judicavimus tam deplo-
„ rabili malo melius remedium pro nunc adferri non
„ poſſe, niſi expenſis Cleri curando typis mandari ſa-
„ luberrimas Sti. Caroli Borromei Cardinalis, & Archie-
„ piſcopi Mediolanenſis Inſtructiones, eaſque ad om-
„ nes hujuſce Regni Epiſcopos tranſmitti, ut Confeſ-
„ ſarii ab ipſo diſcant modum quo ſe gerere debent
„ in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ.

Hactenus Cleri Gallicani Cœtus generalis anni *1657.* Anno vero 1700. poſt excuſſas maxima cum diligentia centum viginti ſeptem noviorum Caſuiſtarum laxitates ſeu novitias opiniones, fere ex Jeſuitis excerptas, ſolenni judicio eas animarum ſaluti pernicioſas pronuntiavit. Quod & ante pronuntiarant dum Caſuiſtarum Apologiam Patris Pirot damnarant inſigniores Galliarum Archiepiſcopi Senonenſis, Bituricenſis, Rothomagenſis, Vicariique Generales Archiepiſcopi Pariſienſis, cumque ipſis Epiſcopi, Aurelianenſis, Tullenſis, Lexovienſis, Catalaunenſis, Alectenſis, Apamienſis, Convenenſis, Baſatenſis, Conſeranenſis, Nivernenſis, Andegavenſis, Belluacenſis Ebroicenſis, Cadurcenſis, Vencienſis &c. nec non Univerſitates Pariſienſis & Lovanienſis.

Videte, RR. Patres, an poſt tam ſolemniter damnatas à tot & tam illuſtribus ſapientibuſque Eccleſiæ Principibus, Academiiſque tam celebribus novitias Caſuiſtarum veſtrorum opiniones, ſeu laxitates tamquam animarum ſaluti pernicioſas, adhuc eas à veſtris doceri permittetis. Videte, an ſaltem liceat vobis dicere, cum pleriſque Sociis veſtris, quòd eas nec defendere vultis nec damnare. Si ſic: videte an damnabilis non ſit temeritas & ſuperbia, tam parum venerari ju-

judicia tam venerabilia, quibus juxta Conſtitutiones veſtras, & ſupra laudatum Generalis veſtri Vitelleſchi decretum tenemini vos humiliter ſubmittere.

Maxime cum negare non poſſitis fideliter citatos eſſe damnabilium opinionum authores, ſive à nobis ſupra §. 6. ſive à Montaltio in Litteris provincialibus citatos; utpote quos fideliter citatos eſſe teſtificantur doctiſſimi Curiones Rothomagenſes, qui (prout videre eſt in ſeptimo ſcripto Curionum Pariſienſium) ut mature procederent in negotio tanti momenti, ſex de ſuis deputarunt ad diſcutiendos libros, in quibus propoſitiones illas contineri Litteræ Provinciales affirmabant. Poſt menſem verò exacti iſtius examinis, teſtimonium perhibuerunt propoſitiones illas à ſe inventas fuiſſe de verbo ad verbum, prout in Litteris provincialibus exhibentur. Quod & poſt examen novum decem alii Curati pariter ſunt atteſtati. Et id ipſum ad oculum demonſtrat Litterarum earumdem noviſſimus Apologiſta.

Poſt hæc nihilominus audet Huylenbroucq citationes illas velut falſas rejicere, falſarius ipſe. Audet & contemptibiliter loqui de Curatis illis Pariſienſibus & Rothomagenſibus, ipſe præ illis contemptibilis, & utinam non dignus, cui reponatur iſtud Tullii: *Quoniam ſemel incepi eſſe impudens, pergam eſſe gnaviter.* Qua etiam redargutione dignus videri poteſt dum 2. P. poſteriorum Vindicationum ſuarum pag. 82. Liberium Candidum impudentiſſimum calumniatorem vocat, ſed non abſque injuriâ impudentiſſima, pro eo quod dixit Patrem Jouvenci, in noviſſima Societatis Hiſtoria Rmum Patrem Magiſtrum S. Palatii, Romanoſque approbatores fraudulenter decepiſſe ut Hiſtoria illa Romanis typis prodire poſſet. Neque enim hoc Liberius Candidus mendaciter finxit. Sed ex probato in Gallia didicit Authore libri cui titulus: *Examen des Fauſſetez ſur les cultes Chinois, avancées par le Pere Joſeph Jouvenci dans l'Hiſtoire de la Compagnie de Jeſus, cinquieme partie to. 2. l. 19.* in quo fraudes illas deſcribit. De iis etiam mentionem facit liber inſcriptus: *Recueil des Pieces touchant l'Hiſtoire de la Com-*

pagnie de Jeſus compoſée par le P. Jouvenci, dans l'Avertiſſement, & pagina 177. &c. Monendum hic occurrit, quod jam prius monuit Collector proximè laudati libri in Præfatione ſecundæ editionis p. XVIII. libellum illum cui titulus. *Examen des Fauſſetez* &c. malè adtributum R. P. Minotelli Dominicano. Confeſſus eſt & non negavit; confeſſus eſt, quia non eſt illius autor, quia non eſt Miſſionarius Sinicus. Aſt nihil inde autoritatis demptum eſt libello: quin immo majorem acquiſivit. Manifeſtum enim factum eſt eſſe opus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Caroli Maigrot Epiſcopi Cononenſis, in China Vicarii Apoſtolici, Doctoris & Socii Sorbonici, quocum Europeorum nemo de eruditione Sinica contendet.

Ex hucuſque ergo dictis lector non præoccupatus ſatis videre poteſt quod neceſſe non ſit ſpecialiter reſpondere ad ceteras Huylenbroucquii vindicationes, cùm æque infundatæ ſint & frivolæ, quàm hactenus confutatæ. Deus miſericors ipſius miſereatur, detque ipſi ſpiritum ſancti Ignatii, ut non ſit de numero Jeſuitarum ſecundi generis, ſed primi de quibus ſapientiſſimi Rothomagenſis Parochi in epiſt. ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum ſic loquuntur: „ Nullus jam relinquitur ambigendi locus, quin Jeſuitæ hoc opus tenebrarum (Caſuiſtarum utique apologiam) pro ſuo agnoſcant, & tueantur. Modo enim ſub eorum nomine adverſus *factum* Curionum Pariſienſium typis editæ ſunt tumultuariæ plures chartæ, quibus ſuſcipiunt patrocinium opinionum in Apologiâ contentarum Niſi hæc intueremur, adduci minime poſſemus ad credendum. Quis enim arbitraretur Societatem, quæ pietatem, virtutem, doctrinam, prudentiam profitetur, eo fervore eaque pertinacia patrocinaturam operi, typis mandato abſque authoris nomine, abſque approbatione, quod nemo propugnare poteſt, niſi palam bellum indicere velit pietati, charitati, veritati, bonæ fidei, morum candori, ac ſingulis virtutibus chriſtianis, quarum ſanctiſſimæ leges hâc Apologiâ funditus evertuntur.

„ Ex-

„ Expoſtulent quantum libuerit Jeſuitæ de injuria,
„ quam ſibi illatam aiunt per Epiſtolas ad Provincialem:
„ certum eſt nihil unquam in eos ſcriptum editumve
„ fuiſſe, quod ipſorum famam gravius labefactarit; ni-
„ hil quod hominibus, partium ſtudio liberis, adeo ſi-
„ niſtram de illorum ingenio, agendique ratione opi-
„ nionem ingeſſerit, ac ingeſſit editio & defenſio iſtius
„ libri. Quod ſi inter graviores hoſtes ſuos numerent,
„ qui hominum de Societate exiſtimationem magis at-
„ terunt, dicendum profectò acerbiores non eſſe illis
„ hoſtes, quàm ſint ipſi ſibi; cùm ipſorum in hoc cœp-
„ to pertinacia tantam eorum famæ labem inuſſerit,
„ quantam nulla adverſus illos ſcriptio.

„ Abſit tamen, ut totum Ordinem inſimulemus.... „
„ Jeſuitas à Jeſuitis ipſis diſtinguere novimus. Exiſti-
„ mamus enim alios veros eſſe Jeſuitas, qui verum ſui
„ Inſtituti ſpiritum habent; alios falſos, qui ſolam ve-
„ ſtem gerunt, eâ cæteroquin indigni.

„ Veri Jeſuitæ ſunt, qui ſectatores ac ſinceros Jeſu
„ Chriſti diſcipulos ſeſe præbent ejuſque vitam & do-
„ ctrinam ſedulo imitantur. . . . . Qui non ſtudent
„ placere hominibus, qui profanorum conſortia, quan-
„ tum poſſunt, declinant, qui fugiunt Aulam, velut
„ charybdim proborum Religioſorum valde infeſtam,
„ qui Regum ac Principum favorem & gratiam mini-
„ me aucupantur, ſed omnem ſpem & auxilium in
„ Deo collocant, qui nec divitum amicitiam captant,
„ nec iis dirigendis ſeſe intrudunt, qui callidarum
„ mundi artium expertes, eas deteſtantur, qui pruden-
„ tiæ ſæculi renuntiant, qui toti in hoc ſunt, ut Deum
„ adorent, eique ſerviant in ſimplicitate cordis. . . . .
„ In quibus nec fraus, nec dolus eſt, ac minus adhuc
„ mendacium, & detractio; ſive verbo, ſive ſcripto;
„ qui non injuriam injuriæ, non convicium convicio
„ reponunt, ſed benedicunt maledicentibus, laudant hos
„ à quibus vituperantur. . . . . Et qui falſa crimina
„ non imponunt, veras in ipſis culpas reprehendenti-
„ bus, quin potius æque ſollicitè occultant hujuſmodi

„ accuſatorum defectus, ac ſincere & candide proprios
„ agnoſcunt fatenturque errores.

„ Veri Jeſuitæ ſunt, qui, regendis erudiendiſque fi-
„ delibus, nihil niſi majorem Dei gloriam, proximi-
„ que perfectionem, ſecundum ſuarum Conſtitutionum
„ verba quærunt; itaut dum agitur de aliquo articulo
„ definiendo, ſuas opiniones non plumbeæ proprii ce-
„ rebri regulæ, ſed inflexibili Regulæ Evangelicæ ac-
„ commodent. Hi ſunt, qui Caſuiſtarum ſuorum li-
„ bros ex animo purgatos cupiunt omni ſqualore ac
„ fece, qua illos aſperſit ſpiritus obſequentiæ munda-
„ næ, diſciplinæ ignoratio, depravatio ſæculi, pru-
„ dentiaque & politica humana Hi ſunt quibus amici
„ Sanchez, Molina, Eſcobarius & Tamburinus, ſed ma-
„ gis amica veritas. Qui Chriſtianæ Ethices integri-
„ tatem præferant omnibus Societatis emolumentis.
„ Qui verum honorem collocant, non in ſuſtinendis
„ mordicus opinamentis, quæ bonos omnes offendunt,
„ & ab ipſiſmet impiis damnantur; non in excuſanda
„ ſemper effræni ſuorum audacia, quaſi in moribus
„ impeccabiles, in doctrina verâ infallibiles forent. . .
„ Sed qui hominum verè religioſorum verum honorem
„ in eo ſtatuunt, ut culpam ſincere fateantur, ſicubi
„ cæſpitaverint; errorem revocent, ſi à veritatis ſemita
„ deflexerint.

„ Veri denique Jeſuitæ ſunt, qui Confratrum ſuo-
„ rum deplorant cæcitatem, lugentque, quòd in So-
„ cietate ardentium violentorumque hominum factio
„ invaluerit, à quibus regimen occupatur, authoritas
„ in cæteros uſurpatur, ſuſceptoque temere profliga-
„ tiſſimarum ſolutioris ethices opinionum patrocinio,
„ in contradicentium ruinam conſpiratur, atque hoc
„ pacto Societas in diſcrimen adducitur, ipſiſmet ſuo-
„ rum armis corruendi, dum interim à melius affectis
„ remedium afferri non poteſt, quia ex ipſis potentio-
„ res, plerumque certè non ſanctiores, ſic in cæteros
„ dominatum exercent, tam cæcamque ab ipſis obe-
„ dientiam exigunt, ut (ſecundum ipſos) *quaſi pecca-*
„ *tum ariolandi ſit* vel leviter *repugnare*, *& quaſi ſce-*

„ *lus*

„ *lus idololatriæ, nolle acquiescere iis*, quæ hujusmodi
„ Superiores inconsiderati, aut mali præcipere vel cœco
„ impetu præsumunt. " Ex his videre potes, Huylen-broucq, an verus sis Jesuita, an falsus.

„ Postquam de veris Jesuitis diximus.... dicendum
„ quid per falsos intelligamus...Hos ergo pseudo Jesuitas
„ existimamus, qui formam & speciem tantum veræ
„ pietatis præ se ferunt, ejus vim & virtutem abne-
„ gantes. Qui seipsos maximi faciunt, cæteros aspernantur. Qui ferre nequeunt ut quisquam virtute,
„ scientia, vel fama ipsos antecellat. Qui omnibus
„ dominari volunt, quemadmodum discipulis in Schola
„ imperitantes. Qui in Regum Principumque palatia
„ irrepunt, eorum benevolentiam, favorem & gratiam
„ vel parasiticis obsequiis expiscantur. Qui proceribus
„ & divitibus hujus sæculi serviliter famulantur, per-
„ commodâ dirigendi methodo, ut eorum postea po-
„ testatem Societatis commodis servire faciant: molles
„ & flexuosi, dum Dei & salutis causa agitur: at duri
„ & rigidi, in rebus ad proximi utilitatem pertinenti-
„ bus, authoritate & opibus ipsorum ad commodum
„ suum abuti minimè dubitantes.

„ Falsi Jesuitæ sunt, quorum..... idolum est au-
„ thoritas & fama Societatis, qui huc studium, labores,
„ artes omnes conferunt. Qui istius simulacri bonum
„ utilitatemque Ecclesiæ honori atque utilitati præfe-
„ runt. Qui in animum inducunt suum, quidquid in
„ Ecclesia est eruditione ac virtute præcipuum, inglo-
„ riosa & triumphante Societate esse inclusum. Qui
„ persuasum habent, nullum in præcipuis Ecclesiæ
„ difficultatibus, præter ipsos, oraculum consulendum.
„ Quos sufficientiæ suæ alta existimatio adeo inebriavit,
„ ut neminem ferre queant reprehensorem, vel con-
„ tradictorem. Qui velut impios & hæreticos, male-
„ que erga Societatem affectos habent, quotquot ple-
„ ctenda eorum facinora carpunt. Qui mordicus tuen-
„ tur depravatas suorum, etsi imperitissimorum &
„ corruptissimorum, sententias. Qui ab uno & amplius
„ sæculo libros scriptitantes, & tot perniciosis opinioni-

„ bus

„ bus, ex ipsorum Authoribus decerptis, ne unam
„ quidem sincerè & ex animo ejurarunt, ac refutarunt,
„ quamvis nullus liber censuram ipsorum evadat, &
„ non solum SS. Patrum scripta, sed ipsammet Scri-
„ pturam sugillare audeant, non veriti S. Paulum insi-
„ mulare, quasi in epistolis fervore naturali se abripi
„ passum, quique in epistola ad Romanos arma sub-
„ ministrarit Calvino, ad fulciendam hæresim suam.
„ Qua de re videri potest P. Adam in Calvino profli-
„ gato pag. 623.

„ Falsi Jesuitæ sunt, quos non puduit in se suscipere
„ patrocinium corruptelarum omnium, quæ à sæculo,
„ vel à centum viginti annis in libris Scholasticorum,
„ seu Casuistarum minus accuratorum irrepserunt. Qui
„ vulnera sanæ doctrinæ, per Authores illos inflicta,
„ non solum incurata reliquerunt, quin potius auxe-
„ runt, novaque & longè graviora addiderunt, cum
„ pertinacia sustinendo Ethicem, Evangelicis oraculis,
„ sanctorumque Patrum, & sacrorum Canonum do-
„ cumentis, divinisque atque Ecclesiasticis præceptis
„ adversantem. Hi sunt, qui usque adeo alieni sunt à
„ spiritu & mansuetudine Christi, gladii usum Petro
„ vetantis æquissima in causa (in qua scilicet agebatur
„ de vita hominis Dei, adversus violentos furibundos-
„ que invasores contutandâ) ut ipsismet presbyteris,
„ religiosisque pugionum usum permittant; quibus ca-
„ lumniatores suos, calumniarique minitantes interi-
„ mant; idque ipsis præceptum esse doceant lege cha-
„ ritatis, quam Ordini suo debent. Terribilis profecto
„ & portentosa est charitas illa, quæ homicidium præci-
„ pit, quo nullum gravius adversus charitatem proximi
„ crimen committi potest.

„ Falsi Jesuitæ sunt, qui contra Evangelicum Christi
„ monitum Christianis omnibus datum, ut percutienti
„ in dexteram maxillam, præbeant sinistram, volenti-
„ que tunicam tollere demittant & pallium, Deumque
„ orent pro calumniantibus & persequentibus se, non
„ solum sustinent licitam esse occisionem pro alapa,
„ pro pomo, ad præveniendam calumniam, sed &

„ se-

„ ferociter insultant iis, qui pro Christo, ejusque E-
„ vangelio stant adversus Authores tam crudelium dog-
„ matum. Nam scriptor Apologiæ pag. 89. accusat
„ eos, qui tam cruentæ doctrinæ refragantur, velut
„ patronos furum, latronum, & calumniatorum,
„ eosque comparat Hieronymo Pragensi & Galero hæ-
„ reticis, qui impietatis pœnas flammis luerunt, quasi
„ non metuendum sit, ne in Christum recidat jaculum,
„ quo adversarios petit. Etenim si furibus, latronibus,
„ calumniatoribusque patrocinatur; qui negat licitum
„ esse occidere pro alapa, levi furto, vel detractione;
„ quo tandem loco Apologista ponet Filium Dei, qui
„ Discipulos & fideles omnes docet has contumelias &
„ injurias pati, & non resistere inferentibus, tantum
„ abest, ut permittat eos occidere. *Ego autem dico*
„ *vobis, non resistite malo, sed siquis te percusserit in*
„ *dexteram maxillam, præbe illi & alteram, & ei*
„ *qui vult tollere tunicam tuam, dimitte & pallium.*
„ *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos &c.*
„ . . . . Hæc sunt, Illustrissime Domine, discrimina,
„ quæ præ cæteris recensenda putavimus inter eos qui
„ componunt Societatem Jesuitarum, ne Justitiam &
„ leges charitatis læderemus, si totum Ordinem con-
„ demnaremus, innocentes indiscriminatim confun-
„ dendo cum reis. Verùm quidem est nos potiori jure
„ nunc, ut apparet, quàm olim accusare posse totam
„ Societatem de suscepto patrocinio depravatæ morum
„ doctrinæ, cùm hi Patres evolutis tandem simula-
„ tionis integumentis, nunc audacter sustineant, quod
„ aliàs non sine excæcatione respuere & diffiteri vide-
„ bantur. Nam in libello supplici, quem anno 1644.
„ obtulerunt Senatui Burdigalensi contra librum, cui
„ titulus: *Theologia moralis Jesuitarum*, agnoscunt
„ propositiones, quæ in eo libro ipsis adscribuntur,
„ esse *impias, periculosas, scandalosas, exitiosas bonis*
„ *moribus, & societati civili.* . . . Verùm ab eo tem-
„ pore stylum & orationem mirum quantum muta-
„ runt. Nunc palam profitentur se vindices ac pro-
„ tectores Apologiæ, quæ pleraque sustinet corrupte-

„ las ejusdem *Theologiæ Moralis.* Neque ullus hactenus „ è Societate Religiosus prodiit, qui improbarit, ab- „ negarit, aut etiam impugnarit ut oportet, doctri- „ nam libri tam pernicioſi, & tanto omnium applausu „ rejecti .. Absit tamen ut totum Ordinem damnemus.

Sapientissimis Curionibus istis gratias age, Huylenbroucq, quòd sapientiæ suæ luce tuas & tuorum tenebras depellere satagant, apertè demonstrantes necessitatem remedii magni ad curandos Societatis morbos, profecto magnos, quos dum obstinate negas, superbum te Jesuitam manifestè demonstras; quales in Societate esse multos vir Eminentissimus credidit, dum dixit humilitatem hodie Jesuitarum non esse virtutem; per consequens non multos hodie veros esse Jesuitas, S. Ignatii patris sui spiritum habentes.

FINIS.

A01 1471151

INDEX

Paragraphorum in hac appendice contentorum.

§. I. REfelluntur allegationes ipſius in libri ſui prooemio. 1

§. II. Suorum corruptelas ſolidè non juſtificat Huylenbroucq, dicendo, quod ſuis ea nobis exprobrentur, quæ Molinæus, aliique hæretici exprobrant Eccleſiæ ea non damnanti. 8

§. III. Nec eas magis juſtificat, dicendo, Sociis ea tribui, quæ ab aliis ipſi hauſerint. 10

§. IV. Nec ſuos ſolidè juſtificat, dicendo, prætermiſſa variis in locis celebrium Authorum nomina, etiam S. Thomæ: ſubinde etiam rationes, quorum & quarum additione opinionibus ſuis authoritatem conciliant Caſuiſtæ. 11

§. V. Ad ſuos excuſandos fruſtra etiam Huylenbroucq conqueritur, omiſſas ſubinde circumſtantias, & exceptiones, quibus adjectis, recentium Caſuiſtarum ſententiæ, molliores & innocentiores videri potuiſſent. 12

§. VI. Rurſus in vanum Huylenbroucquius contendit, pleraſque ex damnatis ab Alexandro VII. & Innocentio XI. propoſitionibus, à nobis contra veritatem tribui Jeſuitis, quorum ne unus quidem, poſt cognitam damnationem, ex illis aliquam tradiderit. 14

§. VII. Contra veritatem Huylenbroucq jactitat omnimodam Jeſuitarum ad Romana decreta ſubmiſſionem. 15

§. VIII. Major non eſt Jeſuitarum erga legitimas alias Eccleſiæ Poteſtates reverentia & ſubmiſſio. 17

§. IX. Solidè non probat Huylenbroucq, Theologiam Moralem laxiorem perperam dici Theologiam Moralem Jeſuitarum. 21

FINIS.